VITAE

# B. MATRIS TERESÆ

## DE IESV

CARMELITARVM EXCALCEATOrum & Excalceatarum Fundatricis

## LIBER I.

### PROLOGVS.

Quem afferant fructum Vitæ Sanctorum, & quod huius ſit libri argumentum.

*SAnctorum Dei viſione in cælo perfruentium Vitas ſcripto conſignandi labor adeò ſemper iucundus ac ſuauis viſus eſt Sanctis etiamnum in hoc mundo viuentibus, vt eundem quàm libentiſſimè ſubierint, nō modò quibus maius erat otium, verùm etiam alij, quibus ob aſſiduas cùm in commiſſarum ſibi Eccleſiarum regimine, tum ad acceptum à Patre luminum Ieſu Chriſto lumen mortalibus perſcriptas in ſacram Scripturam commentationes communicandum, occupationes & onera, vix vllum ad aliud quidpiam agendum tempus ſupereſſe poſſe videbatur. S. Clemens Pontifex & Martyr Apoſtolorum principis Petri, quem doctorem atque inſtitutorem habuit, iter omne ac peregrinationem ſcripto complexus eſt: S. Athanaſius Magni Antonij geſta conſcripſit: S. Dorotheus Martyr Tyriorum Antiſtes breue quoddam Prophetarum veterum & Apoſtolorum vitæ mortiſque texuit compendium: Epiphanius Cōſtantiæ in Cypro Epiſcopus Prophetarum etiam elogia, tametſi ſuccincte, concinnauit: S. Hieronymus Pauli Protoanachoretæ, Hilarionis & Malchi Monachi vitas poſteris ſcriptas reliquit: Nyſſenus Gregorius*

Sancti viri, qui vitas aliorum Sanctorum literis mādarunt.

S. Clemens.

S. Athanaſ.

S. Dorothe⁹.

S. Epiphan.

S. Hieron.

S. Gregorius Nyſſenus.

A Grego-

*Gregorij alterius, cognomento Thaumaturgi, id eſt, mirabilium patratoris, vitam euulgauit: Sanctus Theodoretus Cyrenſis Epiſcopus hiſtoriam quandam Religioſam edidit, qua piam ſanctorum aliquot in Orientali plaga Monachorum, quorum vitas admirandas, & inclyta facta litteris mandauit, memoriam ab interitu vindicatam, nobis etiamnum viuam præſtat: Magnus Pontifex Gregorius in Dialogis non vnam S. Benedicti vitam ſcribere ſatis habuit, niſi & illuſtria plurimorum per Italiam Patrum facinora ſparſim recenſeret: Sanctus Iſidorus denique ſanctorum, qui Deo in vtroque Teſtamento vitæ ſanctimoniâ placuêre, vitam & mortem in ſcriptū breue redegit. Quid verò in re adeò liquida & manifeſta probanda diutiùs immoror? Annon ipſum fecerunt SS. Ioannes Damaſcenus, Beda, Bernardus, Bonauentura, Antoninus, alijquè viri ſancti, tam qui olim in Eccleſia Dei claruerunt, quàm noſtra ætate vixêre, quorum hic nomina producere operoſum non foret? Ad hanc verò ſcriptionem duæ hos omnes potiſſimùm cauſæ impulêre, ab vno eodemquè ambæ fonte promanantes, ab ardentiſſimo inquam, quo in Redemptorem noſtrum Ieſum Chriſtum ferebantur amore, & illius continenter amorem ac gloriam promouere ſatagebant. Primò namque videbant, quantopere earum lectione mortales excitarentur, & quàm potenter Sanctorum exemplis ad vitam ſanctè piequè traducendam inflāmarentur, illorum præſertim, qui eadem cum ipſis ætate vixerunt; & efficaciùs hos ijs moueri, quàm tractatibus aut eximiā doctrinam, aut conſilia ſalutaria ſpirantibus, aut ad vitam honeſtam adhortantibus. Deinde vt indubitatum habebant, magni huius Domini, quem ex intimis diligebant præcordijs, & quē ab omnibus paſſim agnoſci coliquè tam ardenter deſiderabant, gloriā & magnitudinem nulla poſſe re hominibus planiùs manifeſtari, quā ſi integerrimæ Sanctorum vitæ, & præclaræ illorum victoriæ ijs ad mentē & oculos reuocentur. Certi inſuper erant, Chriſto ductore & auſpice hæc eos magnalia operatos, inquè illius virtute humanarum ita longè virium limitem tranſilijſſe ſuperando. Hinc, quod nemo negarit, ſecum ipſi ēt ſtatuebant, inclyta è Sanctorum vitis facta commemorare aliud non eſſe, quā hominibus reapſe oſtendere, quanta ſit gratiæ à Redemptore Ieſu Chriſto conferri ſolitæ magnitudo, quanta potentia, quamquè pretioſiſſimi illius ſanguinis vis & efficacia admiranda; quòd hæc in*

S. Theodoretus.

S. Gregorius Pontifex.

S. Iſidorus.

S. Ioan. Damaſcenus, & alij.

Cauſæ, ob quas vitæ Sanctorum conſcriptæ ſint.

Quem Sanctorum hiſtoria fructum pariat.



Digitized by Google

Sanctis mira quadam ratione, & longè magis quàm in reliquis hominibus eluceat: ſicut & ipſa Dei Omnipotentis magnitudo ac ſapientia in cœlis, illorumque ſplendore ac decore, & ordinata motus illorum harmonia magis & clariùs, quàm in terra rebuſque reliquis inferioribus pateſcit. Hinc vt plurimum in ſacris ÿs Litteris ita cœlorũ dicuntur nomine, vti peccatores terræ, vt benè notat Auguſtinus: atque eodem loco hoc ille modo, vti & Ambroſius, exponit illa orationis Dominicæ verba, Pater noſter qui es in cœlis: & non aliter etiam antè idem Auguſtinus intelligit illa penè ſequentia, Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo & in terra: & ante illum Sanctus Cyprianus hanc ipſam exponens & declarans Orationem. Hos itidem cœlos Regius Propheta deſignat, dum ait, Cœli enarrant gloriam Dei: quòd in ÿs ad oculum pateat, quanta ſit Gratiæ Saluatoris noſtri potentia, quãta efficacia: licèt plurimi e contra Chriſtianorum (ea noſtra inertia & animi eſt ignauia) ſanctiſſima Eccleſiæ Sacramenta, & eiuſdẽ Redemptoris gratiam & paſſionem, quòd exiguarum illa in ipſis ſint virium, quadamtenus dedecorent. Meritò quidem hîc ſubuereri debere videor, ne, qui hanc, quam texere aggreſſus ſum, ſanctæ Matris Tereſæ de Ieſu vitam legerint, alicuius me fortè temeritatis accuſent, meque hoc potiſſimum carpant nomine, quòd huius conſcriptione aliquod cæteris meis lucubrationibus, quas idcircò cogar intermittere, & alia, quæ præ manibus habeo opera, quæ maiora, digniorаque cuipiam videantur, interrumpere, ex parte afferam detrimentum. Sed tot tantorumque nixus exemplo Sanctorum ac Doctorum, quos in gloriæ Domini noſtri Ieſu Chriſti enarrandæ, & mirabilium, quæ ſuis in Sanctis operari dignatur, celebrandorum ſtudio quàm maximè velim imitari, nihil eſt quod metuam. quin imò primarium meum ſtudium, etſi idem ſit, quod fuit ipſorum, ſacras ſcilicet litteras interpretari, cùm longè per me minorem, quàm per illos fructum pariat, atque illorum ſit ſtudio longè inferius, maiorem ſanè mihi alterius illius, quem ſignificaui, laboris ſuſcipiendi occaſionem ſubminiſtrat. Vt verò iuxta communem hominum ſenſum loquar, ſicut hac in parte infælix quodammodo B. Mater Tereſa dici queat, quòd tam ineptum, puerilem, infantemque ſit nacta præconem, digniorem longè promerita; ita ipſe verſa vice extiti fæliciſſimus, cum mihi ſanctiſſimæ generoſiſſimæque heroinæ ſcribere

Sãcti cœlorum dicuntur nomine.
lib. 2. de ſermo. Dom. in monte, c. 9.
lib. 5. de Sacram. c. 4.
Matth. 6.
Luc. 11.
cap. 11.
Pſalm. 18.

vitam geſtaquę obtigerit, quæ ſanè patentiſsimus latiſsimuſquę quidã eſt campus, in quo ſe præſtans, inſignis, ingenioquę pollens ſcriptor ſcribendo exerceat. Sanctitatis quidem illius hîc nullam comparationem cum aliorum inſtituam (hoc namque iudicium ad ſola Dei ſpectat arcana; & hæc etiam quanta in ipſa exſtiterit, cognoſci quadamtenus poterit ex ijs, quæ toto hoc opere proſequar) at qua eam abhinc annis plurimis animi generoſitate & magnitudine ſuperauit, aut legi, aut noui neminem. Adeò vt, quemadmodum Alexander Macedo edicto vetuit, ne quis ſe præter Apellem pingeret, aut præter Lyſippum, in ſua quęque arte eximios, ſui ſtatuam effingeret; ita mihi hæc, quam ſcribere aggredior, de manibus hiſtoria excutienda videatur, & nonniſi maximi nominis hiſtoriographo conſignanda, qui ſingularem ſanctæ huius Virginis virtutum magnitudinem pari verborum ſtyliquę ſublimitate conſequatur. Illinc verò me, plurimorum ſanctitatem illius, vt quidem æquum & rationi conſonum eſt, magnifacientium, & erga eam ſingulariter affectorum, id à me pro iure ſuo efflagitantium conſilium ac iudicium conſolatur; hac accedente præſertim cogitatione, ſinceram puramquę intentionem, ac bonam voluntatẽ Deo ſanctiſquę longè eſſe, quàm ſublimia ingenia & oratorias verborum facultates acceptiorem. Vt verò quod res eſt dicam, nihil hoc meum ſcribẽdi deſideriũ magis animauit, quàm eximia ſolidaquę in Deum Opt. Max. fiducia. ſpero nãque ab illo, qui mutorum aperit ora, & linguas infantiũ facit diſertas, os etiam meum apertum iri, & ſanctæ eius ancillæ ſuffragijs calamum dirigendum, vt ad id ipſe ſcriptis mandandum pertingere queam, quod gratiæ ipſius adminiculo adeò illa perfectè operando adimpleuit. Ex dictis hactenus perſpicere quiuis poteſt, quibus ad hanc vitam pertexendam rationibus ſim impulſus, cum eius in familijs viri non deeſſent & auctoritate & doctrina præſtabiles, qui has longè me dignius ſcribendi partes impleſſent, qui Societatis Ieſu ſum membrum, quem id proinde ſcriptionis genus minus tangere videatur.

Generoſitas & ſanctimonia M. Tereſæ.

Alexan. Magnus à nullo pingi voluit quàm Apelle. *Val. Max. l. 8. c. 11. Cic. lib. 5. Famil.*

Quoniam autem ſingularem aliquam nonnemo fortè à me rationem rei huius petiturus eſt; huic paucis, Societatem IESV ad Dei eſſe gloriam, & ſalutem animarum iam inde ab initio fundatam, reſpondeo; hinc illius Sodales ac membra minimè indecens eſſe huc aſpectãtia ac facientia litteris tradere. Altera ratio ſit, in hanc ipſam Societatem,

Rationes particulares, quib⁹ ad hanc vitam ſcribendam auctor motus fuit, etſi Soc. Ieſu eſſet membrũ.

Digitized by Google

*tatem, non minimam Matris Tereſæ de IESV laudum partem transferendam videri, vtpote quæ illius auxilio non mediocriter, vbi primùm ſpiritualis ædificij fundamenta poſuit, ac ſemper deinde profecit. Tertiò, quia quidquid ad Sanctos, cuiuſcuius demùm familiæ cenſeantur, pertinet, id ipſe velut proprium ac meum duco: cùm inuicem omnes fratres ſimus, & eidem vniuerſi Domino famulemur, quo etiam ſimul omnes in cœlo perfruituros nos ſperamus, quemquè in terra pariter quàm maximè extollere ac glorificare par eſt. Hinc etiam plerique eorum, qui Sanctorum vitas ſcripto conſignarunt, non ſemper, ſui num forent, ſpectarunt, cùm rationibus, quas antè produxi, velut efficaciſſimis moti, tum proprium affectum, & diuinum, quo ad hoc faciendum ſe ſentiebant impelli, inſtinctum ſecuti. Hinc ſanctus Præſul Antoninus, Ordinis ſui ſanctorum elogia dum texeret, S. Franciſci, eiuſquè collegarum præconia celebrare ſibi turpe non duxit. Neque exſpectauit Athanaſius, vt Magni Antonij vitam Anachoretæ ſocij & diſcipuli conſcriberent: ſed eam ipſe monumentis conſignauit. Nec de ſolo Benedicto Præpoſito ſuo ſcripſit Gregorius, verùm etiam de alijs plurimis ſanctitate excellentibus: quem etiam Ven. Beda, qui eiuſdem fuit Ordinis, pòſt eſt imitatus. Vt autem de veteribus illis taceam, duos ipſe hodie viros & auctoritate, & eruditione conſpicuos noui, qui quoniam ſpectabiles ſunt & ſingulares, in omnium oculis verſantur, & aliud ambos vitæ inſtitutum profeſſos; quorum primus, vti mihi quidem narratum eſt, hanc ipſam hiſtoriam vitæ B. Matris Tereſæ modò adornat; alter verò ſe haud ita pridem mihi dixit ad idem ſcriptionis genus animum, vbi primùm per negotia liceret grauiora, applicuiſſe. Quartò, quia cùm eiuſdem Religionis viri, necnon alterius eamdem quoque conſcribere queant; ad Dei magis gloriam facere videtur, ab alterius hanc inſtituti viris litteris mandari, vt eo ſcriptis maior accedat auctoritas, quo ad ſcribentem res minùs videtur ſpectare. Quintò, quia piam hanc mihi mentem Dominus videtur inſpiraſſe, quòd inſignes ipſe ſanctæ huius Matris virtutes ac ſanctimoniam quàm maximè ſuſpiciam, & ſingulares, illius patrocinio, à munifica Maieſtatis eius dextra gratias obtinuerim. Nec verò eſt quòd arrogantiam aliquam redoleat, hanc mihi mentem cœlitùs datam eſſe, prædicare, quòd plurimis ijſquè manifeſtiſſimis ad hoc credendum argumentis compellar. Adeò vt, cùm hæc mea ſcri-*

ptione nec sui Ordinis, nec aliorum sodalibus ad eamdem, etiam magis ex dignitate, historiam pangendam ianuam præcludam; minimè videam, cur nouum cuiquam aut insolens videatur, in re adeò salutari pio me meo satisfacere desiderio, vti suo alijs in re simili aut dissimili euulganda satisfecisse vitio nemo vertit. Etsi verò nullum quæ dictæ sunt rationes locum haberent, mihi tamen sufficiens ad hāc scribendam historiam causa videatur, quòd ita ampla & illustris scribendi materia in mea inciderit tempora, dein quòd cum ea ipse familiariter sim conuersatus, sæpiùs sermones miscuerim, rerumque illius plurimarum cōscius fuerim, in quas, vt singulari mei ipsius desiderio facerem satis, diligēter diu antè inquisiui, quàm aliquam eius quod modò molior operis cogitationem in animum admisissem.

Indignum sapiente est affirmare quæ dubia sunt.

Cùm ergo, vt ad cæptum sermonem reuertar, qui DEVM glorificare eorum, quæ Sanctorum suorum operâ edere dignatus est, mirabilium commemoratione desiderat; idipsum mentiendo fingendove haudquaquam facere possit, deinde naturâ ipse detester omne id, quod commentitium esse noui, atque à viro sapiente alienissimum eoqúe indignissimum censeam, dubia pro veris indubitatisqúe obtrudere; quidquid non certissimum erit, omittam; quæque dicturus sum, cum veritate ipsa vsquequaque constabunt. atque hanc ob causam personarum minutim ac singillatim nomina adscribo, & ad minutias sæpè descendo; liquidò vt constet, quâ in veritatem reiqúe certitudinem diligentiâ, in ijs etiam, quæ exigui ponderis alioquin videbantur, inquisierim. Hinc fixos semper in narrationis veritatem oculos habebo, quæ ab ipsis etiam Ethnicis Scriptoribus vt prima & potissima historiæ pars semper fuit iudicata. Quæ de se ipsa scripto prodidit, obiter perstringam; quòd ea malim in illius quàm meo libro perlegi: adeò vt, sicuti qui hocce meum volumen lecturus est, illius idcircò scriptum negligere minimè debet, quòd, præter ipsam historicam narrationem, sublimem diuinamqúe quamdam complectatur doctrinam; ita & qui in illud incidet, si Sanctæ huius Matris vitam & institutum nosse voluerit, hunc etiam librum euoluat oporteat, vt qui ad plurimarum ipsius commentario proditarum rerum lucem enodationemqúe mirificè faciat, & quæ

Veritas primaria historiæ pars.

Digitized by Google

quæ ipſa ſubticuit, aut omiſit, ſuppleat. Quod hac in hiſtoria melius quàm in alia quapiam fieri poterit: nam cum ad hunc quo ſcribo diem nonniſi quinque à deceſſu ſanctæ Matris effluxerint anni, & etiamnum plurimi, qui eamdem iamdudum nouere, ac familiariter cum ipſa verſati & locuti ſunt, ſuperſint, non deerunt tum qui de quibus dubitem, me abunde inſtruant, tum qui, ſicubi à veritate hiſtorica deflectere me contingeret, ipſum manifeſtent, meque vt falſariũ coarguãt. Non parùm huc etiam opis mihi attulerunt priuata illa, quæ ſedulò peruolutaui, ſcripta & commentarioli, quos Superiorum B. Mater conſcripſit iuſſu, quibus multa de ſuis ipſa ſingillatim rebus complexa eſt: ex his ſuo mutuabor loco, quæ ad hiſtoriam hanc neceſſaria fore exiſtimem. Inter alia ſcriptum quoddam exſtat, quo vitam ſcribentis contineri volunt, quod ſæpius ipſe adhibebo, quamquam ſuã in eo vitam B. Mater non deſcripſit, ſed ea dumtaxat, quæ Præpoſitorum imperio ſcriptis mandare iuſſa fuit: ipſum nimirum iter, per quod eam Altiſſimus in rebus ſpiritualibus deduxit, necnon permulta, quæ ab eodem eſt dona, ad vſque erectionem monaſterij Abulenſis, quod à S. Ioſepho cognominatur, & omnium fuit primum, conſecuta. Suas autem hîc ipſa virtutes minimè refert, nec ingentia, quæ Deo præſtitit obſequia, ſed ea ſolùm, quæ à liberali ſupremi largitoris manu ad annum vſque ſæculi currentis alterum & ſexageſimum dona accepit: ea enim tenus hiſtorica libelli illius narratio tantùm extenditur, ipſa verò dein viginti ampliùs annis ſuperuixit. Hoc porrò nos volumine complectemur vniuerſa, omnium adhac monaſteriorum illius fundationes, vt plena ac perfecta omnibus ſuis ſit numeris hiſtoria; & in lucem ac publicum proferemus, quæ adeò ipſa ſtudioſè ſupprimere ſemper elaborauit. Illius hîc viuam quoad poterimus effingemus imaginem, eam coloribus, veris inquam atque illuſtribus, quibus enituit virtutibus, depingendo: quam deinde etiam expoliemus, illuſtre ac pretioſum omnium, quæ tum viuens, tum poſt mortem operata eſt & etiamnum ſæpenumerò operatur, prodigiorum, quibus opus ſuum ſummus artifex perficere voluit, & quibus imago hæc futura eſt, & perfectior & longè ſpectabilior, decus addendo ac lumina. Idque ad Redemptoris noſtri IESV CHRISTI, qui tot ancillam ſuam virtuti-

bus

Digitized by Google

*bus heroicis condecorare eſt dignatus, ac fœminino in pectore viriles & maſculos animos inſerere, gloriam; necnon glorioſiſſimæ Deiparentis Mariæ honorem, quam Tereſa vt matrem numquam non eſt venerata, vtpote eius cultui mirum in modum deuota, cuiuſque ipſa Ordinem ac familiam reſtituit; deinde ad glorioſi Ioſephi, quem vt patrem eſt reuerita, cuiuſque ope & interceſſione tot tantaque à Domino munera obtinuit, exaltationem; tum verò in Sanctæ huius Matris laudem, vt nimirum nomen illius vbique locorum innoteſcat & celebretur, neu tempus rerũ omnium edax, illuſtrium operum eius deſtruat memoriam; quin etiam ad filiorum eius ac filiarum ſpiritualium conſolationem, vt cùm ipſi, tum ipſorum poſteri perfectum quod imitentur omnis Religionis & ſanctitatis exemplar & imaginem habeant. Denique ad commune totius Eccleſiæ Chriſtianæ emolumentum, cui hæc adeò illuſtria virtutum omnium exempla ad imitandum prælucebunt, & magnos dabunt animos. Spiritui ergo diuino ſupplicantes, propitium vt nobis auxilij ſubſidijque ſui Fauonium aſpirare dignetur, iam portu ſoluemus, & magna cum fiducia ventis vela laxabimus, in nomine Patris & Filij, & eiuſdem Spiritus ſancti, Amen.*



Digitized by Google

# CAPVT I.

## *QVAENAM REVELATIONES VT GENVINAE admittendæ ſint, ac ſingillatim quo ſint habendæ loco eæ, quæ B. Matri Tereſæ de IESV factæ ſunt; vt permagni eas Lector faciat, quas hoc paſsim libro lecturus eſt.*

ANtequam narrationis ſeriem aggrediar, non mihi abs re alienum, imò pernecesſarium videtur, hoc loco præmittere, quod cùm ijs quæ pôſt dicenda ſunt miram lucem afferet, tum verò magno me pôſt ſuis locis labore leuabit. Narrandæ mihi hinc inde variæ ſunt viſiones & reuelationes B. Matri Tereſæ factæ, non quidem omnes, quas aut illa habuit, aut ipſe noui, ſed eæ ſolùm, quæ rei quam proſequor magis quadrare videbuntur; nã prꝫterquã quòd optimè cum ipſa coincidant, ſalutarem ac perutilem doctrinam continent, & lectorem imprimis ædificabunt. Atque vt Reuelationes SS. Brigittæ, Gertrudis, Catharinꝫ Senenſis, Angelæ de Fulginio, aliarumque innumerarum maximo lectores ſuos & fructu beant, & exemplo iuuant, ſic quæ B. Matri Tereſæ contigerunt, atque à ſuperiorum Sanctarum apparitionibus ac viſis nequaquam diſcrepant (ab vno enim eodemq; omnes venerunt ſpiritu) eoſdem dubio procul cauſabuntur effectus. Quoniam aũt minimè defuturos arbitror, qui narrandis fidẽ abrogabunt, vel quòd rerũ propè rudes ſunt, & ne fando legendove quidem ea audiêre, quæ in omnibus Sanctorũ vitis paſſim obuia ſunt; vel quòd, quàm ſuos dilectos familiariter ſuauis ille animarum ſponſus habeat, numquam experti ſunt: (nam vt probè Magnus monet Gregorius, qui ſpiritualibus non delectantur, de re omni, quam corporeis percipere oculis nequeũt, dubitant, quòd, quꝫ ſub oculorũ ſenſum cadere non poſſunt, nullo vſu experimentove noſſe valeãt) conſultũ fuerit, illo in quo verſantur errore iam inde ab initio eos educere, & ad ea, quæ pôſt dicenda ſunt, iter illis complanare, vt, ſine omni prorſus metu, ne à quoquam narratio in deteriorem partem accipiatur, hiſtoriam meam & exordiar, & proſequar, & eam ipſi ſine omni prorſus remora aut ſcrupulo ad calcem vſque decurrant. Futuri ſunt alij, qui doctio-

Variarum Sanctarum reuelationes miro cũ fructu leguntur.

*Lib. 4. dial. c. 1.*

ctiorum, litteris imbutorum, ac ſpiritualia ſectantium eſſe credent, nullam penitus reuelationi cuicumque fidem adhibere velle; at eas quotquot ſunt explodere, & illi, quo eædem enarrantur, libro auctoritatem derogare. *Fortaſſe,* inquit Ioannes Gerſon, *ſapientes huius ſaculi tales dari cuipiam illuſtrationes, ſiue reuelationes poſſe minimè ſibi perſuadebunt: veriſſimè namque Propheta prædixit, Deo nos illuminante à montibus æternis, omnes inſipientes corde turbatos eſſe, omnes inquam, qui quæ ad animum ac ſpiritum ſpectant, non intelligunt, quiq; apud ſeipſos in corde ſuo non viuunt, ſed potiùs extra ſe in latis vanitatum locis exſpatiantur.* Doctiſſimus iuxtà ac ſpiritus magiſter dexterrimus Abbas Ludouicus Bloſius tractatum euulgauit, cui Monile ſpirituale nomen indidit, diuinis reuelationibus, velut gemmis lectiſſimis, variegatum & exornatum, cuius in exordio ſic præfatur: *Præmonendus lector eſt, ne peruerſum quorumdam hominum iudicium ſequatur, qui reuelationes ac viſiones diuinas ceu vaniſſima ſomnia contemnendo ſe parum ſpirituales & humiles eſſe oſtendunt: neq; enim parui pendendæ ſunt reuelationes diuinitus exhibitæ, quibus Eccleſia Dei mirificè illuminatur. Dominus ſemper potuit ſemperq; poterit operari, quod vult in mundis animabus electorum ſuorum.* Plura hac de re habere qui volet, Apologeticam Ioannis Lanſpergij Carthuſiani conſulat epiſtolam, quam S. Gertrudis Reuelationibus præfixit. Vtroſq; autem rogatos velim, vt quæ hic ſcripturus ſum, omni ſiniſtro affectu exuto legant, nec antè de ijs iudicium, ſententiamque ferant, quàm omnia ad calcem vſque perlegerint, ſeque à veritate, non inuitos, nec ratiocini obluctantes duci ſinant, eique indiuulsè adhærendo faueant. Primò enim, ſi maturè rem perpendere voluerint, à Scripturis tam diuinis quàm humanis ſe redargui conuincique comperient. Porrò de ſacrarum litterarum ſcriptoribus iam non neceſſe loqui: fide namque magiſtra edocti ſumus, has eſſe verba diuinitùs ipſis inſpirata, & Deo inſpirante quidquid ſcripſerunt, eos dixiſſe. Moſen ſæpius Deus eſt allocutus, quin etiam plura illi reuelauit, quàm is ſcripto commiſit, cùm de ſe ipſe teſtatum reliquerit: *Loquebatur Dominus ad Moſen facie ad faciem, ſicut ſolet loqui homo ad amicum ſuum.* Vnde & Maria ſoror eius & Aaron frater inuidiosè de ipſo iactant, *Num per ſolum Moſen locutus eſt Dominus? nonne & nobis ſimiliter eſt locutus?* Adhæc, ſi ſuas dicat Deus *delicias eſſe cum filijs hominum*, quomodo non loquitur ijs, quibuſcum adeò ſibi volupe eſt conuerſari? Idem ipſe Salomon, cuius ore ſuperiora verba locutus eſt, alio quodã loco ſcribit, *Cũ ſimplicibus ſermocinatio eius,* id eſt, cum ſinceris, neminem decipientibus, nemini malum irrogantibus. Hoc ipſum porrò iam inde à mundi exordio declarauit, multoties cum Adamo, Eua, priſciſque illis Patribus loquens, atq; inprimis cum familiariſſimis ſuis, Abrahamo, Iſaaco, Iacobo, Ioſue, parentibus Samſonis, Samuele, Iobo, eiuſq; amicis, Dauide, Salomone, cum omnibus denique Prophetis. Tanta autem veteris Teſtamenti tempore Prophetarum

*Libr. de differẽtia verarum viſionum ac falſarum, ſigno 5.*
*Pſal. 75.*

Viſiones diuinæ magnifaciendæ

*Exod. 33.*
Deus ſanctis locutus eſt.

*Num. 12.*

*Prou. 8.*
*Prou. 3.*
Deus ſimplicibus loquitur.

Digitized by Google

rum erat multitudo, vt etiam ingens illorum turba Sauli obuiam prodierit eum cũ plauſu exceptura, quibuſcũ ille diuina oracula effundere cępit, occaſionemque vulgari illi adagio dedit, *Numquid & Saul inter Prophetas?* Multa de hac re in libris Regum & Paralipomenon legere eſt. Ipſius etiam Moſis tempore palàm dixit Deus, *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in viſione apparebo ei, vel per ſomnium loquar ad illum.* Quid deinde de legis Euangelicæ dicam tempore, de qua iam olim Ioel prædixit? *Et erit poſthæc, Effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem, & prophetabunt filij veſtri, & filiæ veſtræ: ſenes veſtri ſomniã ſomniabunt, & iuuenes veſtri viſiones videbunt.* In illa ſiquidem ſponſus Deiparæ Ioſephus à Deo reuelationes accepit & monita; nec non Ananias, à quo ipſe Gentium Doctor ſacro fonte eſt ablutus; tum quoque, vti etiam pòſt, idem ipſe Doctor tot tamque ſublimes reuelationes habuit, vt neceſſariò illi Angelus Satanæ, à quo colaphizaretur, ne magnitudine fortè ipſarum extolleretur, dandus fuerit, vti de ſe ipſe ſcriptum reliquit: Apoſtolus quoque Petrus, ceterique cum eo Apoſtoli, Cornelius Centurio, etiam antequam Chriſto nomen per ſalutare lauacrum dediſſet, Stephanus item Protomartyr, Agabus Propheta, nec non Philippi Diaconi filiæ, alijque eo tempore permulti, vti primam ad Corinthios epiſtolam legenti non obſcurè patebit. Dei denique cum amicis ſuis familiaris cõmunicatio & congreſſio adeò ſemper nota inter homines fuit, vt & ipſe Homerus viris præſtantibus atq; heroibus aliquem propè ſemper Deum, qui illis adhæreat, ac cum ipſis loquatur, affingat: hinc Vlyſſi & Telemacho Mineruam præſidem ac tutricem, nec non Tydeo filioque eiuſdem Diomedi aſſignat; quod ipſum & in AEneide ſua Latinorum Homerus imitatur Virgilius. Dicturos forſitan, olim quidem crebras huiuſmodi Dei viſiones & familiaritates fuiſſe, at longè ſecùs hodie ſe rem habere; equidem percunctabor, num, quod è Salomonis Prouerbijs iam antè produximus, Dei nimirum eſſe delicias cum mortalibus familiariter agere, & cum ſimplicibus illorum ſermocinari, ad ſolos eius ætatis homines dictum cenſeant, an verò in noſtri ſeculi mortales etiam quadret? Cùm autem Dei dextra minimè abbreuiata ſit, ſed tam hoc ea, quàm ſuperioribus ſeculis, ad inſignes amicos ſibi ſanctoſque comparandos ęque latè pateat; cur miſericordiam & charitatẽ eius erga ipſos ita reſtrictam coarctatamq; cenſebimus, vt nec cum ijs, vti cum priſcis amicis, tractando familiariùs loquatur, nec ſolita eos beneuolẽtia complectatur? Quę porrò maior potiorq; huius obijciẽdi ratio noſtri ſeculi ſit hominib. quàm fuiſſet ijs, qui idem abhinc trecẽtis aut quadringentis, quin imò vel ab centum annis obiectaſſent? Quanto verò, ſi qui id tum dictitaſſent, pudore hodie ſuffunderẽtur, viſo, tot, medio illo temporis interuallo, toto orbe Chriſtiano paſſim Sanctos exſtitiſſe, quib. tam præclara tãq; varia à

1. Reg. 10.

Num. 12.

Ioël. 2.

Variorum Sanctorum reuelationes.

Act. 9.

2. Cor. 12.

Non minùs hodie amicis ſuis loquitur De', quàm olim.



Digitized by Google

Domino legimus interea fuiſſe reuelata? Et ſanè hoc ipſo quo viuimus ſæculo, quot vixiſſe ſanctos vtriuſque ſexus homines conſtat, quibus ſe mira quadam Deus ratione communicauit? Sanè Magiſter ac Dominus Ioannes Auila, eximius ille Dei ſeruus, de id genus arcanis loquens, quæ è plurimis ipſe, quibuſcum tractabat, nouerat, hoc ipſo Deum tempore cum creaturis ſuis adeò miranda quędam aiebat agere, vt ſi euulgarentur in publicum, fidem vix inuenirent. Cõſtat autem, cum amicis ſuis Deum peramicè verſari, &, quamquam valdè apparet abſconditus ijs, quibus non videtur, illis ſe tamen clarè ſpectãdum exhibere, qui ſuum illi ſincerè cor offerũt, magnaq; illis arcana communicare ſolitum. Quamobrem cui huiuſmodi negatur prærogatiua, Deo idipſum non adſcribat, neu perſuaſum habeat, poſſe nemini eã concedi, quia ſibi fortè nõ datur; cùm id nullo nõ tempore datum ſit, & etiamnum quotidie permultis concedatur: quin ſibi ipſe id potiùs imputet, ſi ſecum vt Deus loquatur, ſe non diſponat. Monentem ergo audiat Richard. de S. Victore ſcriptorẽ & grauem & veterem: *Quamdiu,* inquit, *haſce in nobis exſtaſes aut raptus non experimur, quid aliud de nobis ipſi cogitemus oportet, quàm, vti diximus, parùm nos & diligi & diligere? Si enim, quiſquis demũ ſis, perfectè & ex animo diligeres, ipſa fortè amoris tui magnitudo, & deſiderij tui ardentis æſtuantiſq; vehementia ad ſimiles te raptus extolleret. Et ſi dignus omnino fores, qui tali à Deo amore diligereris, teq; ipſe ad tãtam recipiendam gratiam diſponeres; intellectus forſitan tui oculos ita magna luminis ſui claritate illuminaret, ac cordis tui deſiderium tanta interiori dulcedinis ſuæ ſuauitate inebriaret, vt illa mediante extra teipſum rapereris, & per animæ exceſſum ad ſupereminentia eleuareris.* Atque huc etiam, eodem in libro paulò pòſt, refert, quod de Abrahamo in Geneſi memoratur triũ Angelorum ſibi apparentium in occurſum properante: quod cùm *in ipſo feruore diei* factum Scriptura teſtetur, per hunc ipſe feruorem diuini vult amoris ardorem repræſentari; ac tum potiſſimùm ſancto huic Patriarchæ eximiã hanc viſionẽ obtigiſſe, cũ veri ſummiq; boni amore ac deſiderio cor illius internè vehemẽter ęſtuabat, qua fortè dignus redditus non eſſet, ſi ſuo in tabernaculo rerum terrenarum occupatione diſtortus hæſiſſet.

Qui particulares Dei non experitur gratias, Deo hoc minime imputet, nec eas nulli dari cogitet.

*Beniamin Maior li. 5. c. 5.*

Anima quæ raptus nullos ſentit, vel parum diligit, vel parum diligitur.

*Ibid c 8.*

*Gen. 18.*

Quis verò non videt, ecquod ſit orationi rerumque diuinarum contẽplationi addictorum, & ab eadem alienorum diſcrimen? Quotnam in oratione Deus veritates reuelat, quantũ inter meditandũ luminis inſtillat, quantũ cautelę ad nuſquã impingẽdũ ſuppeditat? qui aũt orãdi precãdiq; ſtudio non vacant, vix quidquã horũ experiũtur. Dein, quod inter hos eſt diſcrimen, idẽ, quin etiã maius reperire eſt inter eos, qui, præterquã quòd precationis ſtudioſi ſunt, vitam honeſtã probamq;, ſed nonniſi iuxta vulgarem hominũ conſuetudinẽ ducunt, & illos qui magno animi robore rebelles affectuũ paſſiones edomãt, nullũ cũ rebus creatis habent cõmerciũ, ſoli Deo corde colligati & vniti ſunt, atq; ipſum ſolũ præ omnib. & deſiderant

Differentia mortificationis ſtudioſorum, & eorũ quibus ſatis eſt communẽ probamque vitam agere.

derant & amant: qui, quò ſe hi à reb. creatis magis alienãt, eò ſe illis cõmunicat amiciùs, aperit planiùs: quin fieri poteſt tã illos Deo fideliter famulari, vt adeò ſe viciſsim illis familiarẽ exhibeat, non rarò vt cum ijs blandos, amicorum ſe mutuo alloquentium ritu, ſermones miſceat, vti cum Moſe feciſſe conſtat. adeò vt, ſi conſideremus, quanta ſit Dei cum hiſce familiaritas, ea quam cum communem vitam agentibus aliquando habet, (vti dixi) nulla prorſus & vix vllius meriti ac numeri eſſe videatur. Vnde & S. Bonauentura nemini viſionem animæ in contemplatione ſuſpenſæ obtingere ait, quàm qui vir deſideriorum eſt, & neminem habere eam niſi per ardens quoddam deſiderium poſſe: Atque hanc ob cauſam cecìniſſe Prophetam, *Guſtate & videte quàm ſuauis ſit Dominus.* Primò præmittitur *guſtate:* nam adeò nullus guſtus ſuauis obtingere cuipiam poteſt, niſi ante deſideret quod guſtandum eſt. Varij autem Deo ſunt loquendi modi, prout ſingulos, quibuſcum agere vult, diſpoſitos videt: de qua re latè tractant Didymus & D. Auguſtinus, & latiùs & imprimis eleganter ſanctus Pontifex Gregorius ſub libri duodetrigeſimi Moralium initium. Tametſi non ignorem, non omnes eum intimos ſuos per hocce iter ſic vſquequaque deducere conſueuiſſe; plurimos tamen eodem omni ætate & conducit, & hactenus conduxit. Quod qui pleniùs & apertiùs videre voluerit, S. Bonauenturæ tractatum, quem de ſeptem contemplationis gradibus conſcripſit, & Richardi Victorini Beniaminum Maiorem, aliosq; id genus libros permultos à rerum ſpiritualium magiſtris compoſitos cõſulat; qui fruſtra editi libri fuiſſent, ſi non iis exſtitiſſent temporibus plurimi, quos ſimilibus prærogatiuis beaſſet Deus. Quapropter credere, olim quidem amicis ſuis loqui Deum conſueuiſſe, hodie verò conticeſcere; & priſcis quidem temporibus, ac maiorum ætate permultas plurimis reuelationes ab eodem factas, ſed eas modò penitus deſijſſe; non id quidem in homines iudicio ſapientiaque præditos, ſed in prorſus ignaros, rerumque aut lectarum aut viſarum penè expertes arbitror poſſe cadere.

*lib. de Lum. Eccleſ. ſermon. 20.*

Quis viſionẽ habere animæ ſuſpenſæ queat.

*Pſal. 33.*

*lib. 2. de S. Spiritu.*

*l. 16. de ciu. Dei c. 6 cap. 2. iuxta nouam editionem.*

Hanc ob cauſam minimè rationi diſſentaneum fore exiſtimo, omnibus, tam quibus hic error iam inſedit, quàm quos is occupare deinceps poſſet, eundem omnimodis eximere, quàm potero breuiſſimè oſtendendo, non Apoſtolorum ſolummodò ætate, ſed etiam poſtea, ad noſtra vſque tempora, reuelationes has in Eccleſia fieri ſolitas, & quantam eis auctoritatem fidemque adiunxerint, qui iiſdem floruere doctores & Sancti. Dionyſius Areopagita, Apoſtoli Pauli diſcipulus, non minùs vitæ ſanctitate quàm ſcientia apud veteres notiſſimus, Demophilo per epiſtolam narrat, ſe, dum in Cretam traieciſſet, Carpi viri ſanctiſſimi domo exceptum fuiſſe; quem adeò diuinæ ait Maieſtati exſtitiſſe familiarem, vt non ante ad ſacra celebranda myſteria accederet, quàm propitium ei aliquod à Deo viſum huc ſpectans obtigiſſet. Refert deinde ex ordine harum vi-

*Epiſt. 8.*

S. Carpi viſio.

 ſionum

ſionum vnam, tunc temporis ipſius Carpi ore exceptam, longam illam quidem & admirabilem, in omnibus tamen ijs, quas in ſequentibus ipſi recenſebimus, ſimilem. Vidit is namque cœlum apertum, atque in eodem Redemptorem IESVM Chriſtum multis Angelorum millibus ſtipatum: infernè patentem Tartarum, ac duos in eundem propè præcipitantes, quorum crura immanes circumplectebantur angues, vt ſtare neſcij in patulam voraginem ruerent. Exinde ad eoſdem deſcendentem cum Angelis Redemptorem Chriſtum, manibuſque illorum apprehenſis diſcrimine eos educere ſatagentem; ac deinde ad Carpum ijs ipſis indignantem conuerſum dixiſſe: In me ſæui, ſi videatur Carpe: paratus enim ſum mortem denuo, humani generis redimendi cauſa, ſubire. Si de quoquam hoc tempore viuenti idipſum referremus, quàm multis, licèt doctrina & ſpiritualium rerum ſcientia eximijs, id in riſum ac fabulam verteretur? Cùm tamen ſancti Dionyſij viri & litterarum & ſpiritualis ſcientiæ cognitione clarioris tempore res euenerit, illam ipſe vt inauditam non reiecit, neu vt nugacem exploſit, quin potiùs narrationem hoc epiphonemate concludit: *Hæc ipſe audiui, & vera eſſe mihi perſuadeo.* Tertullianus auctor vetus, vtpote Apoſtolorum ætatem proximè ſecutus, ſcripſit in hæc verba: *Nam quia ſpiritualia chariſmata agnoſcimus, poſt Ioannem quoque prophetiam meruimus & conſequi. Eſt hodie ſoror apud nos reuelationum chariſmata ſortita, quas in Eccleſia inter Dominica ſolennia per ecſtaſin in ſpiritu patitur: conuerſatur cum Angelis, aliquando etiam cum Domino. Et videt & audit ſacramenta, & quorundam corda dignoſcit, & medicinas deſiderantibus ſubmittit. Hanc verò prout ſcriptura leguntur, aut Pſalmi canuntur, aut adlocutiones proferuntur, aut petitiones delegantur: ita inde materia viſionibus ſubminiſtrantur. Fortè neſcio quid de anima diſſerueramus, cùm ea ſoror in ſpiritu eſſet. Poſt tranſacta ſolennia dimiſſa plebe, quo vſu ſolet nobis renuntiare quæ viderit, &c.*

Chriſtus paratꝰ eſt rurſum pro hominibus occumbere.

*lib. de anim. c. 9.*

Quod Græci ἔκστασιν, Latini Raptum dicimus: cui verò ſimilia contingunt, hunc rapi dicimus, vel extra ſpiritum raptum eſſe. Placet autem magis proprijs terminis modiſque loquendi vti quàm alienis, ne cui fortè ij noui aut peregrini videantur. Paulus primus eremi cultor poſtquam multas eaſque admirabiles reuelationes cælitus habuiſſet, quas per tot, quibus in ſpelunca ignotus delituit, annos factas illi indubitatum eſt; tandem Deo reuelante didicit, Sanctum Antonium eodem, quo ipſe in deſerto ſoliuagam vitam agere, & huius ſe conſpectu, priuſquam de vita migraret, recreandum. Vnde & Antonius alio in loco Deum idcirco monentem audijt, Paulum vt adiret. ergo alter in alterius conſpectum cùm veniſſet, ſuis inuicem compellarunt nominibus, cùm ea tamen antè ignorarent. Sui eum deceſſus certiorem reddidit

S. Pauli eremitæ reuelationes.

Et S. Antonij.



Digitized by Google

didit Paulus, & acceptum olim à S. Athanaſio corpuſculo inuoluendo
pallium ab ipſo poſtulauit, ad quem reuerſus Antonius, animam illius
multis Angelorum, Patriarcharum & Apoſtolorum agminibus ſtipatam
in cœlum ſubuehi conſpexit. Nec verò ſolas has, ſed & alias multas præ-
ſtantes S. Antonio reuelationes contigiſſe ex S. Athanaſio, Palladio, alijſ-
que, qui de ipſo ſcripſere, diſcimus. Etſi verò nihil harum à quoquam pro-
ditum eſſet, ſufficientis teſtimonij loco foret, quod apud Caſſianum in
Collationibus his verbis refert Abbas Iſaac: *Et vt orationis veræ percipia-* collat. 9. c. 31.
*tis affectum, non meam vobis, ſed Beati Antonij ſententiam proferam: quem ita*
*nonnunquam in oratione nouimus perſtitiſſe, vt eodem in exceſſu mentis orante,*
*cùm ſolis ortus cœpiſſet infundi, audierimus eum in feruore ſpiritus proclaman-*
*tem: Quid me impedis ſol, qui ad hoc iam oriris, vt me ab huius veri luminis ab-*
*ſtrahas claritate? Cuius etiam hæc quoque eſt ſuper orationis fine cœleſtis & pluſ-*
*quam humana ſententia: Non eſt, inquit, perfecta oratio, in qua ſe monachus,* Oratio nõdu perfecta.
*vel hoc ipſum quod orat, intelligit, &c.* Quàm is extra poteſtatem ſenſuum
erat, qui hoc ritu precabatur? Quis deinde referat Monachorum illo-
rum in Aegypti, Palæſtinæ alijſque ſolitudinibus agentium extaſes,
qui nimirum cum Angelis familiariter tractabant, & videbant abſcon-
dita ab hominibus ſæcularibus, cùm (quanquam multa de ijſdem re- collat. 19. c. 4.
ferat Caſſianus) illæ minimæ ſint, quæ ad hominum notitiam perue-
nerunt? Hoc nobis ſufficiat, quòd, illo teſtante, ſeptem ſecum pani-
maciorum paria in ſporta, iuxta ſeptem dierum hebdomadis nume-
rum aſſumerent, vt hoc indicio, ſi fortè ſui ipſorum obliti eſſent, ad-
monerentur, quando expletus iam hebdomadis eſſet curſus, quò ad ſa-
cra ſolennia Dominicis celebrari diebus ſolita conuenirent: aliàs e-
nim, per crebros illos exceſſus, raptus & mentis alienationes fiebat,
vt ignorarent, num de pane guſtaſſent nec ne, neu quot in oratione
verſati eſſent dies. Eodem de ſe Abbas Ioannes loco teſtatur: *Pro Do-*
*mini noſtri munere memini me in huiuſmodi raptum frequenter exceſſum, vt* Ibidem. Abbatis Ioannis.
*obliuiſcerer me ſarcina corporeæ fragilitatis indutum, mentemque meam ita om-*
*nes exteriores ſenſus ſubitò reſpuiſſe, & à cunctis materialibus rebus omnimodis*
*exulaſſe, vt neque oculi, neque aures meæ proprio fungerentur officio, & ita di-*
*uinis meditationibus ac ſpiritualibus theorijs animus replebatur, vt ſæpè ad veſpe-*
*ram cibum me percepiſſe neſcirem, ac ſequente die de heſterna ſolutione ieiunij*
*penitus dubitarem, &c.*

Tam ij, quos memorauimus, quàm plures alij, quos ſuo adferemus lo-
co, viri erant, ne ſolis id feminis datum à Deo ter maximo donum quis
opinetur. Quàm ſæpè id quod tractamus S. Martino Turonenſi conceſ-
ſum ſit, pro dignitate ac ſufficienter nemo explicet, cùm ſingulari tales
ipſe gratias celarit cura, ac ſtudioſè ſuppreſſerit. Ex ijs tamen, quæ de ipſo
notauit Seuerus Sulpicius, harum nonnullæ erui poſſunt. Refert is illi
etiam-

Digitized by Google

*In vita S. Martini c. 2.* etiamnum catechumeno, ac nondum Eccleſiæ inſerto, de nocte viſum Saluatorem Chriſtum, media illa tectum chlamyde, quam egeno propter ſe Martinus erat pridiè elargitus, atque adſtantibus Angelis dixiſſe, Martinus hac me veſte contexit. Aliam factam illi viſionem eodem libro prodit cap. VIII. Capite autem quarto & vigeſimo indubitatum ait eſſe, multos ſæpenumero Martino apparuiſſe Angelos, & cum eo locutos: non rarò etiam viſum illi cacodæmona, & quidem varijs in figuris. Cùm *Sulpic. epiſt. ad Baſſulã. Dialog. 2.* Valentinianus Imperator Martinum regia arceret, apparuit pio viro Angelus, & quid futurum eſſet, prænuntiauit. Alio quoque loco profitetur, multoties ad eundem Præſulem deſcendiſſe Angelos: aliàs quoque, SS. Agnetem, Theclam, ac Deiparam auditas reuera cum ipſo colloqui: Cæterùm id ſibi frequens eſſe, ipſum Martinum referre ſolitum, ac glorioſos Apoſtolorum Principes Petrum ac Paulum frequenter ſibi viſibiles *Seuer. epiſt. ad Aurelii Diacon.* adeſſe. Dialogo tertio, de alio meminit Angelo clara cum viro ſanctiſſimo voce loquente, & alio, qui ad eum conſolandum cœlo erat dilapſus. Ipſemet qui hæc ſcripſit Sulpicius, duas ſibi obtigiſſe narrat viſiones; primã apparuiſſe ſibi à morte Martinum ſpecie conſpicuum ac venerabilem, manu librum, quo vitam illius Sulpicius complexus erat, geſtantem, ſacraque cum benedictione ſignantem: alia conſpexit Clarum, eiuſdem *Deo ordinãte reuelationes ſuas enarrant ſancti.* Martini diſcipulum, in cœlum ab Angelis ſubuehi. neque enim nouum vel inſolens eſt, ſuas ab ipſiſmet Sanctis aut narrari aut conſcribi reuelationes, Deo ſic ad nominis ſui gloriam diſponente; has enim ipſi ſi tacerent, ecquæ earum noſcendarum eſſet ratio? His affinia, magna tamen *S. Nicol reuelationes. S. Methodij.* & præclara in vita S. Nicolai commemorat Simeon Metaphraſtes. S. Methodius Martyr, & Patarenſis Antiſtes, non plurimas modò accepit reuelationes, ſed eas ipſe etiam ſcripto ad poſteritatem tranſmiſit, atque etiamnum *S. Ambroſij* in manibus verſantur. S. Ambroſius inter diuini verbi ſementem ſpargendam adſtantem ſibi conſpexit Angelum, auribus inſerẽtem, *S. Paulinus in vita S. Ambroſij.* quæ in populum effunderet. Eidem quoque conſpecti ſunt Geruaſius & Protaſius Martyres, atque ei, quo ſui reconditi eſſent cineres loco, reuelarunt: nec non deinde SS. Vitalis & Agricola, ac tandem Nazarius & Celſus, itidem Martyres. Qua ipſe è vita migraturus eſſet dies diuinitus illi etiam innotuit, & quis ſibi in Eccleſiæ gubernatione dandus eſſet ſucceſſor: atque vtrumque ipſe ſuis enuntiauit. Supremo in morbo ab illo ei ſacra myſteria ſacerdote data ſunt, quem ad pium hoc officium peragendum diuina bonitas per viſum exciuerat. Ioanni cognomento Chryſo- *S. Ioannis Chryſoſt.* ſtomo piè credimus multa ab Apoſtolo Paulo in reuelatione dictata, quæ aut in ſcripta referret, aut ad populum pro concione proferret. Is *lib 3. hiſt. Eccleſ. c. 2.* ipſe, referente Nicephoro, cùm ad ſacros eſſet aſſumendus Ordines, candida illi aduolitare eſt conſpecta columba, capitique initiandi inſidere. Paucis antè, quàm vita defungeretur diebus, cùm inſomnem precando noctem

Digitized by Google

noctem ageret, adſtantes ſibi vidit Petrum & Ioannem Apoſtolos, qui familiariter cum ipſo ſermonem miſcentes, & propediem corporis illum ergaſtulis ſoluendum, & ad quam eſſet apud cœlites gloriam euehēdus, prænuntiarunt: quo dicto, cœleſte quoddam cibi genus illi porrexere. Eius autem diei, quo ex hac vita exceſſit, nocte præuia apparens illi S. Baſiliſcus Martyr, poſtera eum deceſſurum luce, & in ea, cui præfuerat Eccleſia, humandum prædixit. S. Hieronymus etiamnum adoleſcens, in ſpiritu rapi ſe coram Chriſto iudice & Angelis vidit, ab iiſque acriter vapulare, quòd plus æquo profanis Gentilium ſcriptis lectitandis incumberet. Quas autem illi iam caneſcenti, & ad præſepium Bethlemiticum commoranti viſiones obtigiſſe credendum eſt, cùm iuuenem adhuc, in deſerta ſolitudine agentem, medios inter Angelorum choros ſe verſari ſæpenumero crederet? Idem (vt quidem à pluribus aduocatur, vel, quod mihi videtur potiùs, Sophronius, eiuſdem Hieronymi collega) ſermone de Aſſumptione, inſignem miramque Sanctæ Paulæ oblatam viſionem recenſet; nec ea vel prima, vel poſtrema foret, niſi eas Hieronymus omnes ſilentio inuoluiſſet. Eadem tempeſtate viuebat ſanctus ille Anachoreta Ioannes, cùm ob diuinas, quibus illuſtrabatur, reuelationes, tum ob ſpiritum, quo donatus erat prophetiæ, notiſſimus: quem, vt Sanctis teſtatur Auguſtinus, de futuro belli ciuilis euentu Imperator Theodoſius Magnus ſupplex conſuluit. Huius quoque meminit in hiſtoria ſua Eccleſiaſtica Nicephorus, nec non & aliorum per Orientem monachorum, vti Beni, Theonæ, Eulogij, Marci, ſacrum Euchariſtiæ panem nonniſi ex Angelorum manibus accipientis, Siluani, cui famulorum ritu miniſtrabant Angeli, Viti, qui priùs quàm corporeis Imperatorem Conſtantinum coràm ſpectaret oculis, ſæpiùs eum ſpiritus luminibus in viſione conſpexerat. Plura noſſe qui volet, hiſtorias adeat, Lauſiacam Palladij, & Theodoreti religioſam. Ad ſanctum Benedictum veniamus, de quo nihil dicere eſt neceſſe, cùm toto ſecundo Dialogorum libro Gregorius tot & tam illuſtres illius viſiones referat, aliiſque eorundem Dialogorum libris alias aliorum tum quidem in Italia, tam virorum quàm fœminarum florentium ſanctitate, quas omnes ipſe & credit, & confirmat, & approbat. S. Gregorij autem, aliorumque eiuſdem Monachorum, quatuor de vita eius complexus eſt libris Ioannes Diaconus. Finem nunquam facerem, ſi omnes, quas plurimi ſanctiſſimæ illius familiæ monachi ac monachæ diuinitus habuere in ſpiritu apparitiones, & incognitas inquirere, & inquiſitas recenſere velim. Producam tamen nonnullas, atque illis potiſſimùm factas viris, quorum ſunt à Venerabili Beda conſcripta elogia, cùm quòd aliquot illorum familiariter ipſe nouerit, & ſæpè ſit locutus, tum quòd tantam ijs adiungat fidem, & maximi ponderis ipſius ſit auctoritas, propterea denique, quòd ſanctorum illorum geſta vi-

*Niceph. lib. 13. c. 37.*

S. Hieronymi.

*Hierō. epiſt. ad Euſtoch. de cuſtod. virgin.*

S. Paulæ

Ioannis monachi & Prophetæ.

*lib. de cura pro mortuis c. 17.*

*lib. 11. c. 34. & ſeqq.*

S. Benedicti.

S. Gregorij.

*Beda in vitis c. 2. 3. 4. 34. 6 & 8.*



Digitized by Google

Cuthberti. tæque non adeò paſſim omnibus innotuerint. Sanctus Cuthbertus Epiſcopus Angeli ope ſanitatem eſt conſecutus, & aliorum ſæpè operam & opem varijs in concertationibus expertus. Nocte etiam quadam ab innumeris Angelorum turbis ingenti lumine coruſcantibus animam Sancti Ardani Epiſcopi in cœleſtem vidit requiem deportari; vti & pòſt Hadvvaldi paſtoris animam. Multa illi ſummis de rebus pòſt euenturis, quas multis capitibus complectitur Beda, miro quodam ſunt reuelationis genere cælitus detecta. Eodem propè tempore Boiſilus multa per viſionem diuinitus didicit. Felix presbyter Nolanus (cuius vitam primò Paulinus, ciuitatis eiuſdem Epiſcopus ſtricta, pòſt Beda ſoluta eſt oratione complexus) in ſpiritu carcere, quo tenebatur, egreſſus eſt, Maximumque Epiſcopum ſuum, cui illius etiam erat aduentus à Deo declaratus, adijt, & toto illo, quo delituit ſemeſtri, ſæpè & ab Angelis, & ab Angelorum fuit Domino frequentatus. Sancti Columbani Abbatis mater, eum cùm vtero geſtaret, ſplendidum ſibi viſa eſt videre ventre ſuo ſolem egredi, qui Columbanum ipſum deſignabat; cui in deſerto agenti Abbas quidam de cœlo commonefactus cibum miſit, vti & duo pòſt Epiſcopi, piaq; quædam matrona, diuinitus item moniti. Ipſe quoque Columbanus Deo inſinuante cognouit, cibum ſibi ab illo, tametſi longiùs diſtaret, mittendum. Hac etiam ipſe ratione ſuorum ægritudines fratrum abſens perſpectas habuit, ac multa alia, quæ euentura longè antè prædixit. Ab Angelo in ſomnis præmonitus fuit, ne in Sclauoniam, quò properabat, concederet: in ſomnis itidem de bello Theodoricum & Theodebertum Reges inter ſuſcitato, deque eiuſdem ſucceſſu factus eſt Deo reuelante certior. Columbano ſuperioris Columbani diſcipulo morti proximo conſpectus fuit ipſe Redemptor IESVS, à quo narrante didicit, quibus vitam illius prorogari votis magiſter in cœlo à ſe contenderet. Attalæ cœnobij, in quo Beda monaſticam profitebatur, Abbati mortis fuit dies prænuntiatus; & is ipſe, priuſquam animam ederet, multarum horarum ſpatio cœlos apertos ſpectauit. Sanctus Patricius Hibernorum & Apoſtolus & Epiſcopus primus, etiam iuuenis, & compedibus vinctus, ſecundò Dei voce excitus, in patrium ſe conferre ſolum iuſſus eſt. Significauit illi exinde peramicè, quanta ob diuinum eſſet nomen præſtiturus obſequia, quæque paſſurus aduerſa. Multa illi in ſpiritu in patria reuelata ſunt à patre luminum; vnde ad nulla ſe conferebat loca, niſi Angeli ad ipſum cœlo deſcendentis ſuaſu & conſilio, atque id propè ſemper. Vidit is in mentis exceſſu abſentem ſe à pueris materno in vtero recluſis in Hiberniam euocari, ac rogari, vt properaret, quò illius opera ſalutis redderentur conſortes. Cùm verò nec Angeli iter hoc ſuaſu vellet ingredi, ipſemet Seruator IESVS apparens, in viam vt ſe daret, imperauit, ac mira illi vltrò eſt pol-

Marginal notes: Boiſili. — Felicis. — Matris S. Columbani. — *Beda vita c. 1. 6. & 10.* — S. Columbani. — Columbani iunioris. — Attalæ. — *Beda in vita.* — S. Patricij. — *Beda in vita lib. 1.*

Digitized by Google

eſt pollicitus. Multa eaque grauia vaticinando ſæpè ſuis prædixit, occultas Regis Hibernorum aliorumque cogitationes perſpexit. Quotheb-domadis Angelus eum compellabat; adeoque hæ frequentes illi reuelationes erant, vt fidem penè exſuperet narratio. Vidit inter alia cœlos apertos, & ipſum Dei filium maieſtate magna conſidentem, multiſque Angelorum millibus circumdatum. Quadraginta ipſis diebus in montis cuiuſdam vertice commorabatur, continenter orationi intentus, quo tempore plures & ſtupendas reuelationes habuit. Angelicæ porrò aliæque viſiones perfrequentes ei fuere: quæ quia numero plurimæ ſunt, hic tacitus præteribo; vnum hoc ſi dixero, apparuiſſe illi, non ſecùs atque olim Hebræorum ductori Moſi, Angelum in rubo ardenti, quem tamen flamma non adureret; nec non nocte à mortis eius die proxima Angelos illi funebres exequiarum ritus ſuauiſſimo vocum concentu perſoluiſſe, & Angelum omnibus, qui ad exequias illius vndique confluxerant, clara eſſe voce locutum. Euſtaſius Abbas Sancti Columbani diſcipulus cœlo monente didicit, fore vt aduerſarius ipſius anno euoluto ex hac vita tolleretur; rurſus, priuſquam ex hoc mundo migraret, alia illi facta reuelatio. Bertulphus Abbas ex ægritudine decumbens accedentem ad ſe conſpexit Petrum Apoſtolum, & repentè ſoſpitatem eſt conſecutus. Agibodus monachus, Sancti Attalæ diſcipulus, in raptu mortem ſibi imminentem cognouit, & qua inter cœlites don.ndus eſſet gloria. Stephano cuidam Sancti Arnulphi Epiſcopi ortum, ac futuram vitæ ſanctimoniam Deus præſignauit: eidem quoque Arnulpho, quæ pòſt euentura erant, patefacta cælitus ſunt; ſic & monacho cuidam factum à ſancto hoc viro miraculum innotuit. In vita porrò Abbatiſſæ Burgundophoræ cœleſtes planè refert viſiones, quas nonnullæ de virginibus monaſterij illius viderunt. harum vna Sanctum Euſtaſium Abbatem ad ſe breui acceſſurum in ſpiritu cognouit, eiuſque ope & precibus oculorum ſibi vſum, quo iam dudum caruerat, reddendum. Alia, Siſintrudis nomine, poſt quadrageſimum ſe moriturum prænouit diem; & ecce, ſeptimo & trigeſimo pòſt die duo ad eam delapſi de ſpiritibus cœleſtibus, animam illius ad ſuperna gaudia ſubuexerunt; ſed ipſa ad corpus denuo reuerſa viſa ex ordine narrauit ſodalibus, & poſt triduum ſe è vita exceſſuram. Tum verò rurſus ijdem ad ipſam acceſſere Angeli, animam ad cœleſtia deportaturi. quotquot autem illius præſentes adfuere exequijs, canentes audierunt Angelorum choros, à quibus carmen ſuauè modulantibus intra æterna tabernacula inuecta fuit.

*Lib. 2 vitæ.*

Euſtaſij. *Beda in vita.*

Bertulphi.

Agibodi. *Beda in vita.*

S. Arnulphi.

Burgundophoræ Abbatiſſæ monialium.

Siſintrudis.

Gibitrudis cùm pro Præpoſitæ ſuæ Burgundophoræ ſoſpitate Deo ſupplicaret, ex eo didicit tam ſe, quàm cæteras ſanctimoniales, Gibitrudis.



Digitized by Google

ante illam hinc emigraturas; hinc anima eius Angelorum miniſterio extra corpus educta, intra ipſum reduo redijt, & certum deceſſus ſui diem deſignauit. Erkentrudi de nocte apparens Angelus, monuit, vt ſacra Euchariſtiæ myſteria ſuſciperet. hæc morti propinqua, alterius monachæ arcanum, quod corde premebat, diuina reuelatione cognouit, ac modulantes coram ſe Angelos quàm frequentiſſimos audijt. Id ipſum harmoniæ Angelicæ melos & alij cuidam virgini à Deo ſubmiſſum teſtatur, cuius & ad aliorum adſtantium aures ſymphonia accidit. Alia à Deo ſe cœlis patentibus euocari conſpexit, & cùm, quam mater pro delictis actura pòſt eſſet pœnitentiam prædixiſſet, venientem ad ſe Saluatorem tum vidit, cùm iamiam in manus eius ſuam eſſet animam conſignatura. Domnæ, dum ſacroſanctam Euchariſtiæ menſam acceſſiſſet, in ore igneus quidam eſt globus à duabus dumtaxat viſus puellis, quæ id viſi miraculum non niſi in mortis ſuæ hora euulgarunt; qua veniente diem hæ integrum ſuauiſſimè iucundiſſimeque cantantes, & locum, in quo decumbebant, odoris fragrantia replentes, innoxias animulas creatori ſuo reddiderunt. Quiliſinda de exceſſu ſuo è vita alijſque rebus pòſt futuris facta certior, Pentateuchum Moſis, ſacrum Euangeliorum contextum, nec non aliquot è Diui Pauli aliorumque Apoſtolorum Epiſtolis in mortis hora exactè recitauit, cùm tamen nihil horum, dum viueret, memoria teneret. ſimul etiam omnium, qui in eo vixerant monaſterio, monialium cœlo iam receptas animas ad ſe deſcendentes conſpexit, quarum in comitatu cœlos peteret. Auditus dein non eo dumtaxat, ſed remotis etiam in locis Angelorum concentus. Leudebertam in reuelatione monuit Deus, vt ſacris Præſidis ſuæ conſilijs acquieſceret, quòd propediem corporeis eſſet vinculis exſoluenda: migrationis verò cùm iam tempus inſtaret, Principis Apoſtolorum Petri fuit viſione & alloquio recreata. Landebertæ iamiam vita egreſſuræ lectulo ſplendida quædam nubecula viſa eſt incumbere, & Angeli auditi modulari. De ſolis cœnobij illius virginibus hæc Beda, de quorum eſt fide minimè ambigendum. Idem quoque Beda in Iuſtini pueri & martyris vita, quam carmine deſcripſit, hunc prophetico donatum ſpiritu, & reuelante ait Deo ſciuiſſe, quo frater eſſet carcere concluſus, & hunc antè ſibi de facie ignotum, protinus agnouiſſe, & multa alia ſuis euentura temporibus inſpirante Dei ſpiritu prænouiſſe. Sancto Malachiæ Epiſcopo, (cuius, vtpote amiciſſimi, vitam Sanctus Bernardus contexuit) reuelatum eſt, quo ſororis nuper defunctæ res in alio mundo eſſent loco. Hic Edanum è diſcipulorum ſuorum numero in Epiſcopum aſſumpſit, quòd eum in viſione vidiſſet annulum digito præferentem: quare eum ipſe ad hanc dignitatem ſacrauit.

Erkētrudis. Domnæ. Quiliſindæ. Leudebertæ. Landebertę. Iuſtini Martyris. S. Malachiæ.

Sicarus

Digitized by Google

Sicarus Presbyter, qui & ipſe prophetiæ donum acceperat, cùm forte per locum, in quo Malachias agebat, tranſibat, eum, tametſi antea inuiſum, digito commonſtrans omnibus, En, inquit, ſanctus ille Præſul, quem in Hiberniam venturum vobis prænuntiaui, quique hominum nouit cogitata: Malachiæ porrò multa tum ſua, tum ſociorum, quibuſcum venerat, arcana reuelando detexit; prædixit quoque paucos illorum, qui aderant, ſecum vnde venerant redituros. nec caruit euentu prædictio. Sanctus hic Epiſcopus, quoddam moliens templum, cuius ædificium planè, prout ipſe conceperat, fieri ab operarijs non poſſe videbatur, illius ipſe ideã in ſpiritu vidit & inſignem, & capacem, & eius prorſus formæ, quali exſtrui id ipſe cupiebat; quare manus operi admoueri iubet, & ſecundùm impreſſas in raptu notiones, & exemplar ſibi cœlitùs monſtratum ſtructura aſſurrexit. Aliàs ſimile quid illi contigit, in quo non templum ſolùm, ſed & monaſteriũ integrum illi per ſpectrum exhibitum fuit: ad cuius formam illa ipſe conſtrui iuſſit. Per conſertam quamdam hominum multitudinem dum tranſiret, adoleſcentem vidit inter alios, qui efflictim eum videre connitebatur: tum ſancto fuit viro cœlitùs indicatum, quid adoleſcens hic ſe vellet, & quid huic futurum eſſet. Multa id genus alia huic obtigerunt, eximiaque ſunt per viſum oſtenſa, & de futuris euentibus reuelata. Huic ergo meritò S. Bernardus, è quo ſuperiora omnia mutuati ſumus, nec prophetiæ donum, vel miraculorum, nec cœleſtes defuiſſe reuelationes teſtatur. Non minora porrò quoad hæc de ipſo Bernardo dicenda occurrunt, ſi illius, quam Guilielmus & Bernardus Abbates conſcripſere vitam, conſulamus: eius namq; mater vterum dũ ferret, vidit in ſomnis, quemnã enixura eſſet filium, vt illi antè pius quidam vir, cui id diuinitùs oſtenſum erat, indicarat. Ipſi etiam iuueni reuelatum fuit, fratrem Gerardum lancea feriendum, ac deinde ad meliora conuerſum monaſticen ſecum profeſſurum. Idem verò Gerardus voce quadam diuina monitus fuit, vt loco quo vinctus tenebatur egrederetur, & cum fratre abiret. Vidit quoque adſtantem ſibi de nocte puerum miro fulgore conſpicuum, ac magna ſibi auctoritate præcipientem, vt ſine vllo prorſus metu & fiduciæ plenus diceret, quæ ſibi dicenda occurrerent. Alia nocte ingentem Angelorum vidit multitudinem, qui in ſuos diſtincti choros ſuauiſſimè eo modulabantur loco, quo deinde cœnobij constructa fuit Eccleſia. Multæ quoque illi animæ defunctorum apparuere, deque ſuo eum ſtatu ac ſalute docuerunt. Graui ex morbo cum decumberet, in ſpiritu ad thronum Dei raptus accuſantis ſe diaboli calumnias euaſit & illuſit. Alia exinde illi viſio miſſa, qua cognouit non ſe tum, cùm cogitabat, demoriturum: & alia rurſus haud ita multò poſt, in qua Deipara, Martyre Laurentio & S. Patre Benedicto comitata, manu caput & partem corporis malè affectam tangente, ſanitati priſtinæ fuit reſtitutus. Reuelabantur identidem illi fratrum etiam longiùs remotorum

Sicari. | Moritur anno Christi 1141. | S. Bernardi. Lib. 1. cap. 1. | Cap. 3. Gerardi. | Cap. 6. | Cap. 7. | Cap. 10. | Cap. 12. | Cap. 13.



Digitized by Google

torum tentationes, lapſus, morbi, ac denique interitus. Fuit, cùm videre ſibi viſus eſt duos, qui cum morte inſtante luctantes paternam à ſe benedictionem efflagitarent. Multa alia id genus inter orandum illi innotuerunt per viſum. vt alia omittam, vniuerſos ſacræ Scripturæ libros ſubtus ſe expanſos vidit & explicatos: piaculare verò pro ſancti Malachiæ anima ſacrificium celebranti indicatum eſt, illam cœlicis perfrui gaudijs, & quam de fidelibus defunctis lecturus erat, collectâ omiſſâ, eam quæ de ſanctis Epiſcopis legi conſueuit, legere orſus eſt. Quos præter hæc raptus & mentis exceſſus pateretur, hinc fit manifeſtum, quòd ſæpè extra ſenſuum poteſtatem ac ſuiipſius impos eſſet. Vnum huic rei teſtandæ exemplum ſatis ſit: Cùm enim die toto in lacus Loſannenſis ac Geneuenſis ripa iter habuiſſet, oculos ad eumdem etſi longum ac latum non reflexerat, donec tandem ſocijs inter ſeſe de illo loquentibus, ex ijs percunctatur, vbinam locorum agerent. Plura qui noſſe volet, tam quoad S. Bernardi, quàm aliorum ea tempeſtate virorum ſanctorum reuelationes, quartum ſimul & quintum de vita illius librum adeat. Eadem tempeſtate florebat S. Eliſabetha, cœnobij Sconaugienſis Antiſtita, ſanctitate illuſtrationibuſq; diuinis notiſſima: interuiſebant eam namq; frequenter & ipſe Redemptor Ieſus, ac cœli terræq; regina, nec non ſanctus Ordinis auctor Benedictus, & potiſſimùm Angelus tutelaris. Erat illi ſolẽne Dominicis feſtiſq; diebus extra ſe rapi, & obſcuriſſima S. Scripturæ ſenſa clariſſimè exponere. De S. Eliſabetha Spalbecenſi hæc ſcriptis prodidit Abbas Bloſius: *Puriſſima hæc virgo ſepties quotidie ita rapiebatur in Deũ, vt nullus ſenſus, nullus motus, nullus flatus in ea appareret: totum enim corpuſculum illius prorſus obrigeſcebat, nec vlla pars eiuſdem ſacri corporis tunc moueri poterat, quin in totum corpus moueretur.*

*Lib. 2. c. 3.* — *Lib. 4. c. 4.* — *Lib. 3. c. 1.* — Eliſabethæ Sconaugienſis. — *Monil. ſpir. c. 2.*

S. Dominici.

Illuxerunt deinde ſplendida illa orbis luminaria Dominicus & Franciſcus, in quibus admiranda etiam diuina operata eſt manus, quæ quòd pleriſque nota ſint, nonnulla paucis attingere ſatis fuerit. Dominicum mater cùm eniteretur, cœlitùs edocta fuit, ecquis futurus aliquando eſſet: nam etiamnum prægnans diuino in ſomno geſtare ſibi viſa eſt catulum ardentem ore facem præferentem, qua vniuerſum ille orbem videbatur ſuccendere: quæque eum de ſacro fonte ſuſcepit matrona, vidit in iam abluti fronte ſtellam collucere, à qua totus qua patet orbis illuſtrabatur. Romana is ipſe in curia cùm ageret, Ordinis abs ſe inſtituti confirmationem ab Innocentio eius nominis tertio Pontifice petiturus, vidit in ſomnis Pontifex, Baſilicæ ſancti Ioannis Lateranenſis iam collabaſcenti hunc humeros ſubijcientem Dominicum. Idem Patriarcha cùm in Vaticana S. Petri Baſilica Romæ precibus vacaret, venientes ad ſe conſpexit glorioſos Apoſtolorum Principes Petrum & Paulum, à quorum illo baculum, ab hoc codicem accepit, & ad Euangeliũ per orbem diuulgandum miſſus eſt, ad hoc ipſum ſingulari quadam ratione à

*S. Antonin. in 3 p. hiſt. tit. 24. c. 4.*

Deo

Digitized by Google

Deo ſegregatum dictitantibus. Eodem quoque loco ſuos in ſpiritu vidit Fratres binos per orbem ad euangelizandum gentibus diſcurrere. Atque vt, quoad ſacri huius inſtituti (quod hactenus ſemper Eccleſiæ rem adeò gnauiter fideliterque geſſit) confirmationem reuelatione quadam à Deo fuit illuſtratus; ſic, dum de veſtis aſſumendę genere ſecum ipſe deliberaret, ipſa Deiparens Maria Reginaldo viro religioſo ſe ſpectandam dedit, ipſi tum amiſſam valetudinem reddens, tum habitum, quo etiamnum hodie Ordo vniuerſus vtitur, deferens. Futura adhæc multa prophetìcè præſciuit & prædixit. Quodam etiam in itinere Angelum habuit comitem. Noctes cùm precando inſomnes duceret, infeſtum ſæpè cacodæmona patiebatur, tum quoque multa illi reuelata ſunt. Quoties ſalutaris in ſacrificio Miſſæ eleuabatur hoſtia, ſæpiùs extra ſenſuum poteſtatem abripiebatur. Morituro denique ipſe Chriſtus eiuſque mater clementiſſima adſtitere: tum quoque fratribus duobus, qua diuinus hic ipſorum Pater in cœlo perfruebatur gloria fuit manifeſtata. S. Franciſco ſub vitæ ſuæ ſpiritualis primordia videre datum eſt amplum quoddam ſpecioſumque palatium, militaribus armis cruce ſignatis refertiſſimum; petenti que, quorum omnia futura eſſent, Chriſtus reſpondit, Tua & commilitonum tuorum. Non multò pòſt tempore oblata illi noua reuelatione, prior illa fuit ei viſio declarata, & ab itinere, quod inſtituerat, inſigni quadam pollicitatione ſibi à Domino facta, fuit reuocatus. In alio raptu cruci confixum Redemptorem conſpexit, cuius deinde amara paſſionis recordatio animæ illius quodammodo inſculpta manſit. Apparens illi etiam è cruce Redemptor, ſuam vt domum fatiſcentem repareret, imperauit. In Eccleſia ſua, quam ſanctæ Mariæ de Angelis vocitauit, iam inde ab eius exordio, frequentiſſimè ab ipſis fuit compellatus. S. Bonauẽturam cœperam percurrere, Franciſco factas reuelationes, ab eodem conſcriptas, inde depromturus; ſed eas adeò frequentes & eminentes, & non ipſi modò, ſed & ſo ijs eius oblatas comperio, vt in rebus paſſim cuique notis adeò prolixus eſſe non auſim. Celebres illæ duæ inſtar erunt omnium: prima, qua apparens illi Seraph Dominicorum ſtigmatum corpori eius impreſſit veſtigia; altera, qua plenariam peccatorum indulgentiam illi apparens Saluator indulſit omnibus templum Portiunculæ Kal. Auguſti adituris; vt alias, quæ hoc afferri loco poſſint, permultas prætermittam. Verùm quid eas neceſſe eſt afferre, cùm ſui eum collegæ ſæpè in extaſibus ſublimem in aëra, etiam corpore ſublatum, viderint. His porrò S. Bonauenturæ verbis huic de S. Franciſco tractationi finem imponã: *Suſpendebatur multoties tanto cõtemplationis exceſſu, vt ſupra ſemetipſum raptus, & vltra humanum ſenſum aliquid ſentiens, quid ageretur circa ſe exteriùs, ignoraret. Tranſiens namque ſemel per Burgum ſancti ſepulcri, caſtrum vtique populoſum, pro debilitate corporis ſubuectus aſello, obuias*

S Franciſci

*S. Bonau in eius vita, c. 1.*

*Cap. 2.*

*Cap. 5.*

*S Bonau. vit. S. Frãciſci c. 20.*

Digitized by Google

*nias habuit turbas in eum præ deuotione ruentes. Tractus autem & detentus ab eis, compressus quoque & multipliciter attrectatus, insensibilis videbatur ad omnia; & velut exanime corpus de ijs quæ fiebant circa ipsum nihil penitus aduertebat. Vnde cùm iam diu transito castro, turbisq; relictis, peruenisset ad quoddam domicilium leprosorum, quasi aliundè rediens, cælestium contemplator, sollicitè requisiuit, quando ꝓpinquarent ad Burgum. Mens quidē ipsius in cælestibus fixa splendoribus varietates nō senserat locorum, nec temporum, nec occurrentiū personarum. Quod ipsi accidisse frequentiùs sociorum eius experientia multiplex cōprobauit.* Hactenus quidē Bonauētura: capite verò proximo plurimas illi factas de futuris rerum euētis reuelationes ex ordine recenset. Si verò de vtriusque huius Patris filijs sermonem texere vellemus, ecquando tandem finem haberet narratio? De sancto Petro Martyre inquam, cuius in cubiculum frequenter sanctæ de cœlo virgines illabebantur, quicum de ligno loquebatur Christus, cui denique facienda rerum arbiter Deus præsignabat. De illustrissimo quoque ac sanctissimo Doctore Thoma Aquinate, cuius sanctus Antoninus animam ita in Deum absorberi solitam scribit, quasi corpore ille carnali caruisset, quod remoram raptui iniiceret; sæpè quoque illum inter tremendorum mysteriorum celebrationem in exstasin rapi consueuisse, ad hæc SS. Petrum & Paulum illi perobscuri alicuius in Scriptura loci sensum declarasse, quin etiam è cruce manifestè à Domino Iesu illum compellatum, confirmatumque, bene se de augustissimo sanctissimi corporis & sanguinis ipsius Sacramento scripsisse; permultas quoque beatas illi mentes apparuisse: cui nimirum, vt summatim complectar omnia, adeò facile & solitum erat in oratione extra se ferri, & à sensu auocari, vt quotiescumque aut vellet, aut videretur, hunc mentis excessum pateretur. Vincentij Ferrerij sanctitas futura parentibus, etiam antequam in lucem ederetur, à Deo fuit declarata. Ipse autem Deiparam vidit Virginē, quæ quasdam cacodæmonis technas illi detexit. Hunc ægrum Redemptor Iesus multis succinctus Angelis, & Sanctis Patribus Dominico & Francisco stipatus, inuisit, vtque per orbem euangelizaturus discurreret, indixit, necnon præter redditam valetudinem multis eum gratijs cumulauit. Fuit, cùm & sanctus Dominicus illi apparuit, miro fulgore resplendens, deque multis eum rebus magni momenti edocuit. Matris & mortem & gloriam à morte absens ipse cognouit, vti & defunctæ deinde sororis. Reuelata insuper illi multa sunt eorum, quæ pòst erant euentura, & ea quidem grauia. De S. Catharinæ Senēsis Virginis reuelationibus longè fuerit satiùs penitùs tacere, quā pauca dicere; imò nec pauca quidem afferenda sunt, cùm in penè omnium manibus versentur dialogorū illius libri quibus factæ à Deo illi reuelationes continentur; & vitæ eius historiā tot tamque admiranda, cùm de illius cum Domino Iesu familiaritate, tum de ijs quas ab eo recepit gratijs & prærogatiuis, conscribuntur, vt apud mundanum spiritum habentes fidem vix inuen-

*S. Antonin. in vita S. Dominici.*

S. Petri Martyris.

S. Thomæ.

S. Vincentij Ferrerij.

*F. Petrus Rans. in vita S. Vincenty. Lib. 1. c. 2. Lib. 2. ca. 4. Lib. 3. c. 11.*

S. Catharinę Senensis.

Digitized by Google

inuentura ſint. Qui verò de glorioſæ ſanctæque illius familiæ Sanctorum viſionibus illuſtrationibuſque ſcire plura volet, Leandri Elogia, quæ de illuſtribus Ordinis huius viris feminiſque concinnauit, & quæ Ioannes Gerſon ſcripto prodidit, conſulere ne grauetur, atque inprimis generalem illius hiſtoriam, quam pietate & doctrina magnus F. Fernandus Caſtellanus non minùs religioſam, quàm eloquentem, veram, & omnibus numeris abſolutam euulgauit.

Si verò glorioſi Patris Franciſci familiam, in paupertate quidem & humilitate Chriſti opulentam, ſed tot virorum ſanctitate & ſcientia illuſtrium altricem excutiam; quamprimum, & ante omnes occurret B. Antonius de Padua, in quo prophetiæ ſpiritus adeò manifeſtè eluxit, vt multa futura prædixerit, intimaque multorum arcana patefecerit, quæ nonniſi diuina illi innoteſcere reuelatione poterant. *p. . Chron. Ord. Min. Lib.5. ca 9. & ſeqq. S.Antonij Patauini.* Redemptor Ieſus, in puerculi rutilantis ſpecie, libro illius inſidere non dubitauit, nec amplexus vlnarum eius eſt dedignatus; quin & reuelatione deinde cognouit, hoſpiti ea ſuo omnia patuiſſe. Huic quoque epiſtolam quamdam attulit Angelus, *Lib.6.ca.4.* & reſponſum ad eamdem retulit; mortuus verò Abbati Vercellenſi ſe videndum dedit. S. Bernardus, primus S. Franciſci diſcipulus, ſæpenumerò *S.Bernardi ord. Minor.* per montium auia ſolus ferebatur, à Spiritu ſancto conductus, inq; Deum raptus; ac tam iter faciens, quàm domi agens, illuſtres animi patiebatur exceſſus. hinc de rebus pijs & ad Deum ſpectantibus cum illo perlibenter Franciſcus agebat: vnde & factum eſt, vt ſæpè ambo intra ſiluarum abdita reperti ſint præ ſanctorum colloquiorum dulcedine ac corpore abſtracti. Sancto Miſſæ ſacrificio quadam vice cùm adeſſet, ad horam vſq; nonam ita extra ſe raptus fuit, nullus vt in eo ſenſus & motus appareret. F. Leoni, eiuſdem Patriarchæ ſocio, huius fuit ſanctitas multis viſionibus indicata; *F.Leonis. Lib.6 c.16. Lib.8.c.13.* hinc & à morte glorioſum illum conſpexit: vtque alias ſilentio pretercam, oſtenſum illi in ſpiritu extremum & generale fuit iudicium, cui Redemptor Ieſus vt iudex, innumeris Angelorum adſtantibus myriadibus, & glorioſiſſimo Patre præſente Franciſco præſidebat. Quid de FF. Iunipero, Chriſtophoro, AEgidio dicam? *F. Iuniperi. S. Chriſtophori. F. AEgidij.* Ad quorum viſiones & apparitiones ſingillatim enarrandas, cùm temporis huius breuitas non ſufficiat, de horum poſtremo ſatis fuerit dicere, illuſtrem illi quamdam de Deo viſionem, quæ admirabiles in animo eius effectus impreſſit, obtigiſſe. Inde enim factum eſt, vt, ſi quis illi de diuino amore faceret, aut de cœleſti *Lib.7. c.11.* gloria mentionem, illicò extra ſe raperetur, ac ſenſus omnis expers manens ceu mortuus haberetur. Quod cùm in vulgus iam emanaſſet, illi, quoties in publicum prodibat, paſtores & pueri periculum facturi occlamabant, Cœlum F. AEgidi, cœlum: ad quæ ipſe verba velut attonitus ac ſtupens, quietus in loco hærebat & ſui impos: vt, quoties de rebus pijs ſermo incidiſſet, ſedulò cauerent Fratres, ne qua cœleſtis gloriæ apud illum



Digitized by Google

illum mentio à quoquam fieret, ne amica illius conuersatione ac præsentia in superna illo sermone rapiendi frustrarentur. Vrbe, in qua sancta Clara cum suis commorabatur, ab hoste obsessa, cœlo ipsa reuelante cognouit, nullum sibi aut monialibus, nullum vrbi ab hoste malum illatum iri. Nocte natalis Dominici visus illi in mentis excessu pauperculo in præsepio Iesus paruulus reclinatus. Sermonem quoque cum sancto Francisco dum miscet, alter ex alterius fuit colloquio in Deum præ consolationis vbertate abreptus. Nefas hic fuerit silentio præterire, (tametsi breuitatem secter) Beatam Coletam Ordinis à sancta Clara olim instituti reformatricem. hæc cùm in oratione versaretur, visa sæpè est in aere sublimis, & igneum ore vaporem exhalare, vt vniuersum illius conclaue æstuare & scintillare videretur. Vidit illam Vincentius Ferrerius Deo quàm feruentissimè pro hominibus supplicantem, atque hunc illi familiariter ad postulata respondentem; quam vt coram videret & alloqueretur, ex Arragonia in Galliam transire non dubitauit. Huic etiam beata Anna cum filijs ac nepotibus apparuit: hanc etiam aliàs pro se vidit orantem, & suas aureo in vase Deo orationes offerentem. Sacrum quoties Eucharistiæ mysterium sumeret, animi deliquium sensuumque patiebatur: idipsum quoque illi frequens erat, cùm pius aliquis de Deo sermo apud ipsam incidisset. Sacerdos cùm illi communionem, hostiam consecrandam assumere nolens, negaret, descendens cœlo CHRISTVS suum illi corpus sumendum porrexit. Horrendas easque frequentes spirituum malignorum specie visibili infestationes passa est. spiritu donata fatidico multos edocuit, quæ ipsos scire intererat, multos etiam futura. Notus erat illi, eodem operante spiritu, omnium quibus præerat monasteriorum status, & occultæ suarum à dæmone impugnationes: denique mortis illi fuit dies, priusquam adesset, præsignificata. Sicut autem de vtriusque religionis sanctis, si modò temporis id sineret breuitas, & id ipse necessarium existimarem, dici plura potuissent, ita de aliarum viris illustribus similia dicenda occurrerent, si ipsarum euolueremus annales & prisca monumenta; sed ea, quam dixi, quò minùs id fiat, impedit ratio.

*S. Claræ.*

*Coletæ. Vitam eius scripsit Stephanus Iuliac & refert eã Sur. tomo 7. in Aprili.*

Pedem ergo nonnihil referamus, & ad sanctorum Dominici & Francisci tempora, à quibus parumper deflexeramus, quò de ipsorum filijs aliquid proferamus, retrò rursus delabamur. Haud multis post ipsorum ætatem annis floruere sancta Gertrudis Abbatissa, ex inclyta S. Benedicti familia, & S. Mechtildis, quæ vno eodemque vixit tempore & loco, quibus multæ eæque singulares obtigere reuelationes, quibusque sæpiùs à Redemptore Christo, familiariter apparente, è corporea præsentia communicata consolatio, vti licet è libris ea de re editis animaduertere, qui etiamnum hodie exstant, & magnum attentè matureq; legentibus

*S. Gertrudis & Mechtildis.*

tibus fructum afferunt. Illuſtris verò Abbas Bloſius illarum reuelationes tanti facit, vti ex illis, ceu auro & gemmis pretioſis non minimam libri, quem Monile ſpirituale nominauit, partem contexuerit. S. Gertrudis præſertim reuelationes tam ſunt frequentes, itaque ſublimes & familiares, vt eodem ipſe Bloſius libro dicere non vereatur, niſi ſcirent homines infinitam Dei eſſe potentiam & bonitatem, vix fieri poſſe videri, familiariùs Seruatorem Ieſum cum matre ſua in terra & amiciùs eſſe conuerſatum. In Gertrudis huius etiam cœnobio plurimę virgines clarebant ſanctimonia inſignes, quibus non paucas factas reuelationes colligere eſt è primo Inſinuationum libro cap. 3. 4. & alijs, libro ſequenti capp. 5. & 13. & libro 5. plurimis iam inde ab initio capitibus. Non eſt autem cur curioſus aliquis temporum & rerum indagator miretur, quòd ſanctas haſce virgines Dominico & Franciſco coæuas faciam. Sciat enim, non eamdem hanc eſſe Gertrudem cum illa, cuius ad ſextum Aprilis diem in Martyrologio memoriam conſignat Beda, neu cum illa, cuius Surius & Martyrologium Romanum, & Vſuardi in 17. Martij diem volunt feſtum incidere. nam quam Surius & Vſuardus deſignant, in cœnobio Niuellenſi (Brabantiæ id opidum eſt) Antiſtitam egit: hæc verò quam hîc noto, in cœnobio Helffedienſi Islebij (Comitatus Manſfeldici ciuitas eſt) Abbatiſſa præfuit, claruitque Rodulphi Imp. temporibus: quo enim ille die & hora ad Imperium electus fuit, hanc ipſa, quamquam diſtaret longiùs, præſignauit, vti è tertio primi de vita eiuſdem libri capite legere eſt. Imperare autem Rodulphus cœpit anno Redemptoris MCCLXXIII. vt quidem Matthæus Palmerius Florentinus in ſua ſupputat Chronologia: deceſſit verò ex hac vita Franciſcus eiuſdem ſeculi anno 26. & triennio ante hunc Dominicus. Denique poſt D. Dominici & Franciſci tempora illam vixiſſe, liquidò colligitur è quarti Reuelationum eius libri capite LII. Ijſdem etiam temporibus claruit ſancta Angela de Fulgino, è tertio D. Franciſci Ordine, hiſce Dei donis & gratijs, de quibus loquimur, notiſſima, vt è vita eiuſdem, quam F. Arnoldus ex Ordine Minorum conſcripſit, & lingua etiam Caſtellana exſtat, quamque ingenti nemo ſine admiratione & ſtupore legat, ad oculum patebit.

*Sub finem.* *Inſinuationes S. Gertrudis.* *Angelę Fulginatis.*

Sancto Patri Dominico in vniuerſali Ordinis regimine ſucceſſit F. Iordanus vir ſanctitate celebris, eique æqualis fuit ſancta Lutgardis ex eodem ſancti Benedicti ordine, cui etiamnum paruulæ apparens Dominus, ſacri lateris ſui plagam velut ſanguine ſtillantem oſtendit: viſa illi deinde S. Catharina virgo & martyr, quæ eam eſt maiorem in modū conſolata. Sępenumerò ſe Redēptor illi ſpectandū dabat, & cum ea ſermonē conferebat, & quæ illi faciēda erāt, manifeſtabat. Deiparę quoq;, aliarūq; Sanctarū pio ſæpe eſt conſpectu recreata. Non rarò illi etiā apparuerunt animæ tam igni

*S. Lutgardis.* *F. Th. Cantipr. tribus quos de vita eius compoſuit libris, & Surius die 16. Iunij hos refert.*

 pur-

purgatorio adiudicatæ, quàm eodem ipsa deprecante egredientes, aliæ item cœlo receptæ: multa quoque illi circa futuros casus è cœlo sunt manifestata. E morbo, quo etiam exstincta est, decumbens, quinta ante augustissimæ Trinitatis festum feria cœnobium ipsum Angelis, multisque Sanctorum ac sanctimonialium, quæ in eodem olim vixerant, animabus cœli iam gloria fruentibus repletum conspexit: vnde factum est, vt die sequenti toto miram sit mentis alienationem passa, & sabbatho proximo corporeo hoc carcere soluta.

S. Brigittæ. Successit his sancta Brigitta vidua, cuius reuelationes numero plurimæ sunt, & familiaritas cum diuina maiestate maxima. testimonio sit ingens illud volumen, in quo reuelationes illa suas & raptus omnes ex ordine commemorat. Haud multò eam pòst secuta est Catharina filia, quæ etiam miris decorata fuit visionibus & prophetiæ dono. Porrò de harũ quatuor sanctarum, quarum iam antè memini, Gertrudis, Mechtildis, sanctę Catharinæ Senensis, ac Brigittæ reuelationibus hocce perhibet Blosius ad Monilis spiritualis calcem testimonium: *Reuelationes prædictis fœminis factæ toti orbi innotuerunt, & à pijs eruditisq; viris iam olim fuerunt approbatæ: nam & sancti Patres passim eas citant in scriptis & libris suis.*

S. Catharinę filiæ.

S. Brigidæ.

S. Liduinæ. Sancta Liduina virgo Angelum custodem aliosque de cœlestibus spiritibus persæpè alloquebatur, eosque de nomine singillatim nouerat, & quorumnam ipsis esset concredita custodia. Apparuit illi quoque diuersis in figuris ipsemet Seruator Christus: reuelatum illi adhæc fuit permultas se deprecante animas in supernam gloriam è purgatorio inuectas, patrem quoque suum eadem iam potiri. Secreta cordium in plurimis ei innotuerunt: sępè etiam in spiritus excessum rapiebatur, ac tum ita sensum omnem amiserat, vt quodam tempore huiusmodi in raptu carnem & partem costæ adusserit, nec adustionem senserit. Alias quoque passa est mentis alienationes, quibus durantibus Romam, Hierosolymam, aliaque ad loca sanctitate illustria in spiritu ferebatur; dein ad se reuersa singillatim & accuratè, quæ in ijs viderat mira, adstantibus referebat. Hanc, priusquam de ærumnosa vitæ statione decederet, Redemptor Iesus vnà cum matre sua carissima, Apostolisque interuenit. illius denique iam demortuæ gloria & salus tam confessario, quàm alijs nonnullis à Deo fuit patefacta. Eadem tempestate pius in Ægypti eremo anachoreta floruit, Gerardus nomine, cui etiam mirabilia cœlitùs reuelabantur; & in Italia S. Laurentius Iustinianus Venetorum Patriarcha: cui adhuc puero diuina se Sapientia per visum, in speciosissimæ virginis specie, spectandam dedit, se vt in sponsam seligeret, inuitans. Prophetiæ prætereà nactus est spiritum, & multa longè antè quàm contingerent euentura prænuntiauit. Ipsa Natalis Dominicæ nocte paruulum IESVM in præsepio conspiciens diuturnum excessum passus tum quidem est, vti & propè semper, quoties diuinum Missæ offi-

*F. Io. Burgman. in vit. quã refert Sur. tom. 7. in Martio.*

Gerardi eremitæ.

Laurentij Iustiniani. *Bern Iustinian. in vita, quam refert Sur.*

officium celebrando, ſacroſanctum conſecrationis opus iam peregiſſet. Quodam tempore in Eccleſia Cathedrali diuinam rem faciens, alienatus à ſpiritu, ſanctimoniali cuidam venerandum Chriſti Domini corpus detulit. Beatus quoque Franciſcus de Paula, Minimorum auctor, propheticis fuit reuelationibus donatus.

*S. Franciſci de Paula Leo X. in bulla canonizationis.*

Vt verò alios non ita celebres ac notos omittam, & ad noſtra tempora propiùs deſcendam, B.P.N. Ignatius de Loiola, Societatis IESV auctor & parens, etiam ſæcularem agens vitam, æger in lectulo decumbens, Apoſtolorum Principem Petrum in viſione conſpexit, atque exinde in alium cœpit paulatim mutari virum. Apparuit eidem haud multò pòſt Deipara mater paruulum ſuum IESVM vlnis geſtans, miro ſplendore nitens: quæ quidem viſio vtcumque diuturna fuit, & in eadem caſtimoniæ ipſe eſt gratiam à caſtorum regina conſecutus. Manreſæ mirificum de Auguſtiſſimo SS. Trinitatis myſterio lumen menti illius affulſit, nec non magnus pietatis rerumq; diuinarum ſenſus inditus, qui tota deinceps vita illi perpetuus fuit. Aliàs ſacra Miſſarum myſteria dum aſcultat, clarè animo illius repræſentatum eſt, quo ſub ſpeciebus panis modo verum Redemptoris noſtri Ieſu Chriſti corpus contineretur. Eodem quoque modo ſæpiùs ſacram Ieſu Chriſti humanitatem, & interdum glorioſam eius mortem coram ſe ſpectauit. Alia in ecſtaſi magnam illi rerum tum fidei noſtræ, tum ad ſcientias humanas ſpectantium notitiam Deus inſpirauit. Atque hæc quidem ſub conuerſionis illius exordia, ac tum etiam octo ipſis continenter diebus à ſenſibus auocatus manſit, diuina ſe interim præſentia illi commodante, idque multis inſpectantibus (quippe in templo publico exanimis iacebat) ita quidem ſui impotens, vt, niſi de adſtantibus quidam venarum pulſum explorans, & leuem in corde palpitationem percipiens, viuere virum aſſeruiſſet, terræ velut exanimem mandaſſent. Romam cum ſociorum nonnullis dum peteret, & in proximo vrbi ſacello preces funderet, Pater illi æternus apparens ſuo illum & ſocios filio crucem humeris baiulanti quàm diligentiſſimè commendauit, à quo velut ratam commendationem habenti ilicò audijt, *Romæ vobis propitius ero:* vnde & familiæ abs ſe inſtitutæ Societatis IESV nomen deinde impoſuit. In monte Caſſinenſi cùm ageret, animo à ſenſibus alienatus vidit vnius è ſocijs animam luce clariſſima circumfuſam, eamque inter Angelorum manus euectam ad paradiſi gaudia peruolare. Cumque ad Miſſæ ſacrificium aliquantò pòſt ſe conferret, atque in concipienda generalis confeſſionis formula omnes ritè cœlites, *& omnibus Sanctis* dicendo, inuocaret; ſplendidiſſimum Beatorum agmen eius repentè ſe aſpectibus obtulit, ſocio (Hozius ei nomen) ſic coruſcante, vt exuperantia fulgoris ac lucis ſecerneretur à cæteris. Euentura ſuis pòſt temporibus plurima diuina illi prouidentia patuerunt, vt & arcana ita abdita, nulla vt naturali ea ratione cuiquam perſpecta eſſe poſſent. Præter

*B. P. Ignatij. Ribadeneira in vita, lib. 1. c. 1.*

*Cap. 2.*

*Cap. 7.*

Viſio, qua declaratũ, quomodo Chriſti corpus vere ſub ſpeciebus lateat.

Octiduò raptus.

*Lib. 2. c. 12.*



Digitized by Google

eas, quas dixi, reuelationes multa tum illi reuelata ſunt, cùm Societatis Conſtitutiones & viuendi formulam conſcriberet.

B. Franciſci Xauerij.

Franciſco Xauerio de primoribus Ignatij ſocijs vni videndum ſe dedit B. Hieronymus, qui & virum eſt conſolatus, & quid ſibi futurum erat, declarauit. Inter precandum quoque tanta interdum illi de cœlo conſolationum affluentia affundebatur, vt cùm eam humani cordis non caperent anguſtiæ, gaudio abſorptus, & ebria mēte exclamaret, Aut vitæ filum, Domine, abrumpe, aut conſolationum vbertatem inhibe: neque enim has ferre poſsim, & te coram non cernere. Spiritus propheticus illi, ſicui vnquam datus eſt ampliſsimè: mira multa prædixit, interdum etiam cogitationum abdita perſpexit. Inter celebrandum, Deo declarante, cognouit, quemdam magno locorum interuallo diſiunctum animam agere; quare ad aſtantem populum conuerſus, precibus omnium exſpirantem commendauit. Inter dicendum ad populum Malacenſem abſens Chriſtianorum vidit ex Saracenis nauali bello victoriam. Alia quoque id genus non pauca de ipſo circumferuntur. Si verò Societatis noſtræ hominibus oblatas hic viſiones referre propoſitum haberem, quorum aliquos ipſe etiam familiariter noui, nouam contexere opus eſſet hiſtoriam; quòd permultæ eæ ſint, & varijs in orbis pratibus contigerint. Qui factas Beatis Patribus F. Ludouico Bertrando & F. Petro Nicolao Factori reuelationes, illorumque prædictiones noſſe deſiderat, ipſorum vitæ hiſtoriam iam abhinc paucis annis contextam adeat; illius quidem cap. 15. huius verò à capite 32. vſque ad 43. Nemo verò in animum inducat credere, hic eas deſijſſe & ceſſaſſe; cùm hodie multa id genus admodum frequentia ſint. quin nonnullis ipſe noui non minùs commemoratione digna obtingere, quàm quæ de alijs ſuprà ſingillatim expoſui. In his porrò recenſendis opinione fui prolixior; tametſi nimis quàm pauca attulerim, ſi quæ dici poſſent, conſideremus. Nulla namque propè ſancti alicuius edita eſt vitæ hiſtoria, in qua non ſimile quid occurrat; adeò vt quæ dicta ſunt hactenus, nihil eſſe videantur, tametſi ea ipſa extendere longiùs potuiſſem: nam ſtudio ac data opera multa ſuccinctè comprendere ſum conatus. Quòd verò plus æquo varia ſim per exempla exſpatiatus, id eius, quod initio propoſueram, probandi ſtudio factum puta, nunquam ſcilicet iam inde ab Apoſtolorum temporibus, & poſtea ad hodiernam vſque diem hæc Dei dona in Eccleſia Catholica defeciſſe aut deſijſſe. Etſi verò plurimi tot tamque varijs argumentis & exemplis ad hocce credendum opus non habeant; ea tamen nonnullorum in non credendo futura pertinacia, vt etiam illos mihi veriſimile ſit ſuum poſt tot tamque aperta teſtimonia errorem non depoſituros. Ex ijs porrò, quæ hactenus produximus, duo eruere licet: Primum erit, neminem vnquam Sancti alicuius vitam ſcripto prodidiſſe, qui non quas noſſet ijs cælitus oblatas reuelationes, & priuatas à Deo gratias

B Xauerius fauores diuinos erga ſe minui optabat.

B. Ludouici Bertrandi. B. Nicolai Factoris.

Qui Sanctorum vitas ſcripſere, ſemper re-

tias acceptas litteris mandarit. hinc ſi in vita Beatæ Matris Tereſæ de IESV ſcribenda id ipſe omitterem, à communi ſolennique cunctorum ſanctorum Patrum, & omnium, quotquot hoc ſcriptionis genus vſurparunt, conſuetudine deflecterem, tum verò hiſtoriæ fidei & integritati aliquid defuiſſet, multoque magis in Deum ipſum iniurius exſtitiſſem, mirificas illas prætermittendo gratias, quas ſanctæ huic Matri viſum eſt communicare, hacque illum fruſtrando gloria ac laude, quam hoc in eum nomine non iniuria effudiſſent, quotquot harum aliquam notitiam habuiſſent. Ita etenim id ipſe Redemptor IESVS famulæ ſuæ Gertrudi reuelauit. nam cùm quas ei communicârat gratias, ſcripto vt ederet, in mandatis daret; ipſa verò ſatis eſſe cenſeret eas oretenus ad proximi vtilitatem enarraſſe, etſi ſcripto non committeret, *Dominus*, inquit, *obiecit verbum illud, quod ipſa nocte ad matutinas audieram lectum: Si Dominus doctrinam ſuam præſentibus tantùm dixiſſet, dicta tantum eſſent, non ſcripta. ſed nunc etiam ſcripta ſunt propter plurimorum ſalutem.* Et addidit Dominus, *Certum diuinæ pietatis meæ teſtimonium volo habere in ſcriptis tuis his nouiſſimis temporibus, in quibus diſpono benefacere multis.* Cùm verò aliàs eadem ſecum Gertrudis animo volueret, ecquem hæc ſua afferre ſcripta fructum hominibus poſſent; cogitationibus ſuis reſpondentem Dominum audijt: *Et quid tibi vtilitatis videtur prouenire ex ijs, quæ de Sanctis meis leguntur, niſi vt legentium audientiumque augeatur deuotio, & erga humanum genus pietas mea reueletur?* Subiungenſq;, *Pari*, inquit, *modo aliquorum poteſt accendi deuotio ad eorundem deſiderium, quæ de te legunt, accepiſſe ex me, conſiderantium gratiam ac liberalitatem bonitatis meæ, qui ſubinde ſtudebunt ſuam mutare vitam ad meliora.*

uelationum eorum aliquam mentionem fecerunt.

Cur reuelationes ſcribi velit De⁹.

*Lib. 2. c. 10.*

*Lib. 1. c. 16.*

Aliàs cùm non parum ſecum ipſa miraretur, cur hæc litteris mandari tantopere Deus vellet, quòd defuturi non eſſent permulti, qui non modò nihil inde ſumerent ædificationis, verùm etiam econtrà vilipenderent, & calumniarentur; reſpondit illi Altiſsimus: *Ego meam gratiam tali modo in te poſui, vt magnum inde fructum exigam. Quare vellem eos, qui ſimilia dona habentes, per negligentiam paruipendunt, cùm de te hæc audierint, admonitos fore, quò etiam ipſi collata ſibi dona agnoſcant, atque in gratitudine (vnde mea in illis gratia augetur) creſcant. Porrò, ſi qui maligno corde maluerint ea calumniari, peccatum illorum ſit ſuper eos te immuni perſeuerante, &c.*

*Ibidem.*

Alterum, quod è dictis colligitur, eſt, nemini aut noua aut peregrina videri debere, quę de reuelationibus, viſionibus, raptibus, ecſtaſibus, vel prophetijs hic traduntur; cùm tempore Apoſtolorum adeò fuerint hæc ipſa frequentia, nec ab eo die ad vſque hodiernum in ijs vmquam defecerint, qui vel maiorem in diuino obſequio feruorem, vel eminentiorem in vita ſanctitatem prætulerunt. Nec etiam mirari quempiam debere, noſtris eadem fuiſſe crebra temporibus, & etiamnum eſſe, cùm eadem Deo modò ſit liberalitas ac bonitas, quæ fuit ſemper, nec minùs eoſdem poſſit

hodier-

Digitized by Google

hodierna die concedere fauores, & concessurus sit ijs, qui ijsdem recipiendis per gratiam illius se disponunt, quàm olim. Hinc etiam anathematis diras sacra Tridentina Synodus imprecatur illi, qui certissimè ac sine dubio vllo habiturum se perseuerantiæ donum asserit, nisi speciali id ipse à Deo reuelatione didicerit. Sanctissimus quoque Pater Sixtus Papa V. damnat ac reijcit eos, qui futura, à libero nostro arbitrio dependentia, quócumque demùm modo prædicere conabuntur, nisi hæc illis Deus antè patefecerit. Quamobrem nisi hoc tempore reuelationes & esse possent & reuera essent, superfluum meo iudicio & absurdum foret, velut clausulam restrictiuam & exceptiuam addere, *Nisi id illi Deus reuelasset*; aut, *Nisi speciali id Dei illi esset reuelatione declaratum.*

*Sess. 6. can. 16.*

*In motu proprio contra Astrologos.*

## CAPVT II.

### *QVAENAM SINGILLATIM FIDES illis sit adhibenda reuelationibus, quæ hoc libro describentur.*

HAEc quamquam ita se habeant; non idcircò tamen sibi quisquam persuadeat, omnibus, quæ sparguntur, temerè esse reuelationibus fidem adiungendam; cùm falsæ ac mendaces esse plurimæ queant, & de facto etiam sint. Nam esset non minor, imò intolerabilior error, omnibus indiscriminatim credere, quàm nullis omnino. Examinandæ primùm sunt, vt constet, cuius illæ sint spiritus: ait namque Ioannes: *Charissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint.* Quare non hoc agimus, num omnibus in genere reuelationibus credẽdum sit, sed num eæ, quę B. Matri Teresæ obtigerunt, hoc contentæ libro, fidem mereantur. Eas ergo iam examinemus, & ad coticulam probemus: si enim moneta hæc non sit proba, nec genuina, nec eiusdem aurum sublime vel purgatum, ad lapidem Lydium vbi reuocauerimus, statim patebit. Aliquot in Sanctorum libris notæ & signa traduntur, è quibus hoc euidenter cognosci poterit; quæ è D. Bonauentura peti potissimùm poterunt. nullus tamen de ijs scripsit accuratiùs, quàm Ioannes Gerson Cancellarius Parisiensis, magna doctrina, prudentia, & auctoritate vir, qui duos ea de re tractatus edidit: primum, de spirituum probatione; alterum, de verarum & falsarum visionum discrimine. Doctissimus Cardinalis Turrecremata libro apologetico pro S. Brigittæ reuelationibus etiam probè doctéque rem hanc est prosecutus. Qui duo eodem prorsus tempore, singulari quæstionem hanc studio, in Concilio Basileensi versantes, (quòd in eo de sanctæ illius viduæ reuelationibus comprobandis disceptaretur) pertractarunt. Hos, & Gersonem inprimis secuti sunt, ne latum quidem ab eis vnguem deflectentes, qui eam-

Non omnigenis est credendum reuelationibus.

Reuelationes examinandæ sunt.

*1. Ioan. 4.*

*In processu relig. processu 7. c. 18. 19. 20.*

Digitized by

eamdem deinde materiam tractarunt, vti Magiſter Auila, libro qui vulgò *Audi filia* dicitur, nec non R.P.F. Magiſter Bartholomæus de Metina, qui doctrinæ nomine tam in cathedra lectæ, quàm libris editis traditæ notiſſimus eſt: quin etiam doctiſſimus Licentiatus Ioannes Oroſcius Archidiaconus Cuellarienſis, in tractatu lectiſſimo & elegantiſſimo, quem de vera ac falſa prophetia elucubrauit: quorum omnium medullam ad quinq; redigere capita poſſumus.

*c. 50. 51. 52.*

*in 3. p. q. 25. art. 3. li. 1. c. 15. & ſeqq. v. g. ad 24.*

Quæ in reuelationibus conſideranda ſint.

Primum ipſaſmet ſpectat reuelationes, num eæ ſcilicet veræ ſint, num ſacræ ſcripturæ & Eccleſiæ Romanæ doctrinæ conſentaneæ, num quid econtra eidem diſſentaneum, num quid in ſe falſi complectantur, quamuis cætera cum veritate coincidant. Alterum ad ipſas reuelationum materias refertur; num circa ea, quæ nullum ad ſalutem fructum afferunt, ſed circa curioſa vel vana, quæ ſcire nihil intereſt, vel quæ citra reuelationem aliunde percipi poſſint, verſentur. Tertium, quoſnam in ijs, quibus contingunt, cauſentur effectus: ex illis namque potiſſimum apparet, num à Deo, aut potiùs cacodæmone deriuentur.

Verarũ falſarumq; reuelationum ſigna.

Qua in perſona, cui quid reuelatur, conſiderandum.

Quartum ad ipſum pertinet, cui quid reuelatur; ante omnia enim conſiderandum, ecquæ eius ſit animi corporiſq; conſtitutio, num videlicet iudicio polleat, ac diſcretione vti norit, num ratio in ipſo morbis debilitatéue aliqua turbata ſit, quibus liber eiuſdem vſus impediatur, (qualis haud dubiè vehemens quædam eſt melancholia, alijq́ui morbi ſimiles) num facilè ac temerario impetu ad amandum odiove proſequendum aliquid feratur; num in imaginando ſit nimius; num in Dei obſequio recens aut nuperus tiro, rerumq́; diuinarum ac ſpiritualiũ exiguam notitiam vſumve habeat. Deinde quod ad eius mores; num arrogans ſit, num gloriam famamve è ſuarũ narratione rerũ captet, de ijs alios loqui cupiat; num ſuas plurib. reuelationes referat, num libenter & non interrogatus in earum commemorationem feratur; num eas celari ac ſupprimi velit, num ſuum malit iudicium opinionemq́ue quam eorum, quibus eaſdem communicat ſequi, num fidem adiungat ijs, quæ in his ſibi reuelationibus dicuntur, atq; eadem exequatur, tametſi viri docti & ſpirituales contrarium ei conſulant & aſſerant; num quempiam de ijs conſulere nolit, quæ ſibi reuelata credit; num ex curioſitate quadam ad orandum concedat, exhiberi ſibi reuelationes deſiderans; num à Domino ſciſcitetur curioſè ea, quæ ad ſe vel alios ſpectant, ipſum rogando, reuelare vt dignetur ea, quæ ſe alijs reſpondere oporteat; num in vitæ ratione, externa conuerſatione ac veſtitu ab alijs ſuæ conditionis ac ſtatus hominibus diſcrepet. Quintum, num à viris earum peritis ac probè iudicare gnaris huiuſmodi reuelationes examinatæ ſint & approbatæ. Circa horum ſingula plurima mihi dicenda occurrebant, probaturo ſcilicet, B. Matri Tereſæ de Ieſu factis reuelationibus omnia illa ſigna & notas ineſſe, quæ ad reuelationem aliquam vt veram admittendam, eamq́ue à Deo factam cenſendam requiruntur. Verùm, quòd omnia propè, quæ in hac re decla-



Digitized by Google

randa afferre opus erat, sparsim in variis historiæ huius locis inueniuntur; paucis ea perstringam, ad ea lectorem loca remittens, in quibus singula horum sigillatim ac studio pertractantur.

Primum signum, num visiones B. M. Teresæ veræ sint.

Primum signum est, num veræ hæ sint. Harum porrò reuelationum B. Matris Teresæ, aliæ de rebus sunt futuris; aliæ continent aut documentum aliquod illi traditum, aut aliquod rei quam agere iubetur mandatum. Si quidem circa res futuras eæ versentur, ipsemet Dominus clarissimũ nobis signum proponit, quo manifestè cognoscamus, num ab ipso venerint nec ne, dicens: *Quòd si tacita cogitatione responderis, Quomodo possum intelligere verbum, quod Dominus non est locutus? hoc habebis signum: Quod in nomine Domini Propheta ille prædixerit, & non euenerit; hoc Dominus non est locutus sed per tumorem animi sui Propheta confinxit, & idcircò non timebis eum.* Quidquid autem ipsa venturum prædixit, iam reipsa adimpletum est (vno excepto, cuius nondum tempus aduenit) cuiusmodi illud est, quòd suis diebus ordinem Beatę Mariæ de monte Carmelo magna incrementa prædixit facturum, Deum illi quoque auxiliaturum; mira se visuram, quæ eius esset causa Deus editurus opera, neve omni suo conatu & contentione eadem aduersarij vt subuerterent vnquam fore; atque alia plurima, quæ libri IV. capite 5. pluribus deducentur. Quæ verò doctrinam & documenta spectant, ea sunt omnia sacrorum voluminum, & Ecclesiæ Catholicæ, ac Sanctorum doctrinæ cõformia, vt, quæ toto legentur libro, abundè fidem facient. Quidquid verò in iisdem facere ipsa iubebatur, erat & salutare & vtile: puta, monasteria fundare, eaque de causa, aut alia ad Dei obsequium cultumque spectante, varia itinera suscipere. nulla verò illi facta dabitur reuelatio, quin sit huiuscemodi. Quod verò dixi, vel de omnibus his est reuelationib. vel de aliqua earum parte intelligendum. Monendum autem, (quod probè recteque Gerson consulit) si quam similes homines vel in totum, vel ex parte falsam reuelationem haberent; hanc quidem vt à Deo non profectam habendam, nullum tamen ab eadem aliis eidem personæ factis debere reuelationibus damnum accedere, quasi, quia sola hæc à Deo minimè descendit, ita aliæ nihil cum Deo haberent commune. Probationis loco sit; quia non perpetuò prophetiæ spiritum (vti euidenter id ostendit & docet Papa Gregorius) Prophetæ habebant; &, quòd verbo Dei audiendo assueuissent, fieri potuit interdum, illos Deo ascripsisse, quod humanum erat, & à se descenderat: vti Nathani Prophetæ accidisse testatur idem qui suprà Gregor. cùm Dauidi indicit, templum Deo vt construeret, quod tamen illi Deus non iniunxerat. Non id eò dico, quòd hocce in libro quid simile inueniatur: sed quòd, si fortè tale quid occurreret, non id esse sufficiens causa debet, vt idcircò aliis reuelationibus fides abrogetur.

Deuter. 18.

*Tract. de distinct. verarum visionũ à falsis, nota 5.*

*lib. 2. Dial. c. 31.*

*Hom 1 in Ezech.*

*2. Reg. 7.*

Secundum signum.

Alterum est, num circa res vanas aut curiosas hę reuelationes versentur. Multis trium priorum librorũ locis, ac præsertim lib. 4. capp. 4. & 5. liquidò pate-

dò patebit, quàm omnes sint vtiles, & quàm nullam penitus curiositatem vanitatemque redoleant.

Tertium erit perpendere, quosnam in animis causentur effectus. Solùm hæc, etsi deessent alia, sufficiat ad vnicuique persuadendum, reuelationes has à bono esse profectas spiritu, quòd in illarum abscessu nouum semper spiritus ipsa emolumentum sentiret; feruentiorem Dei amorem, maiorem criminum detestationem, maiorem suijpsius neglectum, intensius Deo famulandi desiderium: vti è quotidiano illius fructu colligere licebat, cùm nimirum indies in virtutum exercitio proficeret. Patebit id libro hoc à capit. 8. deinceps, & ijs, quæ de ea Confessarius scripta reliquit, sicut id libr. 4. cap. 7. redditur, & ijs, quæ Confessario ipsa suo, cap. vltimo & septimo tradita, transmisit. Tanti verò S. Gregorius signum hoc faciebat, vt de monacho quodam, cui Petro nomen, quem in sæculo adhuc agentem ita in anima eleuatum scribit, vt damnatorum supplicia coràm contemplaretur, sic testetur: *Hic deinde assiduus ieiunijs ac vigilijs ita corpus affligebat, vt, etsi lingua eius tacuisset, facilè vita clamaret institutio, infernales illi visos esse cruciatus, & timorem inde ipsum salutarem concepisse.* Ait etiam Redemptor. *A fructibus eorum cognoscetis eos: numquid colligunt de spinis vuas, aut de tribulis ficos? Sic omnis arbor bona fructus bonos facit: mala autem arbor malos fructus facit.* Est porrò signum hoc euidentissimum, &, si diligenter & maturè examinetur, numquam, quantum equidem mihi persuadeo, nos fallet.

Tertium signum.

Monachus Petrus in anima euectus est ad inferni pœnas videndas. *lib. 4. Dial. c. 36.*

*Matth. 7.*

Quarta nota, quæ ex natura, moribus & qualitatibus eius, cui reuelationes exhibentur, sumitur, ita causæ Beatæ Matris Teresæ ancillatur & fauet, vt ne maius quidem patrocinium optari queat: nam quotquot conditiones & partes necessarias exigunt ij, qui enucleatiùs ac minutiùs hac de re scribunt, vt alicuius reuelationes ceu veræ genuinæque habeantur, iunctim & simul omnes in Teresa locum habuere. Iudicium in primis sanum, subtile, maturum, insignis discretio, ac singularis prudentia, hilaris, suauis, & blanda in conuersatione ratio, corporis constitutio bona, & à melancholia quàm maximè remota, vti tum dicemus vberiùs, cùm de naturalibus eius dotibus dicendi locus erit, libri quarti capite primo, & norunt omnes, quotquot illam tractarunt, & familiariter cum ipsa sunt conuersati. Deinde, quem non excellens eius sanctitas, maturitas; morum grauitas, nec non eximia, quam in omnibus etiam minimis rebus maximè spectabat, veritas, & maxima rerum omnium spiritualium, & quas cacodæmon texere solet, fraudum experientia & vsus, vti non obscura ex ijs, quos ipsa concinnauit, tractatibus coniectura ducitur, in pia opinione confirmabit, & ab omni praua suspicione eximet? Quid verò de illa dicam humilitate, quæ in ea adeò manifestè relucebat, vt eminus etiam conspici & procul posset, & quæ in hac parte omnem viris prudentibus & iudicio præditis metum

Quartum signum.

*lib. de diſtin. verarũ viſionũ à falſis nota 4.*

Humilitas & ſuperbia veritatẽ & falſitatem arguunt viſionum.

anxietatemque eximere debet? *Si vnum hoc humilitatis ſignum* (inquit Gerſon) *benè excuteretur & pateret, alias inquirere notas neceſſe non foret: nam ex humilitate & ſuperbia in rebus ſpiritus facillimè quis diſcat, quænam veræ ſint, & quænam falſitatem oleant.* Nunquam Tereſa aliquam à Domino reuelationem petiјt, vel optauit, ne quidem vllam ſua in oratione conſolationem, prꝫterquam ſemel: qua etiam tum petita ſe ipſa ilicò reprehendit, & ecce poſt reprehenſionem è cœlo conſolatio ſubmiſſa eſt, tametſi minimè eam quæreret. Supplicabat ipſa identidem Domino, & illa poſtulante etiam alij, alio vt eam itinere deduceret, quin etiam magno quoad hoc ipſa conatu elaborauit; ſed quò tales ipſa Dei magis à ſe gratias amoliri ſatagebat, eò ipſæ influebant vberiùs ac frequentiùs: vt legenti manifeſtum fiet in libro 1. cap. 9. & 10. Et hoc velut indubitatum Gerſon duobus ſuprà indicatis commentarijs ponit ſignum, è quo de reuelationum quaſi à Deo proficiſcentium ſinceritate iudicium feratur. Nulli ad hæc ſuas ipſa reuelationes enarrabat, niſi aut conſilium petitura & directionem, aut vt ſi qua fortè in ijs lateret diaboli fraus, ab eadem per viros prudentiores expediretur: cui verò eas communicabat, ſummum huic ipſa ſilentium indicebat, ne cui dein has ipſe patefaceret; à quo ſi quid euulgaretur, id ipſam quàm maximè macerabat. Deniq; ad hoc probandum ſufficiat, quòd in ſcripti, quo ſuam ipſa vitam, Confeſſarij iuſſu, complexa eſt, primis capitibus quidquid ſe vmquam admiſiſſe compererat mali, haud diſſimulanter prodat, &, cùm reuelationum gratiarumq; à Deo Opt. Max. receptarum narratio iam exordienda eſſet, cap. ſcilicet decimo, Confeſſarium ipſa magna animi dimiſsione roget, vt quæ in ſequentib. ſcriptura eſſet, horum ipſe neminem conſcium faceret: hanc ob cauſam & proprium, & monaſterij, in quo tum agebat, & eorum quibuſcum conuerſabatur, nomen ſtudioſè ſupprimit ſubticẽdo, ne fortè à quopiam per ea, quę libro illo exarata cerneret, agnoſceretur. Criminum verò, tam quę ſcripto credidit, quàm quæ toto dein vitæ tempore commiſit, Confeſſarijs plenam liberè iam inde ab illa hora & momento diuulgandorum poteſtatem fecit, nominiſq; ſui manifeſtandi. Plura de hoc noſſe qui cupiet, libri IV. quintumdecimum & ſequens capita euoluat. Reuelationes porrò ipſa flocci pendebat, paſsimq; eas nec optandas aiebat, nec deſiderãdas; ſed toto homines ſtudio ac conatu in verarum ſolidarumq; virtutum exercitia malebat incumbere: vti eiuſdem libri caput vigeſimum declarabit. Omnium reuelationum ſuarum cõfeſſario rationem ſedulò reddebat, nihilq; in ijs auditorum vmquam ad opus & effectum, niſi eius, quem Dei in terris loco acceperat, accedente conſilio perducebat, qui ſi refragaretur, etſi aliàs reuelationes eadem de re ingeminarentur, parui eas ipſa faciebat, vti eodem legetur cap. in quo eiuſdem fit obedientiæ mentio. Quamuis verò tot tantaq; illi à Domino reuelarentur, ab illo tamen nec ſibi, nec alijs quid vmquam priuatim poſtulauit. Veſtitus & communis vitæ ratio penitus

tus

tus ſancta erat, vitæq; illius inſtituto ac religioni admodum conſona.

Quintum ſignum, confirmatio ac comprobatio ſcilicet eorum, qui aliqua hac in re auctoritate valent, ſufficere non rarò ſolet. Tereſæ verò oratio, ſpiritus & reuelationes à grauiſſimis, doctiſſimis, ſpiritualiumque rerum maximè gnaris in Caſtella, alijſque, quæ ipſa frequentauit locis, ſunt viris inſigni cum teſtimonio approbata, ſicut cap. 7. libro 4. videbimus. Ex his ergo liquidiſſimè patebit, has M. Tereſæ reuelationes eſſe à S. Bonauentura, Cardinali Turrecremata, Ioanne Gerſone, Magiſtris Ioanne de Auila, Bartholomæo de Metina, & à Ioanne Oroſcio Archidiacono Cuellarienſi, vt alios præteream, quorum ſuprà indicato capite ſeriem texam, approbatas & luculenta commédatione laudatas. Tametſi Ioannes Oroſcius eo quem indicauimus libro, non eas in genere modò, verùm etiam ſingillatim, idque verbis admodum honorificis comprobauit. Nec minùs eas approbauit ac laudauit R. P. ac Magiſter noſter F. Ludouicus Legionenſis, Ordinis ſancti Auguſtini, ſacrarum litterarum apud Salmanticenſes Profeſſor: de cuius eximia eruditione ingenijq; acumine nihil hîc attinet dicere, cùm eius id ſcripta apertiſſimè loquantur: hic à Regio Concilio ad beatæ M. Tereſæ opuſcula ſcriptaque, iam prælo ſubijcienda, examinanda deſtinatus, non ea modò cenſura ſua ac iudicio digna prælo cenſuit, verùm etiam elegantem admodum ijs præfixit epiſtolam, qua de illis tale is dedit teſtimonium, quale à tam ſpectato viro, & litterarum ſcientia, & iudicij maturitate magno erat exſpectandum, quamquam Tereſam ipſe antè nec vidiſſet, nec conueniſſet, ſed è ſolis ſcriptis eam velut è ſpeculo perſpexiſſet. Quibus omnibus hoc ipſe demùm adiungo, diligenter me ac ſtudioſè multa de Sanctis, quarum nuper meminimus, quæque de reuelationibus ſcripſere, legiſſe, & eas ipſas à viris doctiſſimis & grauiſſimis eſſe examinatas & comprobatas, atque illas & beatæ Matris Tereſæ reuelationes adeò inuicem ſimiles exiſtere, ac ſi ab vna eademque eſſent vniuerſæ manu conſcriptæ; quin imò in illarum plurimis maiores legentibus haud dubiè ſcrupulos, quam in his Tereſæ occurſuros.

V. ſignum.

*Lib. de vera & falſa prophetia. c. 8.*

Dicet fortè quiſpiam, eam nonniſi fœminam fuiſſe, ac proinde fœminæ factas reuelationes non tanti eſſe faciendas. Huic ipſe reſpondebo plura ſuperiori me capite virorum quàm mulierum exempla attuliſſe: at ſi fœminæ, quibus eæ contingunt, vitæ ſunt inculpatioris, & Deo acceptiores, quàm qui hæc obijciunt viris, cur fœminis ea mirantur concedi, quæ ſibi, quòd Deo non ita intimè ſeſe coniunxerint, vident denegari, præſertim cùm nulla apud Deum ſexus ſit diſtinctio, nullum virorum aut fœminarũ diſcrimen, & omnes illius ſint creaturæ, quique illi ſe communicat liberalius, erga hunc etiam ſe ille viciſſim liberaliter refundat? Parum etiam morabor, hæc illos obijcere, ſi modò aduertant ad ea, quæ dicunt: quia quę violenter ac generosè effrenes paſſionum motus comprimunt mulieres,



Digitized by Google

easque Deo subijciunt ac parentes reddunt, inclyto virorum dignæ sunt nomine; qui verò ab ijsdem expugnantur & reguntur viri, meræ sunt fœminæ. Neque verò hoc in corporis sexusve diuersitate, sed animæ situm est robore. Videant porrò, num is Christianæ sit Ecclesiæ sensus, cùm Virginum hæc generosarum ac fortium memoriam, quales Agnes, Agatha, aliæque, solemni Martyrum officio cohonestet, vt hoc nos illa pacto edoceret, eas ceu viros generosos & inuictos à nobis habendas. Hoc adeò quidem euidenter patet, vt non sit illi adstruendo diutiùs immorari necesse, cùm & ipsa Ethnicorum scripta sint plena, canatque de virgine quadam priscus Romanorum Poeta Ennius: *Lib. 4. ann.*

*Vos etenim, iuuenes, animos geritis muliebres;*
*Illa virago, viri.*

Quamobrem fixum illud maneat, fœminarum, id est, imbellium, & passionibus obsequentium reuelationes paruipendendas, sed mulieris, quæ longè viriliores, quàm multi viri illustres, animos prætulit, & mulieris adeo generosæ & strenuæ, & aliarum illi similium reuelata magno esse numero habenda. Si Deo optimo maximo perquam sit volupe cum hominibus conuersari, necnon certissimum quoque sit, perperam illos Nabuchodonosor Regis ariolos censuisse, dum Deorum esse aliquam cum hominibus conuersationem negant; cum quo denium ille familiariter aget ac loquetur, si non cũ eo, qui eius nomine omnia abdicat, suáq; illi animã penitus dedicat & immolat, & solo illo delectatur ac pascitur? Vereor autem, ne quis stupidus ac rerum ignarus in medium prodiens mihi calumniando obijciat, Hęc quidem repertura fidem, si alius quispiam ea enarraret; sed, quòd de se ipsa Teresa hæc referat, de fraude & impostura suspecta censenda. Satis, meo iuditio, foret, non aliter hisce respondere, quàm obiectas surda aure calumnias præterire. Dico tamen, hoc potissimum nomine ad ijs credendum assentiendumve viros cordatos & prudentes inuitari, quòd hæc de se ipsa commemoret. Sanè si alio quopiam narrãte fidem hæc inuenirent, quantò magis, cùm tantæ fidei & auctoritatis testis, omni exceptione maioris, adeò à propria gloria aucupanda remotæ, quæque omnem semper vanitatem tanta contentione ac studio fugit, testimonium accedat? Peruoluamus, quod varijs in locis de Sanctorum gestis sanctus Hieronymus, Augustinus, alijque, atque imprimis suo in Dialogo Gregorius produnt; atque ad oculum patebit, quàm illi plenam huiuscemodi in rebus multò minoris auctoritatis testibus fidem adhibuerint, cùm quòd sanctimonia hi spectabiles essent, tum verò quòd scirent, quid suis cum Sanctis Deus agere soleat, & præterea quòd permagni interesset fidem illis adiungere. Non animaduertunt autem, hæc interiora quædam esse, & illis solis nota, quibus reuelantur, qui si eadem tacerent, numquam fore, vlli vt innotescerent. quidquid enim reuelatorum aut ad hominum notitiam venit, aut scripto commissum est, ideò factum, quòd ipsi ad diui-

*Dan. 2.*

ni no-

ni nominis gloriam, ac proximorum vtilitatem vel hęc propria deſcripſerint manu, vel alijs ſcribentibus patefecerint. Adeò vt, ſi hanc ob cauſam hiſce reuelationibus auctoritas denegetur, pari ratione omnibus propè alijs, quæ ab ipſis ſunt Sanctis conſcriptæ, neganda eſſe videatur. Vndenam enim omnes quæ exſtant S. Brigittæ, Catharinę Senenſis, Gertrudis, Mechtildis, Angelæ Fulginatis, aliorumq; Sanctorum ac Sanctarũ reuelationes ad nos, niſi vnica hac via peruenerunt? Si verò alijs eaſdem commemorantibus credimus, etſi vel auditu tantùm acceperint, & teſtes ſint auriti, quantò magis ac potius eæ nobis credendæ ſunt, cùm qui eos à Deo accepit, & non teſtis auritus, ſed oculatus eſt, enarrat? Tum verò maximè & potiſſimè, quòd, quidquid quoad hoc beata Mater Tereſa conſcripſit, non ſuo id inſtinctu arbitratuque, ſed Dei, qui id ab ea fieri volebat, ac Confeſſariorum, quos Dei Vicarios habebat, iuſſu ſit aggreſſa. Hinc factum eſt, vt multò plura ſilentio inuoluerit, quæ dicere alioquin potuiſſet, vti ipſa teſtatur, ſatis eſſe rata ea ſcripto tradere, quæ ad iuſſis ſuperiorum parendum aliquatenus ſufficerent. Quodam tempore dixit illi Dominus: (vt ſua id ipſa manu notauit) *Quæ tibi do monita, conſcribere ne negligas, ne fortè eorum te capiat obliuio. Cùm hominum conſulta ac monita in ſcriptis habere velis, cur tempus malè impendendum arbitraris in ijs, quæ ipſe tibi propono, conſcribendis? Veniet aliquando dies, qua omnibus opus habebis.* Alia in ſchedula hæc exarauit verba, *Dedit mihi Dominus quodam tempore lucem in re quapiam, quam intelligere peroptabam, ſed eius ſtatim haud multo poſt penitus ſum oblita, adeò vt eius in mentem mihi deinde numquam venerit: quam cùm memoriæ refricare ſatagerem, ilicò vocem audiui: Cùm iam noris, interdum me tibi loqui, noli negligere ea ſcripto committere: quia, licèt tibi inde nulla accedat vtilitas, aliqua inde alijs poterit reſultare.* Dictum igitur hic ſemel eſto, nec pòſt in ceteris, quæ dicturus ſum, repetendum, me, cùm ſanctæ huius vitam ac geſta ſcribere conſtitui, gratias illi & chariſmata diuinitus communicata ſilere nec potuiſſe, nec debuiſſe; quòd vnicam Dei hic ſpectem gloriam: ad quam mirificè facit, quòd ſuis ſe creaturis ſincerè & ex animo ſibi obſequentibus adeò amicè ac familiariter exhibeat. Fecerunt id olim S. Athanaſius, Hieronymus, Gregorius, & omnes tam veteres, quàm nuperi vitarum Sanctorum ſcriptores. Nec verò me latet, intimam hiſce in rebus ſanctitatis ſubſtãtiam minimè ſitã eſſe; vnde nec idcircò eas ipſe litteris trado, tametſi eam aliquo modo declarent, & quadãtenus ſpectãdam dent, præſertim cùm eos, quos ſuprà indicauimus, in animis effectus & pietatis motus relinquant; nec quid aliunde appareat, quod ipſis contradicẽdo aduerſetur, earumve auctoritatem imminuat. Quocirca reuelationes nonniſi per tranſennam atque obiter, prout in vitæ eiuſdem filo occurrunt, enarro: de veris porrò genuiniſq; virtutibus, in quibus omnis conſiſtit ſanctimo-

Digitized by Google

monia, singillatim,& datâ operâ libro 4. sum locuturus, qui & ideò duobus alijs magnitudine par erit. Quod hisce temporibus magis etiam necessarium atque opportunum censeo, vt verarum reuelationum signa ac notas propius dum intuemur,& humilitatem illam atque amorem diuinum, quem in animis causantur, falsæ, & quæ à patre médacij & fraudis immissæ sunt, euidentiùs pateant, nullaq; ijs fides vel auctoritas addatur, nemo demùm ijsdem in fraudem inducatur: cùm, quibus hæ obijciuntur, arrogantia eos & priuato suipsorum amore palàm videamus turgescere, & soli honori, nomini, existimationi, auctoritatique apud homines parandæ totos intendere. Atque vt albor nigrori comparatus & oppositus magis eniaet,& quodammodo albior apparet, nec non nigredo furuior & obscurior: sic, si falsæ cum veris reuelationes conferantur, & simul spectandæ proponantur, & illarum euidentiùs patebit falsitas,& harum fulgor ac splendor effulgebit magis. An non eo quo veri Prophetæ exstiterunt tempore, etiam fuere Pseudoprophetæ, & vnà cum Apostolis Iesu Christi surrexere Apostoli Satanæ? at non idcirco verorum Prophetarum imminuta est aut fracta auctoritas, quin potiùs eò claruerunt magis, & maiori habiti sunt numero. Denique cùm hisce famulam suam prærogatiuis exornare visum Deo, cur eas ipse diuulgare verear, cùm Raphael Archangelus vnumquemque nostrum doceat, *Sacramentum Regis abscondere bonum esse, opera autem Dei reuelare & confiteri honorificum*. Quòd verò virtuti per alios, qui ficta eiusdem specie mortalibus imponere sunt conati, infamia quodammodo irrogetur, ingens idcirco mihi fore nefas visum est, eiusdem patrocinium ac tutelam non suscipere.

*Tob.12.*

## CAPVT III.

### *DE B. MATRIS TERESAE DE IESV PAtria, parentibus, & ortu.*

B. Mater Teresa de Iesu, Teresæ de Ahumada nomine antea est vocitata; hoc verò *de Iesu* cognomentum eo assumpsit tempore, quo monasteriorum suorum primum à sancto Iosepho denominatum Abulæ fundatum est. Exinde enim Teresa de Iesu dici cœpit; id ipso exteriùs indicans nomine, quod intimo clausum corde tenebat; non se iam nimirum ampliùs mundi, nec suorum, nec demum sui ipsius, sed totam solius Iesu esse, cui se toto animo & corde iá penitùs consecrarat. Quod salutare piæ matris exemplum filiæ æmulantes, quo sacram Religionis vestem assumunt die, nouum cognomentum, vel à Iesu, vel ab illorum quopiam, qui Domino nostro Iesu Christo fideliùs ac ferventiùs seruierunt, pro suo quæque affectu ac pio sensu induunt, ipsum familiæ ac generis, tametsi illustris-

*Filiæ M. Teresæ in habitus assumptione nomen nouum assumant.*

Digitized by Google

luſtriſſimi, & quem in ſeculo tenuerant honoris ac dignitatis titulum exuentes. Etſi verò aliquot interceſſerint anni, antequam hoc *de Ieſu* cognomento diceretur, hoc tamen nos eam nomine iam inde à principio donabimus, cùm hoc illi patrio & gentili longè fuerit gratius & carius. Tereſæ nomen nec Græcorum eſt, nec Latinorum, vti quidem nonnullorum eſt opinio, ſed Hiſpanorum proprium, & quidem antiquum, qualia Eluira, Sanchia, Vrraca, aliaque ſimilia mulierum nomina. Sic & hæc in Hiſpania permanſerunt, Sanchius, Gutierrus, Garcias, Mendus, Alfonſus, Fernandus, aliaque virorum cognomenta, quorum aliquot in Canone Miſſæ Mozarabicæ, cuius olim in Hiſpanijs vſus erat, videre eſt, ceterorum Sanctorum nominibus permiſta. Vnde & Tereſa, alicuius ſanctæ Hiſpanæ nomen eſſe mihi veroſimile fit, & fortè filiæ illius Regis Bermudi, cuius Rodericus Archiepiſcopus meminit in 4. rerum Hiſpanienſium libro cap. 17. quo loco, Alfonſo Legionis Regi, Bermudi filio, ſororem refert fuiſſe Tereſam nomine, (qui verò Latinè hiſtorias haſce conſcripſere, Taraſiam appellant) hanc pater inuitam Toletano Regi Abdallæ in coniugem dedit, quòd ſibi hunc propter hanc affinitatem aduerſus Cordubenſem Regulum ſuppetias ſperaret laturum. Quæ cùm Mauri amplexus & tactus pati renuiſſet, illique, niſi ab impuris conatibus deſiſteret, Domini, cui ipſa ſeruiret, vltionem cōminaretur; nihil minas moratus barbarus, violenter illius pudorem imminuit: ſed extemplò vindicem Angeli cœleſtis manum ſentit. Vndè cùm mortem ſibi propterea imminentem cerneret, Legionem eam egregio cum comitatu, & multis dotatam muneribus remiſit: hæc deinde monaſterij ſeptis ſe includens inſigni in ſanctitate vitam traduxit: tandem cùm ad cœnobium à ſancto Petro cognominatum veniſſet, in eodem & diem clauſit, & ſepulturam inuenit.

*Tereſa nomen Hiſpanum.*

*Miſſa Mozarabica.*

*Tereſa Regis Bermudi F. Regis Alfonſi germana.*

Abula Caſtellę veteris ciuitas & nobilis & vetus, prima naſcentis Tereſæ vidit incunabula: quæ ciuitas cùm non inter poſtremas regni illius cenſeatur ac celebretur, poſthac tamen longè futura eſt notior, quod beata & pulchra hæc arbuſcula ibidem & orta ſit & educata: quæ quanquam ſua ſub initia exilis videretur, iam paulatim ſuos per vniuerſum qua patet Hiſpaniæ regnum ramos extendit; & modò etiam eoſdem in alias trans mare prouincias cœpit extendere, (exemplo ſit Genua) quin & ad Indos vſque, &, quantum Deo dante ſpero, etiam remotiora ad loca ſuas propediem radices emittet. Parentum in ædibus illius ortus contigit, è regione Dominicanæ ſitis, & ædi D. Scholaſticæ contiguis: quas ſuo vir nobilis Didacus Bracamontius iam ære comparatas paternis irredimibilibuſq; ſuis poſſeſſionibus adiecit. has ipſe, ſimul & locum, in quo nata, & conclaue haud procul inde, in quo quindecim annorum ſpatio & amplius dormiuit, ſum ingreſſus & contemplatus. Si verò qui harum iam dominus eſt ædium tanti, quanti fieri reuera deberent, eas faceret, è duobus illis cubiculis orato-

*M. Tereſa Abulæ nata eſt.*

 rium

Digitized by Google

rium,ad rei adeò solennis memoriam conseruandam,construeret; & spondere ipse ausim, nihil his pietatis operibus rebus illius derogatum iri aut diminutum, sed eam fortassis in causa futuram, diuina vt domestici omnes, tum qui hanc hodie domum incolunt, tum qui pòst futuris temporibus incolent, benedictione complerentur. In Mercurij diem natalis illius incidit, v. Kalend. Aprilis, ac profestum sancti Bertoldi Confessoris, qui eiusdem fuit Ordinis, anno post partum Virginis millesimo quingentesimo decimo quinto, regnante in Castella Ioanna Caroli quinti Imperatoris matre, & patre illius Ferdinando Rege Catholico, absentis filiæ loco regni gubernacula moderante; Ecclesiæ vniuersali præsidente Leone decimo Pontifice Maximo; Romani Imperij habenas flectente Maximiliano primo Caroli Imperatoris auo; biennio antequam funesta illa Ecclesiæ pestis Martinus Lutherus impium Romanæ Ecclesiæ bellum nefarijs suis dogmatis indiceret. In quo diuinam mirari licet prouidentiam, vt, cùm sacrilegus hic paranymphus sponsas Deo sacras monasteriorum septis eductas, sacrilegis impijsque copulaturus erat nuptijs, tum paulò antè sancta hæc virago ederetur in lucem, qua monente & facem præferente multi passim intra eadem cœnobiorum claustra se arctarent, suamque Deo castimoniam voto sacrarent. Orta est nobili & claro inprimis genere. Patrē habuit Alfonsū Sanchiū Cepediū, Ioānis Sanchij de Toleto, & Agnetis Cepediæ filium, & Alfonsi Sanchij de Toleto, & Teresæ Sanchiæ nepotem. Matrem Beatricem de Ahumada, Matthæi de Ahumada filiam, de genere Ahumadarum, quod & nobilitate, & antiquitate inter Abulenses familias facilè principem locum tenet; vti & familia Tapiarum, è qua oriunda erat huius Beatricis mater, Ioanna de Tapia. Quæ autem de Teresæ nostræ auis & proauis huc attulimus, è priscis de illorum nobilitate fastis ac tabulis deprompta sunt; quæ adeò quidem euidens erat ac manifesta, vt, licèt Alfonsus Sanchius de Toleto, Abulensis non fuerit, sed aduena, suas tamen proles nobilissimis ac primarijs vrbis illius matrimonio elocarit. Cepedij è Tordesillis originem ducunt, quorum nota est claritudo & splendor. Porrò Alfonsus Sanchius secundas inijt nuptias, primas cum Catharina Pesana, quæ illi filiam peperit Mariam Cepediam; alteras deinde cum Beatrice de Ahumada. Felix autem & beatum id vtriusque connubium fuit: vt enim generis natalibus, sic & virtutibus ambo illustres fuerunt: testimonio sunt liberi, quos genuere, octo vel nouem; inter quos tertio nata loco fuit Teresa nostra, cùm mater nondum primum supra vigesimum annum expleslet; hinc etiamnum hodie reliquorum aliqui sunt superstites.

*Dies & annus, quo M. Teresa nata.*

*Parentes eiusdem.*

CA-

## CAPVT IV.

## *TERESAE INFANTIA ET EDVCATIO.*

VT B. Teresæ nihil, quò minùs ad eam sanctitatem, ad quam pòst peruenit, pertingeret, omninò deesset; de tam pijs prouidisque Deus illi parentibus prospexit, vt cùm bono quod ab ipsis promanabat exemplo, tum quam eius habebant solicitudine adiuuante, sanctimoniæ calcare ipsa semitam etiamnum paruula cœperit. Mater quippe honestissima erat matrona, quæ etsi forma vtcumque æqualibus præstaret, nullam tamen cuiquam suspicionem mouit, aut eius se colendæ studio teneri, aut ob eamdem insolescere. quamquam enim tertium supra trigesimum nondum superasset annum, cùm de vita migraret, prouectiorem tamen mores vitaque ratio ætatem redolebant. Non minor etiam in patre elucebat honestas morum ac sanctimonia, quem nemo vel temerè iurantem, vel alijs detrahentem audijt. Sanctorum is lectione librorum mirificè capiebatur, quorum & magnam domi vim habebat, vt liberis, quod legerent, minimè deesset. Dabat is operam, vt precationi hi quotidianæ statis horis vacarent; præ ceteris verò elaborabat, vt singulari omnes erga Deiparam matrem, aliosque cœlites studio & affectu ferrentur. Horum autem librorum lectione, & quam pius parens tenellæ instillabat ætati pietate factum est, vt Teresæ animum tangere iam tum de cœlo Dominus cœperit, & ad sese pellicere, cùm vix septimum ipsa attigisset ætatis annum. Pietatis in studio socium habebat è fratribus Rodericum Cepedium, qui deinde in nouo orbe in amne, cui ab argento cognomentum est, mersus interijt, cohortis eodem ductæ ductor constitutus. Hinc eum Teresa vt martyrem habebat, quòd fidem Christianam propugnando occubuisset. Peculiari erga hunc præ ceteris fratribus amore ferebatur, quòd eiusdem propè ambo ætatis essent, & eodem vterque mense & die in lucem editus (quamquam hic quatuor ante Teresam annis, vt fidem is facit liber, cui filiorum pater solitus erat inscribere natiuitatis diem) vnde & magno cum gustu affectuque ambo historias & gesta Sanctorum peruolutabant. Non mediocrem verò tenellis eius præcordijs ardorem inijciebant lecta Martyrum nonnullorum supplicia ac cruciatus. quocirca luce cœlesti illustrata, secum ipsa puellula reputabat, vili admodum exiguoque à sanctis hisce æternæ quietis diuinique conspectus possessionem pretio, etsi acerbissimis toleratis cruciatibus, comparari; quare eamdem ipsa laborum mercedem

*Quales fuerint Teresæ Parentes.*

*Rodericus Cepedius M. Teresæ frater.*

perceptura ac præmium, eodem etiam mortis genere occumbere summoperè desiderabat. Quoniam verò etiam tum ingenti excelsoque erat animo, & insignem erga diuinum obsequium generositatem præ se ferebat; non satis illi fuit mortis huiusmodi ardorem concepisse, verùm etiam cum fratre Roderico tractare accuratè cœpit, ecquænam desiderij illius opere exequendi, tamque gloriosæ mortis ilicò oppetendæ ratio suppeditaret. Acribus illum verbis ita puella commouit, vt tenui secum sumpto viatico, paterna ambo domo sint egressi, proxima Maurorum petituri regna, à quibus pro diuini nominis gloria ceruices tenellæ ipsis præciderentur. Egressi iam portam erant ab Adaxa (flumen idest Abulam perfluens) dictam, & pontem superarant, cùm longiùs progressis occurrens patruus, ambos, magno matris cum gaudio, quæ illos tota conquiri vrbe iusserat mœrore confecta, ac metuens, ne fortè in puteum quemdam domesticum prolapsi, mersi interissent, domum vnde abierant, confestim reduxit. Hic purgare se Rodericus, & omnem in sororculam, à qua ad hoc suscipiendum iter esset incitatus, culpam congerere. Percellebat autem vtrumque non mediocriter, quòd tam gloriam in cœlo, quàm cruciatus apud inferos æternos fore passim in libris lectitarent: qua etiam de re ambo identidem inter sese colloquebantur, & verbum, *AEternum* accuratè ponderantes, magno ipsum animi sensu sæpiùs repetebant, *AEternum, AEternum, AEternum*. Hac assidua de æternitate commentatione factum est, vt magnum animo illius Dominus desiderium illius sectandæ viæ inijceret, quæ ad perpetuò & æternùm duraturam gloriam sectatorem perduceret. Cernens porrò, coronæ martyrij, ad quod subeundum tam vehementem in se ipsa ardorem & animum persentiscebat, obtinendæ sibi esse iter obstructum, illa suadente eremiticum ambo ac solitarium vitæ genus consectari decreuerunt. In horto ergo domestico qua poterant arte casulas ac cellulas sibi construunt, non adinstar aliorum puerorum è voluptate aliqua per ludum; sed vt suum in ijs animum in solitudine recolligerent. Sed frustra: extemporaneum namque hoc opus diuturnum non fuit, vt suo satisfacere desiderio, pijsque votis nequaquam possent. Nondum quippe id venerat tempus, quo solidiores & capaciores ipsa casulas construeret, dum eam pia Mater in orbem sanctitatem vitæque rationem inducit, quam veteres eremicolæ & Patres in montis Carmeli solitudine inierunt. Solitudinem ergo, quantum sibi fas erat, sectabatur, vt in ea suæ pietatis exercitijs, quæ plurima erant, vacaret, ac præsertim suam Deiparæ matri institutam coronam legendo: Mater namque eius Virginei Rosarij studiosa, ipsius liberis vsum familiarem reddiderat. Mirificè verò erga illam ex Euan-

*Teresa puellari ætate martyrium desiderat.*

*Teresa cum fratre Roderico martyrij desiderio vrbe egreditur.*

*M. Teresa eremum sectatur.*

Euangelio historiam afficiebatur, in qua Redemptor, ad puteum cum Samaritana loquens, inducitur: quare rei huius imaginem suo semper in cubiculo, quò perpetuò ob oculos versaretur, depictam habebat, hac addita epigraphe, *Domine da mihi aquam*. Nesciens autem, quàm ingens sibi bonum peteret, Deo identidem supplicabat, sibi vt aquam illam viuam impertiret, magnum hac in petitione illi vicissim gustum Domino inspirante, vt qui pòst eam aqua hac cœlesti tam copiosè esset inebriaturus. Hinc & continenter illam in mente habebat, & in ijs, quæ scripsit, non parum ex hac hausit, quò orationis magnalia declararet. Egentibus, si quando poterat, stipe data succurrebat, si quando cum æqualibus luderet, monasteriolis componendis struendisq; mirè delectabatur, vt iam tum hoc Deus præmonstraret argumento, ijs qui idipsum intelligere potuissent, quæ deinde tanta nominis sui, ac sanctissimæ matris suæ esset gloria Teresa fundatura. Ita quoque in omnibus se gerebat, quasi iam reuera monasticam professa esset, ipsamque etiam profiteri desiderabat, tametsi non eo feruore ac studio, quo aliàs ad martyrium & vitam solitariam aspirarat. Hæc tum quidem Teresa, cùm Beatrix mater illius ex hac vita tollitur, duodecimum fermè puella tum annum agente. Talis matris illa decessum cùm pro eo ac debebat peracerbè ferret, mœrore prostrata, ante quandam Deiparæ imaginem se se abiecit, multisque cum lacrymis illi supplicauit, vt cùm matre iam orbata viueret, sui ipsa deinceps vt mater curam gereret, seseque in filiam haud grauatè admitteret. Tam opportuno fuit hæc oratio tempore, & tam sincero ardentique fusa pectore, vt eius reipsa effectum senserit, à clementissima illa matre ex eo tempore in filiam suscepta, vti pòst tū ipsa in omnibus necessitatibus, tum & mundus vniuersus in mirabilibus, quas eius opera Deus, sanctissimæ matris suæ interuentione operari est dignatus, rebus quàm clarissimè perspexit.

*Ioan. 4. Teresa Samaritanæ petitione capiebatur. cap. 30. vita ipsius.*

Paruula monasterijs cōponendis delectabatur.

B. Virgini supplicat, sibi vt mater sit.

## CAPVT V.

### *SANCTA ILLA PRINCIPIA IN TERESA euanuerunt, sed in quæ præceps ruebat, periculis eam Deus eripuit.*

NON ferebat sancta hæc piæ virginis principia humanæ salutis hostis Satanas: neque enim eum latebat, quàm suo ipsius natura nutu vltrò in virtutem propenderet. notabat adhæc perspicax & acutum in illa ingenium, maturam sedatamque prudentiam, animum ad ardua & excelsa suscipienda generosum, nec non industriam ad hæc ipsa exequenda singularem, perseuerantiam quoque & infractum aduersus omnem, qui obrepere posset, languorem constantiam, tantam denique dicendi efficaciam & vim,

M. Teresæ dotes.

vt, si maiores in ea virtutem radices agere sineret, multas eius opera animas DEO vindicandas formidaret. Hæc inquam cùm videret, omni sibi ope enitendum putauit, quæ dotes illæ singulares iam tum pollicebantur bona, subuertere. quare omni qua potuit ratione conatus est, eximia illa naturæ dona à Deo pro creatore accepta, prauo eorum inducto vsu corrumpere: Commoda ad hoc ipsum faciendum nupera illius in adeò imbecilli ætate materna vigilantia & cura destitutæ orbitas videbatur. Duplicem ad hoc adhibuit machinam. Prima fuit, persuasa veterum per Hispaniam heroum bellorum & amorum, carmine conscriptorum, lectio Hæc haud dubiè inuentionum ipsius vna est, qua multas ille solitudinis & honestatis amantes animas in perniciem pertraxit: quòd persæpe in familias, à quibus alioquin impudicæ & castitatis expugnatrices mulieres arceantur, illorum librorum introducatur lectio, quos nonnulli otio abundantes & vanitate, magna quidem elegantia ac lepore, sinistra tamen voluntate composuerunt, vt hostis inde noster, velut è pharetra, prompta ad nos oppugnandos tela depromeret: & clàm & occultè id afferre animabus damnum assoleant, quod fortasse Satanæ illæ administræ & parariæ minimè afferrent. Hos igitur non Heroum, sed vanitatum panegyricos ipsa perstudiosè & assiduè euoluebat, eorumque lectioni multas bonas horas impendebat, vtque ingenio excellebat, ita hanc ipsa phrasin & elegantiam tam profundè in animum dimiserat, vt paucis pòst mensibus ipsa & Rodericus Cepedius frater similes componere ipsi odas, Heroum gesta fictione poetica deducendo, non dubitarint; ita quidem ætatis illius captum superantes, vt apud multos etiam laudem inuenerint. His ipsa è studijs non alium sanè fructum tulit, quàm qui semper inde referri solet, etsi non tam deprauata prodiret, quàm cæteri harum nugarum lectores; quòd eam Dominus, à quo ad tam magna & excelsa reseruabatur, nonnisi modicùm à sua aberrare manu permittebat. Cœpit proinde corporis ornatui studere, peregrinos nidores circumferre, comam struere, manus curare, & compta in publicum prodire velle, etsi sinistra omnis abesset intentio, & nemini vllam in Deum offendendi occasionem dare vellet. Quamquam autem in hisce similibusq; vanitatibus consectandis ipsa quàm maximè incumberet, nihil tamen tum quidem admittebat, quod noxam aliquam putaret includere.

*Diabol⁹ dotes has prauo vsu vitiare contẽdit.*

*Librorũ prauorũ lectio noxia.*

*M. Teresa cũ fratre Roderico librum odarũ scribit.*

*Vanitates cõsectatur.*

Alterum inuidi aduersarij stratagema, quod aduersus hanc DEI famulam produxit, fuit hoc ipsum, quo multos non rarò tum ætate, tum virtutum studio ipsa maiores expugnauit, prauorum nempe contuberniũ. Cùm enim domum illius cognati ac consobrini quidam frequenter adirent, paris cum illa ætatis, vanitatibus mundanis iam tum addictissimi, & sępè cum illa de ijsdem sermonem sererent; hos ipsa non illibenter audiebat, & vicissim, quæ illis grata fore nouerat, de suo ipsa in medium

*Mala cõsortij mali.*

affo-

Digitized by Google

afferebat, non ſine illorum voluptate. At fuit de conſanguineis, quæ longe illi exſtitit damnoſior; quæ magno patris cum dolore illius ad ædes acceſſum habebat: quòd enim moribus eſſet diſſolutioribus, domo quidem eam excludere voluiſſet, negare tamen aditum non poterat, quòd arcta illi ſecum ſanguinis intercederet cognatio. Hæc, & alia eius farinæ mulier, cui hæc nota erat, cum Tereſa quartumdecimum circiter iam agente annum familiariter tractantes, hanc paulatim ſui ſimilem reddiderunt, vt omnis DEI timor eius ex animo ſenſim euaneſceret, atque eius loco ſæculares inaniæ & affectus terreni & noxiæ familiaritates ad mētem illius ſubreperent; tametſi, vt de ſe ipſa ſcripto teſtata eſt, non vſque adeò prono in malum ferretur affectu, nec in prauitatem maximam propenderet. Ipſe verò Dominus, cui ſingulariter ipſa cura erat, duos illi velut frenos iniecit, ne in hoc lubrico laberetur, animæque hic iacturam faceret. Primum fuit, naturalis quædam ab omni impudicitia ac ſordibus carnalibus auerſio, quam etiam ipſa nunquam exuit. Alterum, tantus honoris amittendi metus, vt ſic quidem violentum illi, ſalutare tamen fuerit retinaculum. Et licèt ipſa (vtpote quæ in omnibus mira ingenij dexteritate valebat) ſexcentas excogitaret artes, vt quæ agebat, patre clàm fierent, ſimul, ne quid virgineus eius pudor detrimenti caperet; impedire tamen non potuit, quin deterior aliqua de ipſo ſuſpicio nonnullorum animis inſideret, & aliquod nomini eius honeſto probrum affricaretur. Arridebant læta hæc cacodæmoni initia, iamque ſibi maiorem ex illa victoriam ſpondebat: ſed excelſus ille ac potens Dominus, qui nondum omnem ancillæ ſuæ memoriam exuerat, quique mirabilia magna per ipſam aliquando ad ampliorem nominis ſui laudem operaturus erat, tum, cùm nihil minus opinaretur, è manibus Satanæ prædam hanc excuſſit. Cùm ergo nonniſi trimeſtri has ipſa vanitates ſectata eſſet, virginum in monaſterio, Ordinis Sancti Auguſtini, quod à Beata Maria Gratioſa nomen habet, in quo id genus puellæ alebantur, à patre collocatur, quamquam ſæcularem habitum non depoſuerat. Ipſe etiam Dominus cùm iam antè eius eſſet ſolicitus, effecerat, vt iam ei hæ vanitates nauſeam fatigatæ afferrent, &, ſi quod hoc nomine crimen conſciret, inſolitus repentè Dei timor menti illius oboriretur, ipſumq; quamprimum Confeſſoris in ſinū abijcere satageret, animum compoſitura. Hoc ergo eam loco Dominus ad ſe reduxit: atque, vt omne fermè malum, quod animam hanc eatenus puriſſimam occuparat, à prauo malorum conſortio promanarat; ſic omne viciſſim bonum in eandem, è ſancto ſanctæ cuiuſdam virginis hoc in cœnobio agentis contubernio voluit deriuari. Huius namque è familiaritate ac colloquio ita immutata eſt, vt prauos, quos imbiberat mores, paulatim exueret, & ad bonos, quos antè exuerat, poſtliminiò reuerteretur; nec non paulatim, quod in religioſum inſtitutum concepe-

M. Tereſa naturaliter omnem turpitudinem deteſtabatur, & pudoris erat ſtudioſa.

Monaſterio includitur in habitu ſæculari.

Bona cõſortia laudabilia.

Digitized by Google

cœperat, odium deponeret, & de æternis aßiduè bonis meditari, ac tota ad eadem animi contentione nutuq; aspirare inciperet; multas ad Deum funderet & ipsa preces, & ab virginibus omnibus pro se fund: peteret; vitam denique quotidie in melius commutaret, etsi nondum planè monasticen profiteri animo constituisset. Nec verò, quòd intra monasterij huius septa conclusam Teresam cerneret, ab ea pro more infestanda spiritus malignus destitit: quin imò & hic graue illi indixit bellum, tam internum prauis suggestionibus, quàm externum mittendis ad eam aliorum nuncijs. Sed cùm inanis omnis eius conatus foret, ilicò cuncta in ventos abiere, & quam ille eius inescandæ spem conceperat, penitus tum euanuit & concidit. Hoc in monasterio sesquiannum commorata, tum demum paternas ad ædes redire compulsa est, cùm grauis illam afflixit infirmitas.

## CAPVT VI.

### *INDVIT HABITVM B. VIRGINIS DE Carmelo, & professionis vota concipit.*

COnfirmatis iam è superiori ægritudine nonnihil viribus, Teresa ad sororem Mariam Cepediam in pago commorantem à suis mittitur, vt ad dies aliquot apud ipsam animum relaxatura diuersaretur. Sed dum ei alius, Hortigosa nomine, quatuor ab Abula passuum millibus distans pagus pertranseundus esset, in quo patruus eius, Petrus Sanchez Cepedius, iam vxore viduatus, ea tempestate habitabat; apud hunc pauculis diebus diuersando hæsit: cuius honesta sanctaque vitæ conuersatio miros Teresæ ardores iniecit. Spiritualium namque librorum lectioni sese dedere eo hortatore cœpit, erga quos licèt ipsa parum afficeretur, vt patruo tamen morem gereret, eos frequenter volutabat. Vnde factum est, vt non ita multò pòst illam pernosse veritatem cœperit, quam illius etiamnum teneræ cordi Deus olim insculpserat, esse videlicet cuncta hæc mortalia verè nihil, & in ictu oculi subitò ad nihilum redacta euanescere; hinc in statum religiosum magis animo propendere, quod tamen à se ipsa hactenus impetrare haud potuerat, aut firmiter statuere. Tres hic menses anceps hæsit & nutabunda, assiduè secum ipsa pugnans; demum ita secum ratiocinando, sui victrix exstitit, religiosæ vitæ acerbitates & grauamina maiora esse nō posse ijs, quæ in purgatorio ab animabus feruntur; quare, cùm delinquendo infernales ipsa cruciatus promeruerit, parum videri, si, quod reliquum esset vitæ, in purgatorij quodammodo pœnis & venationibus traduceret. Legebat tum Teresa D. Hieronymi Epistolas, quarum illam lectio ita concitauit, secum vt statueret, religioni sese vouere: quod cùm patri decretum animi indicasset, ad hoc exequendum ab illo impetrare facultatem minimè

*Quem è sanctis libris fructū hauserit.*

*Qua ratiōne se Teresa ad vitam religiosam animarit.*

minimè potuit; quòd ipſam mirè præ reliquis liberis diligeret. Porrò cùm iam reapſe DEI famula eſſet experta, quàm ſibi hominem parum fidere oporteret, ſimul etiam quadamtenus didiciſſet, quanta mundi eſſet vanitas; vti in omnib. quæ aggrediebatur, ingentem ſemper & excelſum animum præferebat, ſeſe in tuto collocare, & quod propoſuerat, perficere ſecum ipſa ſtatuit. Quare quadam die ſummo manè, poſtridie Kalend. Nouembr. qua fidelium animarum anniuerſaria in Eccleſia recolitur memoria, anno poſt natum Chriſtum M.D. XXXV. cùm iam poſt exactum annum ætatis vigeſimum, ſeptem effluxiſſent menſes, nemine propoſiti conſcio, præterquam Antonio de Ahumada fratre, qui ipſam eſt comitatus, clàculò ſe domo paterna proripuit, rectaque ad primarium Abulæ monaſterium ab Incarnatione cognominatum, Ordinis Beatæ Mariæ de Carmelo, properat. Huic ipſa Antonio ijs ipſis diebus, quibus non ita pridem fugam meditabatur è mundo, perſuaſerat, ſæculo vt valedicens religioſam vitam iniret. Par ſcilicet erat, vt, per quam tot pòſt animæ in viam reuocandæ cœlicam erant, iam tum quoddam zeli ardentiſsimi erga proximos ſpecimen daret. Ambo igitur paterna ſe domo ſubducunt, vt religionis in portum ſe recipiant, tametſi impari euentu. Tereſa namq; iam intra Incarnationis cœnobium recepta, Anton. inde rectà ad S. Thomæ, Ordinis D. Dominici contendit, admiſsionem poſtulaturus. Admittere illum tum quidem illius domus ſuperiores noluere, niſi de parentis antè eſſent, quem familiariter nouerant, voluntate ac mente facti certiores: quare pòſt in familiam Diui Hieronymi cooptatur, at cùm nondum expleto tirocinio in morbum incidiſſet, cœptum vitæ curſum minimè tenuit. Redeamus ad neophytam noſtram, cui nouas maioreſque de cœlo indies gratias Redemptor impertiebatur, quantoque eam amore ac ſtudio complecteretur, iam tum apertè ſatis declarabat. Iam inde ab initio hoc illi præ cæteris monaſterium placuerat, quòd in eodem Ioanna ageret Suaria, cui Tereſa animo coniunctiſsima erat, cuiuſque illi pòſt neceſsitudo & contubernium non parum vtilitatis attulit, vt ſuo reddam loco: verùm cùm iam reipſa religioſa vita eſſet aſſumenda, ita in omnem æquè propendens ſe indifferenter habebat, vt non inuita ad aliam tranſiſſet familiam, ſi hanc è diuino magis futuram obſequio exiſtimaſſet: plus namque de animæ incolumitate & quiete, quàm erat de corporis conſolatione ac recreatione ſolicita. Porrò è parentis terreni domo in Patris cœleſtis habitaculum tanta animæ ſuæ obluctantis contradictione tranſijt, & tam vehementem in illa ſeparatione doloris eſt experta ſenſum, vt ſingula propè ſede ſua oſſa moueri, ipſa quoque anima de corpore violenter auelli ſibi videretur. Verùm diuina auxiliante gratia, & ſui qua excellebat animi magnitudine & generoſitate ſuperante, è duro hoc tenera virguncula certamine victrix abijt, & excelſa quadam mentis conſtantia & robore ad cœnobium properauit, re-

*Religionem ingreditur anno 1535.*

*Quam paſſa ſit contradictionem in anima, dum religionem iniret.*



Digitized by Google

uit, religioniſque veſtem ſupplex petijt, tanta quam ſentiebat luctam diſſimulatione tegens, itaque mentis ſerenitatem ac quietem mentiens, omnes vt illam exiſtimarent maximo, quæ peteret, deſiderio & ardore petere. Extemplò igitur Dominus (qui nihil optat magis, quàm vt quæ in ſuo obſequio occurrunt difficultates & moleſtiæ, generosè perrumpamus, quò ſuam in nobis miſericordiam pateſaciat) tanta mentem illius voluptate ob ſtatus huius electionem deliniuit ac perfudit, numquam vt hæc illi poſtea defuerit. Mutatæ ergo quamprimum animæ ariditas in tenerrimi amoris ſenſum, & rerum ſæcularium guſtus ad religioſarum deliciarum ſenſum cœpit deſipere. Viſo itaque ſe iam prorſus ab hiſce vanitatibus adeò grauibus eſſe liberatam, internum animi capere ipſa gaudium vix poterat. Non ceſſabat tamen toto ipſo tirocinij anno varijs ſeruam ſuam Dominus exercere rebus, quæ licèt in ſe moleſtæ non eſſent, ipſam tamen non mediocriter affligebant & vexabant. Quotidie verò magis & magis de cœlo Dominus oſtendebat, non temerè hanc aut fortuitò ab ipſa eſſe religionem ſuſceptam, ſed mirabili quadam prouidentiæ ſuæ nutu ac directione, vt nimirum reipſa iam impleretur, quod multis antè annis prænuntiatum erat futurum. Fama tum erat, plurimis abhinc annis foſſorem quendam theſaurorum inquirendorum gratia eò veniſſe (hoc enim monaſterium ruri eſt haud procul à muris ciuitatis) cumque hinc inde per domum aurum indagaturus fodiendo vagaretur, præſagis prophetæ oculis alium pretioſiorem longè theſaurum ac pignus eo quod foſſoris oculis quærebat, detexiſſe, & vaticinando prædixiſſe, futuris hoc in monaſterio temporibus monacham quamdam ſanctimonia illuſtrem fore, nomine Tereſam. Sunt qui prædictionem hanc in ſanctimoniali quadam pietate inclyta, quæ ſub prima fundationis exordia ibidem floruit, adimpletam volunt. Fieri autem poteſt, vt tam hi verum quàm ille dixerint, vt nimirum in duorum teſtium ore hoc adeò verum verbum conſiſteret. Certiſsimum porrò vaticinium hoc enuntiatum eſt fuiſſe; nam Tereſa noſtra, vtpote comis & iocoſa per riſum à religioſa quadam, quæ ibidem tunc eiuſdem ſecum erat nominis, petere ſolebat, num ipſarum alterutra illa futura eſſet Tereſa, quam oraculum deſignaret. Hoc igitur pacto tirocinij tempus traduxit, multis quidem illa quoad corpus morbis vexata, ſed incredibili animi hilaritate & gaudio cumulata: quo tandem decurſo, vota profeſsionis ilicò nuncupauit. Etſi verò ijs ipſis diebus vehementer eam tartareus hoſtis exagitaret, & in votis ipſa concipiendis tantam ſenſerit ſpiritus repugnantiam, vt poſtea exaggeratura quamdam quam experta erat in re aliqua difficultatem, ſimilem vmquam ſe ſenſiſſe negarit, ne tùm quidem, cùm vota emiſit monaſtica, niſi fortè tum, cùm domum paternam deſereret, monaſterium primum ingreſſura, vti poſtea ſuo loco narrabimus; tamen, nequidquam omni obnitente

Lætitia eius ob aſſumptâ religionem.

Prędictio de quadã S. Tereſa futura.

Magnas in vouẽdo experitur difficultates.

Digitized by Google

tente carnis contradictione, ita in ipsa diuinę vis præualuit gratię, vt vota hilari generosaq; mente conceperit, toto ex corde illi se Domino, qui tam potenti eam manu vanitatibus, fraudibus & periculis, in quibus aliquo versata erat tempore, eduxit, in sponsam consignando.

## CAPVT VII.

### *GRAVIBVS AFFLIGITVR MORBIS, AB ijsdem liberata ad pristinas redit vanitates, orationis exercitium intermittit, sed ipsum denuò resumit.*

CORporis quotidie in Teresa infirmitates, deliquiaque assidua, accedente maximo cordis languore, aliæque ægritudines inualescebant, è quibus fiebat, vt sæpè omnis expers sensus ac motus videretur: cumque Medicorum Abulensium in ipsa sananda nehilum proficeret industria & scientia; pater, cui ipsa erat carissima, monasterio eam compulit egredi, comitante sanctimoniali illa, quam habebat amicissimam, quò mulieri cuidam, quæ varijs mederi malis ferebatur, in loco, cui nomen *Bezedas*, valetudinis curandæ ergo traderetur: porrò anno penè toto tunc à monasterio abfuit. Brumæ sub initium eo egressa est: quoniam verò nonnisi ineunte æstate medicæ tradenda erat in loco, cui à Castellanis *de la cannada*, nomen est, & in ipso situs est itinere, tantisper est apud Mariam Cepediam sororem, quam patri Catharina Pesana prima coniux peperit, Martino Gusmanno Barriento nuptam, commorata: his ipsa coniugibus, ac præsertim sorori Mariæ erat carissima. Hoc in loco dum versatur, ad orationis studium famulam suam efformare Dominus cœpit, viam illi ad hanc præmonstrante pio quodam, quem à patruo acceperat, libro, tertio scilicet Abecedario Osunæ. Dedit itaque statim id illi orationis genus, quod à quiete Contemplatiui scriptores denominant: quin etiam interdum vnitiua illi orandi ratio communicabatur, cùm tamen nec hanc, nec illam ipsa intelligeret. Quoniam autem, vt antè monui, ijs quæ de se in libro vitæ Teresa scripsit, diutiùs immorari non est animus, sed ea breuiter perstringere, eo dumtaxat animo, vt historiæ contextum seriatim deducam, ac cætera planiùs suo loco legantur; hoc solùm dicam, in his orationis eius principijs euidẽtissimè Dominũ demonstrasse, quot quantaq; illi cõmunicaturus pòst esset dona, quin imò in tam grauib. diuturnisq; morbis, illorumq; medicatione maximam illi & perfectissimã contulit tolerãtiã. Trimestre vnà cũ sorore in *Bezedas* hæsit, muliere, quã dixi, eius valetudinem curante. at quoniã quę adhibebantur medicamenta,

*Morbi M. Teresæ.*

*Oratio quietis illi familiaris.*

*Patiens fuit in morbis.*



Digitized by Google

vehementiora erant, quàm vt imbecillis illius corporis conſtitutio ea ferret, maior fuit illius inde redeuntis, quàm accedentis infirmitas: quare Abulam paternas in ædes remiſſa eſt, vt à medicis coràm inſpiceretur, qui omnem eius curandæ ſpem abijcientes phthiſi eam conſumptum iri aiebant. Ipſa porrò Aſſumptionis Virgineæ nocte tantum tamq; diuturnum paſſa eſt paroxyſmum, vt quatriduo ipſo omnem amiſiſſe ſenſum, & velut exanimis videretur; vnde & ſacro fuit oleo velut ſuprema in lucta verſans

Creditur exſpiraſſe.

inuncta, ac ſymbolum illi Apoſtolicum ſæpiùs prælectum, quòd ſingulis exſpirare momentis videretur. Nihil penitus horum Tereſa percipiebat, vt ne liquefactam quidem ceram in carnem decidentem ſentiret (nam exinde ad ſe reuerſa in oculos eam decidiſſe comperit.) Iam tumulum illi ſuo in cœnobio pararant, & cadauer in horas exſpectabatur terræ mandandum. circumſtabant iacentem religioſæ ex Incarnationis eò emiſſæ, vt funebrem pompam comitarentur. Et ſanè ſepulchro eam intuliſſent, niſi, omnibus tamen ſecùs ſentientibus, ſæpè parens, quòd magnam venarum pulſus explorandi peritiam haberet, ſibiq; perſuadere non poſſet, illam exſpiraſſe, impedijſſet. quare dicentibus eam ſepeliri ſineret, reſpondebat, Nequaquam; nondum enim hæc eò redacta eſt filia, vt ſepelienda ſit. Tum quidem & aliud diſcrimen, huic non inferius adijt. frater eius Laurentius Cepedius quadam ex illis quatuor noctibus apud ægram cùm nocturnas vigilias duceret, ſomno grauatus in ſomnum incidit: & ecce candelâ, quæ in lecto collocata Tereſæ erat, ad extremum redactâ, ignem ilicò concepit ceruical, ſtragula & linteamina: quem niſi euaporans fumus ſomno excitaſſet, ægra aut incendio periſſet, aut certè, vti iam quidem cœperat, exſpiraſſet. Quatriduo elapſo ad ſeſe redijt, atque, vt à viris & auctoritate & religione ſpectabilibus (quibus plurimum credo, quòd mihi ſint notiſſimi, & quos ſcio quàm veritatis ſint amantes, quiq; ex ipſo Tereſæ ore acceperunt) audiui, quærere ab aſtantib. cœpit, quamobrem ſe euocaſſent; ſe enim in cœlo tum fuiſſe, nec non ad infernale barathrum in ſpiritu delatam eſſe;

Viſiones exſtaticæ M. Tereſæ.

quin patrem ſuum, & Ioannam Suariam familiarem ſuam ſanctimonialem in Incarnationis, ſalutis ſua interceſſione æternæ compotes futuros; vidiſſe tum quoque, quæ à ſe fundanda erant monaſteria, & quid in Ordinis ipſa gratiam factura eſſet, quot ſuâ ſalutem eſſent animæ operâ conſecuturæ, ſeque ſanctitatis opinione antè comparata ex hac vita migraturam, denique corpus ſuum priuſquam terræ mandaretur, aureo integendum panno. Nihilominus fateamur neceſſe eſt, quoties hac de re Beata Mater interrogaretur, dicere ſolitam, mera hæc fuiſſe deliria, & phreneticorum ſomnia, ſeque, comperto deinde, patrem hæc tunc narranti adfuiſſe, & hæc illum ſuo ex ore audiſſe, pudore non modico illius cauſa ſuffundi, quòd ipſe vir grauis eſſet. Cæterum ij, quos ſuprà indicaui, viri ſatis intelligebant, hoc nonniſi rei diſſimulandæ gratia ab illa dici: quid-

Digitized by Google

quidquid enim tum prædixit, pôſt reipſa completum eſt, vti videre legenti licebit. Et ſanè ipſe anno M. D. LXXXVII. R.P.F. & Magiſtrum Noſtrum Dominicum Banneſium, Primarium ſacræ Theologiæ apud Salmanticenſes Profeſſorem, pro concione in feſto cuiuſdam ex Ordine Patrum Excalceatorum dicentem audiui, multis ſe Tereſæ noſtræ annis à confeſſionibus fuiſſe, & teſtantem quatriduo illo, quo auocata à ſenſibus velut mortua habebatur, inferorum illi pœnas à Chriſto monſtratas, idque ex eius ſe ore accepiſſe. Deinde verò ſorori ſuæ Ioannæ de Ahumada narrauit, ſe, ſi quidem id ſibi conceſſum fuiſſet, eo quo tum erat loco, optaſſe manere, nec in mundum reuerti, quòd in bona tum via fuiſſet. Mihi ſaltem veriſimile fit, tum quidem illi monaſteriorum fundationes reuelatas non fuiſſe, vti colligere poterit lector ex ijs, quæ libri ſequentis capite ſexto narrabo. Et ſanè, reliqua quæ tum illi viſa feruntur, non tanti mihi videntur momenti, & fortè quędam in imagine fuerit repręſentatio, cui & ipſa Mater parum fidei attribuebat, atq; ideo deliraměta ea dicere ſolebat. Exinde verò prout potuit, Confeſſionis ſacræq; Synaxeos myſteria celebrauit multis cum lacrymis. Quin etiam intolerabiles, vt quidem videbatur, tum, & grauiſſimos patiebatur dolores; ſed eos ipſa excelſo quodam animo, & ſingulari patientiæ exemplo ferebat adusque ferias Paſchales, ac tum quidem, quia id illa maximè vrgebat, ſemianimis ac velut mortua, ad ſuum delata cœnobium eſt. Octo ipſis menſibus omni membrorum vſu deſtituta iacuit; triennio autem toto grauis ac diuturnus hic morbus ipſam confecit. Morbi tamen grauitatem ac moleſtiam pijs de Deo rebuſque diuinis leniebat colloquijs, quibus tum quidem magis capiebatur, quàm vllo de re qualibet ſermone: ſæpè quoque Confeſſionis & Euchariſtiæ Sacramenta vſurpabat; librorum ſpiritualiũ lectione mirificè delectabatur; ſi quam contraheret noxam, hanc & concepto protinus dolore & pœnitentiæ lacrymis expiabat. Et ita quidem grauis is dolor erat (etſi vitio id potius ei verti debeat) vt ad orationem redire denuò non auderet, quòd grauiſſimam, quam in eadem ex offenſo Numine ſenſura erat, perhorreſceret pœnam. Nec verò è metu aliquo hæc in ipſa pœna naſcebatur, ſed quòd recogitaret, ęquas ſibi inter orandum gratias munificus Dominus communicaret, videretque quàm exigua ingentibus illius beneficijs gratitudine reſponderet; quod ipſum ęquo animo ferre non poterat; adeò vt & ob lacrymas, quibus culpas ſuas eluebat, non parum poſtea contriſtaretur, cùm ad oculum cerneret, quàm parua vitæ inde ſequeretur emendatio. Sed glorioſi Confeſſoris Ioſephi, cuius illa perſtudioſa cliens erat, cuiuſque quotannis qua poterat ſolennitate feſtum celebrabat, interceſſione, lectulo tandem ſurgere & pedem figere ambulando cœpit.

*Triennium ægrotat.*

*Quam in oratione difficultatem experiretur.*

*M. Tereſa mire erga S. Ioſephum afficitur.*

Quamuis autem hęc noui hominis indicia cerneret humani generis inimicus, nondum tamen omnem eius recuperandæ ſpem abiecerat, ſed qua po-

Orationem omittit, idque prætextu honeſtatis & decori in amicitia.

poterat, laqueos illi & inſi[illegible]ſtruebat. Multi ea tempeſtate ſæculares cœnobium illud frequentabant: & quoniam Tereſa perhumana erat, inque conuerſatione ſuauis & blanda, cenſebatque præter decorum & turpe ſibi bene natæ fore, ſi non viciſſim, à quibus ipſa beneuolè habebatur, reciproco amore ac beneuolentia foueret; ad id genus familiaritates & fouendas & ſectandas impellere eum Satanas cœpit. Nec irrito conatu: ita namque ijs ſeſe dedit, vt ſolita orationis exercitia paulatim intermitteret, cùm quòd iam tum ſuâ culpâ communicari cœlitùs ſolitis inter orandum fauoribus ac delicijs fruſtraretur, tum verò quòd iam familiariter & amicorum ritu cum DEO erubeſceret in oratione conuerſari ipſa, quæ hominum contubernia adeò vanè conſectaretur: quod ipſum etiam maioris illi eſſe humilitatis videbatur argumentum. Ad has ipſa etiam frequentandas conſabulationes eò magis alliciebatur, quòd has ab alijs, quas vt præ ceteris religioſas ſuſpiciebat, vſurpari paſſim cerneret. Non parum huc etiam faciebat, quòd tales ipſa tum nacta eſſet confeſſarios, qui, rerum ignari, liberè aſſererent, quod veniale commiſſum eſſet, licitè id contrahi; quod verò mortale, id nonniſi medicum ac venia facilè dignum eſſe illi perſuaderent. Vnde factum, vt in ſua ipſa vanitate permaneret atque ignorantia, ijs ſalutem exponens occaſionibus, quæ, etſi nullum ipſa metueret, ſummum diſcrimen inuoluebant, vnde ſæpè etiam ipſa ſauciato animo ac læſa inde decedebat. Non tamen idcircò clementiſſimus eam de cœlis Pater deſeruit; cùm enim quodam tempore cum contubernalibus atque amicis iam fabulari inciperet, (quod ipſam colloquium pòſt maximè vexauit) internis animi oculis Redemptorem noſtrum Ieſum conſpexit in ſpecie ſeuerè increpantis & indignantis; vnde apertè intellexit, quantoperè hæc illi commercia & conuerſatio vana diſplicerent. Viſio hæc clarior & euidentior longè fuit, quàm ſi corporis eam oculis excepiſſet: eiuſque imago & ſpecies animo illius adeò infixa hæſit, vt etiam multis pòſt annis hanc ſibi ſemper velut præſentem habere videretur. Non tamen propterea ſolitas, quibus affixa penitus erat, deſerebat familiaritates: vt eas ipſa, quamuis iam elapſus eſſet annus, ex quo orationis exercitationem omiſerat, atque illo euoluto, conſulente Vincentio Barronio S. Theologiæ Lectore, Ordinis D. Dominici, cui iam conſcientiæ committere arcana cœperat, ad illam denuò rediſſet; adhuc foueret, pergeret, nec intermitteret. Non parum porrò ipſam angebat, quòd inter precandum ſuos quidem ipſa errores agnoſceret, eoſque deſerendi ardens deſiderium perſentiſceret; verumtamen priſtina conſuetudine inualeſcente aſſueta abrumpere conſortia non poſſet. Cùm deinde in cœnobij ab Incarnatione dicti veſtibulo cum aliquo ipſorum quos indicauimus verſaretur, ſaucium ac conuulneratum illi Dominus brachium oſtendit, è quo non minima carnis portio reuulſa videbatur,

Aliarũ exẽplo conſortia mundanorum frequentat.

Eequo in periculo verſaretur ex ignorantia confeſſariorum.

Viſus illi Dominus Ieſus in ſpecie iraſcentis.

Ad orationum redit exercitia.

Alia eiuſdẽ viſio, qua Redemptorem vidit plagis conuulneratũ.

iam

Digitized by Google

ſam inde ab eo tempore, quo ad columnam vinctus fuerat, plangens quodammodo, quòd ad hũc eius cauſa eſſet redactus ſtatum, quamq; poſt tantæ dilectionis argumenta, hoc vitam pacto exigendo, ingratitudinem declararet. Monitos hic autem lectores velim, ignorare me, nec commodè diſtinguere aut diſcere potuiſſe, eadémne hæc viſio cum præcedente fuerit, an diuerſa. Nec verò nullius omnino viſum hoc fuit efficaciæ ad conſuetas contuberniorum relaxationes abrumpenda, etſi nondum idcirco penitùs ijs nuntium remitteret. Adeò vt viginti propemodum illi effluxerint anni, dum alternando ac velut ludificando modò præcipitat, modò ſe in pedes poſt lapſum erigit; vt nec plenè diuinis conſolationibus potiretur, quòd ad eaſdem recipiendas non quo par erat modo ſeſe diſponeret, nec etiam mundanæ illi planè ſaperent aut placerent. nam cùm his ſe applicaret, impedimento, quò minùs eiſdem abſorberetur, eorum erat quæ Deo debebat obſequiorum, & grauium quas in ipſum contractabat culparum recordatio, qua quaſi frigida ſuperfuſa intepeſcebant. Interim tamen, dum ſic nutabunda nunc huc, nunc illuc propendet, ad aliquot interdum menſes, & etiam annum ſolidum quàm diligentiſſimam dabat operam, ne in Dei peccando maieſtatem offenderet, orationique aſſiduè incumbebat: vt toto illo tempore quàm pauciſſimi præterierint dies, quibus non longo temporis ſpatio cum Deo per orationem locuta ſit. quare, quòd tandem planè mundanis famulam ſuam vanitatibus inanibuſque ſolicitudinibus Deus expedierit, ſibique penitus ſecreuerit, vni aſcribendum orationis precationiſque aſſiduitati cenſeo.

*Per orationem Tereſā ad ſe pertraxit Deus.*

## CAPVT VIII.

### PECCATORVM M. TERESAE GRAuitas oſtenditur.

ANtequam de ſuprema B. M. Tereſæ de Ieſu conuerſione ſermonem inſtituam, qua tandē aliquando ſinceriùs & magis ex animo potenti illi Domino, à quo tot tamq; diuerſis inuitabatur modis, manus dare vocanti cœpit, viſum eſt nonnulla de delictorũ eius, de quibus hactenus multa commemorauimus, ac de quibus ipſa toties tanto cum doloris ſenſu & exaggeratione meminit, grauitate præmittere. Equidem probare non poſſum eos, qui ſanctorum vitas euulgantes illorum ſubticere & celare peccata defectuſq;, in quos, vtpote homines, aliquando impegerunt, omni ratione ſtudent: quòd hoc pacto immenſā bonitatis, miſericordię, & ſapiētiæ Dei, qui ipſos in eiſdē tādiu volūtātes benignè tolerauit, ſed inde tādem per potentiſſimas, efficaciſſimas, ac verè admirabiles rationes eduxit, & ex ijs qui erāt priꝰ, tales effecit deinde, quales poſtea cōparuere, magnitudinē quo-

*Qui ſanctorum ſcribūt vitas, ipſorū ſilere non debent errata.*

quodammodo tegere & obſcurare videantur. Hinc, ſi Tereſæ noſtræ ſingillatim ipſe peccata noſſem, equidem ea vulgare non dubitarem; quòd & ipſamet eadem minimè ſupprimebat, ſed euulgari cupiebat, vt diuina hoc pacto bonitas clementiaque magis innoteſceret, illiuſque magis per eadem gloria eniteret. At quòd nefas & iniquum ſit, hæc illi peccata affingere, quæ reuera non admiſit, & qui hanc eius vitam legent, facilè ſibi perſuaderent, inſigniter eam in corporis caſtimoniam pudoremque virgineum delinquere oportuiſſe, quantum quidem hoc ipſa verbis exaggerat; ideò hunc ipſe præſenti hoc capite errorem ijs eripere conabor. Sæpè & ipſe mecum cogitaui, & alios, quibus hoc notum eſſe poterat, conſului, ecquænam eſſe potuerint peccata, quorum illa recordatione continenter in lacrymas & planctus erumpebat: ac niſi ipſa trigeſimo & quarto vitæ capite palàm teſtata eſſet, monſtratam ſibi apud inferos ſedem ſibi præparatam; in animum ipſe meum inducere non potuiſſem, vllum eius peccatorum in letalium gradum videri referendum. Imò ne hæc quidem eius aſſertio omnem mihi dubitationem eximit. Potuit quippe hęc illi in gehenna ſedes oſtendi, non quòd ipſa eam tunc reuera promeruiſſet, ſed poſt facilè mereri potuiſſet, cœptum iter proſequendo, niſi eam inde Dominus reuocaſſet. Quæ me autem in hanc ſententiam impulerint rationes, ſunt hæ.

An Tereſæ peccatum vllum letale fuerit.

Prima, quòd à culpis ac næuis, quibus reliquæ mulieres obnoxiæ ſunt, contentionibus, inquam, rixis, litigijs, æmulationibus, detractione, ſimilibuſque nimis quàm fuerit aliena. Qua de re ſic ipſa ſuperiùs indicato vitæ ſuæ capite locuta eſt: *Quando mecum ipſa perpendo, in me, licèt miſerrima ac peſſima eſſem, ſemper aliquam Deo ſeruiendi curam ac deſiderium extitiſſe, ab aliquibuſq; abſtinendi continenter delictis, quæ non aliter à mundanis paſſim obbibi & deglutiri video, quaſi nihil penitus eſſent; deniq; grauiſſimis me diuexatam fuiſſe morbis, & ſingulari illos patientia, quam mihi Dominus elargiebatur, tuliſſe, non fuiſſe etiam ad detrahendum proximo, aut calumniandum maledicendumve procliuem. Videbar adhuc nulli prorſus malum optare: auaritiæ ſordibus infecta minimè eram, neu memini ſuam cuiquam me vnquam ſortem ita inuidiſſe, vt hoc pacto in Deum grauiter offenderim; deniq; nec alijs fui vitijs addicta: etſi enim adeò eſſem miſera, vti reuera erã, timor tamen diuinus mihi vt plurimùm ob oculos verſabatur, &c.* Omne eius delictum in eo ſitum erat, quòd familiariter & amicè nimis cum viris conuerſaretur. Exploratum porrò & indubitatum eſt, nullum in omni hac conuerſatione ab ipſa letale crimen, quo corporis honeſtas ac puritas vel minimùm inquinaretur, admiſſum eſſe, imò ne conſenſum in ſimilia carnis inquinamenta dediſſe; nec modò poſtquam iam monaſticæ vitæ profeſſionem ediderat, vtpote iam ſecum ipſa collectior, & modeſtior, atque in ſui cuſtodiam intentior; verùm etiam tum, cùm & ætas erat imbecillior, & ad lapſum pronior, nec non peccandi libertas maior, & ad ſui defenſionem minus iudicij ac prudentiæ. Quocirca de hac ipſa ætate ſic vitæ ſe-

Nõ obnoxia erat cæterarum mulierũ peccatis.

Nullũ vnq̃ letale delictum admiſit quoad carnis fragilitatem.

næ ſecundo ſcribit capite: *Numquam igitur grauiter in malum propendi, quod naturaliter omnem ipſa impuritatem deteſtarer, excepto quòd honeſta contubernia plus æquo & nimis quàm ſtudioſè atq; efflictim ſectarer.* Antè verò præmiſit: *Non videor mihi ob culpam vllam letalem Deum derelictura fuiſſe, nec illius animo meo timorem proſcriptura, tametſi maiori honoris amittendi metu tenerer. Timor hic in cauſa fuit, vt non eum penitus amitterem. Nec ſanè videtur me res vlla in mundo ab hac ſententia reuocatura fuiſſe, nec alicuius demũ ipſa amore eò pertrahẽda. Vtinã verò pares mihi fuiſſent vires ad honorẽ Dei in omnibus integrum inuiolatumq; conſeruandum, quales mihi natura ſuggerente ſuppetebant, ne quid agerem, aut paterer, quo honori meo apud homines vel minimum decederet.* Sed audi etiam plura. Scio, cùm apud illam iam ſeniorem è filiabus quædam quoad tentationes carnales ſermonem intuliſſet, ilicò B. Matrem reſpondiſſe: Nihil horum intelligo filia; hanc mihi quippe benignus ille Deus gratiam dedit, vt toto vitæ tempore non meminerim me quidquam hoc in genere admiſiſſe, quod confeſſario exponendum eſſet. Narrauit hoc mihi aliquoties Præpoſita vnius è primarijs Ordinis huius monaſterijs, quæ tum verax, tum religioſa cumprimis, cui nimirum hoc B. Mater tum reſpondit. Quibus ſi adiungamus, quod illa quinto eiuſdem libri capite ſcriptum reliquit, ſe videlicet, etiam tum cùm vanitates mundanas conſectaretur, nullam vnquam, etiam venialem ac leuem noxam omiſiſſe, quam non ſacerdoti aperiret; liquebit ad oculum, quàm ſingulari Deus animam hanc, quã ad res adeò arduas & excelſas reſeruarat, gratia præuenerit, dum ei miſeratione quadam inaudita corporis ſimul & animi puritatem integram illibatamque conſeruat, vt poſt hanc vitam videlicet immortalem ipſa virginitatis coronam conſequeretur. Equidem, quantum coniectura aſſequi poſſum, non alia eius fuiſſe crimina exiſtimo, quàm quòd præſenti peccandi grauiterque in alia impingendi ſe exponeret periculo, quod huiuſmodi conuerſatio, colloquia, commercia, & familiaritas, cum id genus præſertim hominibus creabant: erant namque aut ætate iuuenes, aut virtutibus deſtituti, ac proinde ad lapſum proni; ipſa verò naturà ad amorem alliciens & blanda, & nata ex animo bene velle ijs, quibuſcum amicitiam contraxerat. Hoc ex ipſius colligi poteſt verbis: quo enim loco teſtatur numquam ad malum ſe multum propendiſſe, quòd naturà omnem immunditiam & probrum carnale abhorreret; ſed ſolis honeſtis recreationibus ſe ac remiſſionibus deditam fuiſſe, hæc ſtatim ſubdit: *Verùm cùm occaſiones non euitarem, præſens erat lapſus periculum, cui & patrem & fratres exponebam; ſed ab hoc me Dominus vindicauit ac protexit. Vnde manifeſtum fit, Deum, etiam inuita me, prouidiſſe, ne penitus ipſa perirem, &c.* Ac licèt tanta eſſe queant diſcrimina, adeoq; præſentia, vt peccatum letiferum includant, in ea tamen, quæ adeò hoc in genere circumſpectè & prouidè ambulabat, cuiuſque voluntas ab omni carnis contagio adeò remota & aliena erat, vix crediderim

Euidens de virginitate Tereſæ teſtimonium



Digitized by Google

rim mortalia esse potuisse, præsertim cùm nullum tale ipsa vnquam admittere constituisset, & quos tum quidem nacta erat confessarios, mortalia eius esse delicta negarent. Quod etiam liberè de se ipsa confitetur eodem cap. secundo: *Edocta ab illo, qui conscientiæ meæ rationibus præerat, & ab alijs etiam, qui in Domino mihi asseruere, in multis me, quæ ceu crimina habebam, in Deum non offendere.* Capite verò quinto, de eo, quod ab imperitis sibi confessarijs accedebat, damno sic ait: *Eruditus omnis & scientia conspicuus numquam me decepit, vti nec illi alij me circumuenire volebant; sed ignorabant potiora, licèt ipsa eos vt gnaros & peritos haberem, neve ad plura me, quàm ad ijs credendum, teneri existimarem: vti erat quædam, quod mihi consulebant, relaxationis indulgentia, & quæ maiorem mihi libertatem spondebat: si enim mihi libertatis habenas constrinxissent, ea mea erat nequitia, alios vt ipsa mihi confessarios quæsiuissem. Quod veniale commissum erat, adeò peccatum non esse suggerebant, vt etiam licitum dicerent; quod verò letale & grauius, inter venialia ab ipsis annumerabatur. Tantum hoc mihi in spiritu nocuit, vt parum sit, hoc me id loco ad multorum vtilitatem referre, &c.* Capite verò octauo ita de se loquitur: *Exprimere equidem & effingere velim, in qua tum quidem anima mea versabatur, captiuitatem: facilè namque intelligebam eam velut captam detineri, sed in quo illa seruitus & captiuitas consisteret, intelligere haud poteram: neq; enim percipere penitus valebam, quomodo, quod confessarij non adeò exaggerabant, neu reprehendebant, tam malum id esset, vt in animo ipsa meo sentiebam. Alius, quem scrupulis diuexata consilij petendi gratia adibam, salutare mihi, & vtile esse dixit id genus angustijs diuexari, etsi in sublimes ipsa raperer contemplationes. Hæc quidem circa finem, quando iam adiuuante Dei gratia maiora ipsa peccandi declinare incipiebam pericula, licèt occasiones nondum penitus euitarem.* Ac paulò inferiùs: *Miseret me iam mei, dum recolo quanta passa sim, & quàm parum mihi aliunde affulserit auxilij, nisi à solo Deo: & quantam mihi darent in captandis recreationibus ac relaxamentis libertatem, ea mihi licita esse asserentes.*

Ex ijs quæ dicta sunt hactenus perspici licet, peccatorum eius maximum fuisse, quòd peccandi se periculis temerè exponeret, quæ visitationes & compellationes illæ sæcularium, quibus tenebatur, afferre poterant. Idcirco autem eadem postea adeò exaggerauit, seque mille gehennas promeruisse dicebat, quòd eadem alijs tunc intueretur oculis, quàm cùm olim admitteret. Nam quòd vehementi erga Deum amore ferretur, nulla offensarum illi exigua videbatur, sed quodcumque demum facinus conscisset, grauissimum illi apparebat; illa verò omnium grauissima ac teterrima, quæ in huiusmodi se discrimina conijciendo patrarat; tum verò, quòd, Domino eã ad sese misericordia, & prærogatiuis amicabilibus alliciẽte, id genus ipsa occasiones, à quib. & distrahebatur, & impediebatur, quò minùs Domino, qua par erat gratitudine ac gratiarum actione responderet, fugere noluisset. Hoc illius è verbis colligi posse videtur; capite namque ter-

Cur peccata sua Teresa adeò extolleret.

tertio sic de se scribit: *Intelligere tum illius cœpi veritatem rei, quam, etiamnum in puerili ætate ex parte cognoram, esse nimirum omnia, quæ mundo continentur, merum nihil; eiusdem quoque vanitatem & manias, quodq; breui omnis eius gloria in nihilum recideret; simul etiam vereri, ne, si mortua forem, ad Tartara detruderer.* Si reuera hæc peccata vt letalia habuisset, non dixisset hauddubiè, metuere se, ne infernalibus supplicijs addiceretur. verùm sic locuta est, quòd hac in parte non adeò sibi constaret, sed adhuc anceps nutaret. Deinde capite septimo, cùm diceret, quare conuersationem & necessitudinem, quam cum quodam contraxerat, non desereret, licèt per vnum atque alterum visum à Domino ad hoc ipsa allici monerique videretur, hæc adiungit: *Hæc ea dixi, vt mea manifesta fiat nequitia, & eximia immensaq; Dei benignitas, quamq; ob hanc ipsa ingratitudinem inferorum digna sim cruciatibus.* Hæc porrò ingratitudo letiferum includere scelus non videtur: at, quæ Deum tam ardenter amabat, ob hanc ipsam Tartaro quæ adiudicetur, dignam se existimat. Hoc quoque sensu capienda sunt, quæ de alijs ipsa peccatis profitetur: Conuersationes quoque & visitationes, tam quas aliorum ipsa excipiebat, quàm quibus alios adibat, adeò quidem longè tum aberat, vt noxam eas mortalem inuoluere crederet, vt & quæ similes frequentarent Monachæ, verbis ipsa velut rem honestam vsurpantes in opinione confirmaret. Quare ilicò subnectit: *Tum etiam, vt, si, Deo disponente, fortè aliquando Religiosa aliqua hæc legerit, mei exemplum imitetur. Equidem eas per amorem Domini nostri Iesu Christi obsecro, vt similes recreationes deuitent. vtinam verò diuinæ placeat Maiestati, vt quas ipsa in fraudem pertraxi, id negans malum esse; & in tanto eas periculo securo esse animo iubens, quòd mentem meam tum obscura teneret cæcitas (neque enim data opera eas inuoluere in errorem volebam) harum vel yna in rectam, me reuocante, viam reducatur, &c.* Et, si nec hæc sufficiant, multò id etiam clariùs capite significat septimo, hisce verbis, *Missa sum*, inquit, *vt à morbo illum suo curarem; sed maiori anima mea morbo tenebatur, vtpote vanitatibus occæcata, quàm illius corpus; non ita tamen, vt (quantum ipsa coniectura tum assequi poteram) mortali in culpa toto illo tempore exulceratissimo, de quo loquor, versarer: si enim illam me quoquo modo existimassem consciscere, ilicò me inde proripuissem.*

Et, si alijs interdum locis è B. Matris verbis colligi clarè posse videatur, letalia aliqua illá commisisse peccata; ideo equidem fieri credo, quòd illi tum, cùm hæc scriberet, talia hæc aliquoties esse viderentur. Non propterea tamen constat, talia hæc fuisse, dum admitterentur, spectatis scilicet omnibus, quas proposui, circumstantijs, quas numquam

uit, religioniſque veſtem ſupplex petijt, tanta quam ſentiebat luctam diſſimulatione tegens, itaque mentis ſerenitatem ac quietem mentiens, omnes vt illam exiſtimarent maximo, quæ peteret, deſiderio & ardore petere. Extemplò igitur Dominus (qui nihil optat magis, quàm vt quæ in ſuo obſequio occurrunt difficultates & moleſtiæ, generoſè perrumpamus, quò ſuam in nobis miſericordiam patefaciat) tanta mentem illius voluptate ob ſtatus huius electionem deliniuit ac perfudit, numquam vt hæc illi poſtea defuerit. Mutatæ ergo quamprimum animæ ariditas in tenerrimi amoris ſenſum, & rerum ſæcularium guſtus ad religioſarum deliciarum ſenſum cœpit deſipere. Viſo itaque ſe iam prorſus ab hiſce vanitatibus adeò grauibus eſſe liberatam, internum animi capere ipſa gaudium vix poterat. Non ceſſabat tamen toto ipſo tirocinij anno varijs ſeruam ſuam Dominus exercere rebus, quæ licèt in ſe moleſtæ non eſſent, ipſam tamen non mediocriter affligebant & vexabant. Quotidie verò magis & magis de cœlo Dominus oſtendebat, non temerè hanc aut fortuitò ab ipſa eſſe religionem ſuſceptam, ſed mirabili quadam prouidentiæ ſuæ nutu ac directione, vt nimirum reipſa iam impleretur, quod multis antè annis prænuntiatum erat futurum. Fama tum erat, plurimis abhinc annis foſſorem quendam theſaurorum inquirendorum gratia eò veniſſe (hoc enim monaſterium ruri eſt haud procul à muris ciuitatis) cumque hinc inde per domum aurum indagaturus fodiendo vagaretur, præſagis prophetæ oculis alium pretioſiorem longè theſaurum ac pignus eo quod foſſoris oculis quærebat, detexiſſe, & vaticinando prædixiſſe, futuris hoc in monaſterio temporibus monacham quamdam ſanctimonia illuſtrem fore, nomine Tereſam. Sunt qui prædictionem hanc in ſanctimoniali quadam, pietate inclyta, quæ ſub prima fundationis exordia ibidem floruit, adimpletam volunt. Fieri autem poteſt, vt tam hi verum quàm ille dixerint, vt nimirum in duorum teſtium ore hoc adeò verum verbum conſiſteret. Certiſsimum porrò vaticinium hoc enuntiatum eſt fuiſſe; nam Tereſa noſtra, vtpote comis & iocoſa per riſum à religioſa quadam, quæ ibidem tunc eiuſdem ſecum erat nominis, petere ſolebat, num ipſarum alterutra illa futura eſſet Tereſa, quam oraculum deſignaret. Hoc igitur pacto tirocinij tempus traduxit, multis quidem illa quoad corpus morbis vexata, ſed incredibili animi hilaritate & gaudio cumulata: quo tandem decurſo, vota profeſsionis ilicò nuncupauit. Etſi verò ijs ipſis diebus vehementer eam tartareus hoſtis exagitaret, & in votis ipſa concipiendis tantam ſenſerit ſpiritus repugnantiam, vt poſtea exaggeratura quamdam quam experta erat in re aliqua difficultatem, ſimilem vmquam ſe ſenſiſſe negarit, ne tùm quidem, cùm vota emiſit monaſtica, niſi fortè tum, cùm domum paternam deſereret, monaſterium primum ingreſſura, vti poſtea ſuo loco narrabimus; tamen, nequidquam omni obnitente

Lætitia eius ob aſſumptã religionem.

Prędictio de quadã S. Tereſa futura.

Magnas in vouẽdo experitur difficultates.

Digitized by Google

tente carnis contradictione, ita in ipsa diuinę vis præualuit gratię, vt vota hilari generosaq; mente conceperit, toto ex corde illi se Domino, qui tam potenti eam manu vanitatibus, fraudibus & periculis, in quibus aliquo versata erat tempore, eduxit, in sponsam consignando.

## CAPVT VII.

### *GRAVIBVS AFFLIGITVR MORBIS, AB iisdem liberata ad pristinas redit vanitates, orationis exercitium intermittit, sed ipsum denuò resumit.*

CORporis quotidie in Teresa infirmitates, deliquiaque assidua, accedente maximo cordis languore, aliæque ægritudines inualescebant, è quibus fiebat, vt sæpè omnis expers sensus ac motus videretur: cumque Medicorum Abulensium in ipsa sananda nehilum proficeret industria & scientia; pater, cui ipsa erat carissima, monasterio eam compulit egredi, comitante sanctimoniali illa, quam habebat amicissimam, quò mulieri cuidam, quæ varijs mederi malis ferebatur, in loco, cui nomen *Bezedas*, valetudinis curandæ ergo traderetur: porrò anno penè toto tunc à monasterio abfuit. Brumæ sub initium eo egressa est: quoniam verò nonnisi ineunte æstate medicæ tradenda erat in loco, cui à Castellanis *de la cannada*, nomen est, & in ipso situs est itinere, tantisper est apud Mariam Cepediam sororem, quam patri Catharina Pesana prima coniux peperit, Martino Gusmanno Barriento nuptam, commorata: his ipsa coniugibus, ac præsertim sorori Mariæ erat carissima. Hoc in loco dum versatur, ad orationis studium famulam suam efformare Dominus cœpit, viam illi ad hanc præmonstrante pio quodam, quem à patruo acceperat, libro, tertio scilicet Abecedario Osunæ. Dedit itaque statim id illi orationis genus, quod à quiete Contemplatiui scriptores denominant: quin etiam interdum vnitiua illi orandi ratio communicabatur, cùm tamen nec hanc, nec illam ipsa intelligeret. Quoniam autem, vt antè monui, ijs quæ de se in libro vitæ Teresa scripsit, diutiùs immorari non est animus, sed ea breuiter perstringere, eo dumtaxat animo, vt historiæ contextum seriatim deducam, ac cætera planiùs suo loco legantur; hoc solùm dicam, in his orationis eius principijs euidétissimè Domnũ demonstrasse, quot quantaq; illi cõmunicaturus pòst esset dona, quin imò in tam grauib. diuturnisq; morbis, illorumq; medicatione maximam illi & perfectissimã contulit tolerãtiã. Trimestre vnà cũ sorore in *Bezedas* hæsit, muliere, quã dixi, eius valetudinem curante. at quoniã quę adhibebantur medicamenta,

Morbi M. Teresæ.

Oratio quietis illi familiaris.

Patiens fuit in morbis.



Digitized by Google

vehementiora erant, quàm vt imbecillis illius corporis conſtitutio ea ferret, maior fuit illius inde redeuntis, quàm accedentis infirmitas: quare Abulam paternas in ædes remiſſa eſt, vt à medicis coràm inſpiceretur, qui omnem eius curandæ ſpem abijcientes phthiſi eam conſumptum iri aiebant. Ipſa porrò Aſſumptionis Virgineæ nocte tantum tamq; diuturnum paſſa eſt paroxyſmum, vt quatriduo ipſo omnem amiſiſſe ſenſum, & velut exanimis videretur; vnde & ſacro fuit oleo velut ſuprema in lucta verſans inuncta, ac ſymbolum illi Apoſtolicum ſæpiùs prælectum, quòd ſingulis exſpirare momentis videretur. Nihil penitus horum Tereſa percipiebat, vt ne liqueſactam quidem ceram in carnem decidentem ſentiret (nam exinde ad ſe reuerſa in oculos eam decidiſſe comperit.) Iam tumulum illi ſuo in cœnobio pararant, & cadauer in horas exſpectabatur terræ mandandum. circumſtabant iacentem religioſæ ex Incarnationis eò emiſſæ, vt funebrem pompam comitarentur. Et ſanè ſepulchro eam intuliſſent, niſi, omnibus tamen ſecùs ſentientibus, ſæpè parens, quòd magnam venarum pulſus explorandi peritiam haberet, ſibiq; perſuadere non poſſet, illam exſpiraſſe, impediſſet. quare dicentibus eam ſepeliri ſineret, reſpondebat, Nequaquam; nondum enim hæc eò redacta eſt filia, vt ſepelienda ſit. Tum quidem & aliud diſcrimen, huic non inferius adijt. frater eius Laurentius Cepedius quadam ex illis quatuor noctibus apud ægram cùm nocturnas vigilias duceret, ſomno grauatus in ſomnum incidit: & ecce candelâ, quæ in lecto collocata Tereſæ erat, ad extremum redactâ, ignem ilicò concepit ceruical, ſtragula & linteamina: quem niſi euaporans fumus ſomno excitaſſet, ægra aut incendio periſſet, aut certè, vti iam quidem cœperat, exſpiraſſet. Quatriduo elapſo ad ſeſe redijt, atque, vt à viris & auctoritate & religione ſpectabilibus (quibus plurimum credo, quòd mihi ſint notiſsimi, & quos ſcio quàm veritatis ſint amantes, quiq; ex ipſo Tereſæ ore acceperunt) audiui, quærere ab aſtantib. cœpit, quamobrem ſe euocaſſent; ſe enim in cœlo tum fuiſſe, nec non ad infernale barathrum in ſpiritu delatam eſſe; quin patrem ſuum, & Ioannam Suariam familiarem ſuam ſanctimonialem in Incarnationis, ſalutis ſua interceſsione æternæ compotes futuros; vidiſſe tum quoque, quæ à ſe fundanda erant monaſteria, & quid in Ordinis ipſa gratiam factura eſſet, quot ſuâ ſalutem eſſent animæ operâ conſecuturæ, ſeque ſanctitatis opinione antè comparata ex hac vita migraturam, denique corpus ſuum priuſquam terræ mandaretur, aureo integendùm panno. Nihilominus fateamur neceſſe eſt, quoties hac de re Beata Mater interrogaretur, dicere ſolitam, mera hæc fuiſſe deliria, & phreneticorum ſomnia, ſeque, comperto deinde, patrem hæc tunc narranti adfuiſſe, & hæc illum ſuo ex ore audiſſe, pudore non modico illius cauſa ſuffundi, quòd ipſe vir grauis eſſet. Cæterum ij, quos ſuprà indicaui, viri ſatis intelligebant, hoc nonniſi rei diſsimulandæ gratia ab illa dici: quid-

*Creditur exſpiraſſe.*

*Viſiones extaticæ M. Tereſæ.*

quidquid enim tum prædixit, poſt reipſa completum eſt, vti videre legenti licebit. Et ſanè ipſe anno M. D. LXXXVII. R.P.F. & Magiſtrum Noſtrum Dominicum Banneſium, Primarium ſacræ Theologiæ apud Salmanticenſes Profeſſorem, pro concione in feſto cuiuſdam ex Ordine Patrum Excalceatorum dicentem audiui, multis ſe Tereſæ noſtræ annis à confeſſionibus fuiſſe, & teſtantem quatriduo illo, quo auocata à ſenſibus velut mortua habebatur, inferorum illi pœnas à Chriſto monſtratas, idque ex eius ſe ore accepiſſe. Deinde verò ſorori ſuæ Ioannæ de Ahumada narrauit, ſe, ſi quidem id ſibi conceſſum fuiſſet, eo quo tum erat loco, optaſſe manere, nec in mundum reuerti, quòd in bona tum via fuiſſet. Mihi ſaltem veriſimile fit, tum quidem illi monaſteriorum fundationes reuelatas non fuiſſe, vti colligere poterit lector ex ijs, quæ libri ſequentis capite ſexto narrabo. Et ſanè, reliqua quæ tum illi viſa feruntur, non tanti mihi videntur momenti, & fortè quędam in imagine fuerit repręſentatio, cui & ipſa Mater parum fidei attribuebat, atq; ideo delirameta ea dicere ſolebat. Exinde verò prout potuit, Confeſſionis ſacræq; Synaxeos myſteria celebrauit multis cum lacrymis. Quin etiam intolerabiles, vt quidem videbatur, tum, & grauiſſimos patiebatur dolores; ſed eos ipſa excelſo quodam animo, & ſingulari patientiæ exemplo ferebat aduſque ferias Paſchales, ac tum quidem, quia id illa maximè vrgebat, ſemianimis ac velut mortua, ad ſuum delata cœnobium eſt. Octo ipſis menſibus omni membrorum vſu deſtituta iacuit; triennio autem toto grauis ac diuturnus hic morbus ipſam confecit. Morbi tamen grauitatem ac moleſtiam pijs de Deo rebuſque diuinis leniebat colloquijs, quibus tum quidem magis capiebatur, quàm vllo de re qualibet ſermone: ſæpè quoque Confeſſionis & Euchariſtiæ Sacramenta vſurpabat; librorum ſpiritualiũ lectione mirificè delectabatur; ſi quam contraheret noxam, hanc & concepto protinus dolore & pœnitentiæ lacrymis expiabat. Et ita quidem grauis is dolor erat (etſi vitio id potius ei verti debeat) vt ad orationem redire denuò non auderet, quòd grauiſſimam, quam in eadem ex offenſo Numine ſenſura erat, perhorreſceret pœnam. Nec verò è metu aliquo hæc in ipſa pœna naſcebatur, ſed quòd recogitaret, ęcquas ſibi inter orandum gratias munificus Dominus communicaret, videretque quàm exigua ingentibus illius beneficijs gratitudine reſponderet; quod ipſum ęquo animo ferre non poterat; adeò vt & ob lacrymas, quibus culpas ſuas eluebat, non parum poſtea contriſtaretur, cùm ad oculum cerneret, quàm parua vitæ inde ſequeretur emendatio. Sed glorioſi Confeſſoris Ioſephi, cuius illa perſtudioſa cliens erat, cuiuſque quotannis qua poterat ſolennitate feſtum celebrabat, interceſſione, lectulo tandem ſurgere & pedem figere ambulando cœpit.

*Triennium ægrotat.*

*Quam in oratione difficultatem experiretur.*

*M. Tereſa mire erga S. Ioſephum afficitur.*

Quamuis autem hęc noui hominis indicia cerneret humani generis inimicus, nondum tamen omnem eius recuperandæ ſpem abiecerat, ſed qua po-

Orationem omittit, idque prætextu honeſtatis & decori in amicitia.

poterat, laqueos illi & inſi[illegible] ſtruebat. Multi ea tempeſtate ſæculares cœnobium illud frequentabant: & quoniam Tereſa perhumana erat, inque conuerſatione ſuauis & blanda, cenſebatque præter decorum & turpe ſibi bene natæ fore, ſi non viciſſim, à quibus ipſa beneuolè habebatur, reciproco amore ac beneuolentia foueret; ad id genus familiaritates & fouendas & ſectandas impellere eum Satanas cœpit. Nec irrito conatu: ita namque ijs ſeſe dedit, vt ſolita orationis exercitia paulatim intermitteret, cùm quòd iam tum ſuâ culpâ communicari cœlitùs ſolitis inter orandum fauoribus ac delicijs fruſtraretur, tum verò quòd iam familiariter & amicorum ritu cum DEO erubeſceret in oratione conuerſari ipſa, quæ hominum contubernia adeò vanè conſectaretur: quod ipſum etiam maioris illi eſſe humilitatis videbatur argumentum. Ad has ipſa etiam frequentandas confabulationes eò magis alliciebatur, quòd has ab alijs, quas vt præ ceteris religioſas ſuſpiciebat, vſurpari paſſim cerneret. Non parum huc etiam faciebat, quòd tales ipſa tum nacta eſſet confeſſarios, qui, rerum ignari, liberè aſſererent, quod veniale commiſſum eſſet, licitè id contrahi; quod verò mortale, id nonniſi medicum ac venia facilè dignum eſſe illi perſuaderent. Vnde factum, vt in ſua ipſa vanitate permaneret atque ignorantia, ijs ſalutem exponens occaſionibus, quæ, etſi nullum ipſa metueret, ſummum diſcrimen inuoluebant, vnde ſæpè etiam ipſa ſauciato animo ac læſa inde decedebat. Non tamen idcircò clementiſſimus eam de cœlis Pater deſeruit; cùm enim quodam tempore cum contubernalibus atque amicis iam fabulari inciperet, (quod ipſam colloquium pòſt maximè vexauit) internis animi oculis Redemptorem noſtrum Ieſum conſpexit in ſpecie ſeuerè increpantis & indignantis; vnde apertè intellexit, quantoperè hæc illi commercia & conuerſatio vana diſplicerent. Viſio hæc clarior & euidentior longè fuit, quàm ſi corporis eam oculis excepiſſet: eiuſque imago & ſpecies animo illius adeò infixa hæſit, vt etiam multis pòſt annis hanc ſibi ſemper velut præſentem habere videretur. Non tamen propterea ſolitas, quibus affixa penitus erat, deſerebat familiaritates: vt eas ipſa, quamuis iam elapſus eſſet annus, ex quo orationis exercitationem omiſerat, atque illo euoluto, conſulente Vincentio Barronio S. Theologiæ Lectore, Ordinis D. Dominici, cui iam conſcientiæ committere arcana cœperat, ad illam denuò rediſſet; adhuc foueret, pergeret, nec intermitteret. Non parum porrò ipſam angebat, quòd inter precandum ſuos quidem ipſa errores agnoſceret, eoſque deſerendi ardens deſiderium perſentiſceret; verumtamen priſtina conſuetudine inualeſcente aſſueta abrumpere conſortia non poſſet. Cùm deinde in cœnobij ab Incarnatione dicti veſtibulo cum aliquo ipſorum quos indicauimus verſaretur, ſaucium ac conuulneratum illi Dominus brachium oſtendit, è quo non minima carnis portio reuulſa videbatur,

Aliarũ exẽplo conſortia mundanorum frequentat.

Ecquo in periculo verſaretur ex ignorantia confeſſariorum.

Viſus illi Dominus Ieſus in ſpecie iraſcentis.

Ad orationum redit exercitia.

Alia eiuſdẽ viſio, qua Redemptorem vidit plagis conuulneratum.

iam

Digitized by Google

ſam inde ab eo tempore, quo ad columnam vinctus fuerat, plangens quodammodo, quòd ad hūc eius cauſa eſſet redactus ſtatum, quamq́; poſt tantæ dilectionis argumenta, hoc vitam pacto exigendo, ingratitudinem declararet. Monitos hic autem lectores velim, ignorare me, nec commodè diſtinguere aut diſcere potuiſſe, eadémne hæc viſio cum præcedente fuerit, an diuerſa. Nec verò nullius omnino viſum hoc fuit efficaciæ ad conſuetas contuberniorum relaxationes abrumpenda, etſi nondum idcirco penitùs ijs nuntium remitteret. Adeò vt viginti propemodum illi effluxerint anni, dum alternando ac velut ludificando modò præcipitat, modò ſe in pedes poſt lapſum erigit; vt nec plenè diuinis conſolationibus poti-retur, quòd ad eaſdem recipiendas non quo par erat modo ſeſe diſponeret, nec etiam mundanæ illi planè ſaperent aut placerent. nam cùm his ſe applicaret, impedimento, quò minùs eiſdem abſorberetur, eorum erat quæ Deo debebat obſequiorum, & grauium quas in ipſum contractabat culparum recordatio, qua quaſi frigida ſuperfuſa intepeſcebant. Interim tamen, dum ſic nutabunda nunc huc, nunc illuc propendet, ad aliquot interdum menſes, & etiam annum ſolidum quàm diligentiſſimam dabat operam, ne in Dei peccando maieſtatem offenderet, orationique aſſiduè incumbebat: vt toto illo tempore quàm pauciſſimi præterierint dies, quibus non longo temporis ſpatio cum Deo per orationem locuta ſit. quare, quòd tandem planè mundanis famulam ſuam vanitatibus inanibuſq́ue ſolicitudinibus Deus expedierit, ſibique penitus ſecreuerit, vni aſcribendum orationis precationiſq́ue aſſiduitati cenſeo.

Per orationem Tereſã ad ſe pertraxit Deus.

## CAPVT VIII.

### PECCATORVM M. TERESAE GRAuitas oſtenditur.

ANtequam de ſuprema B. M. Tereſæ de Ieſu conuerſione ſermonem inſtituam, qua tandē aliquando ſinceriùs & magis ex animo potenti illi Domino, à quo tot tamq́; diuerſis inuitabatur modis, manus dare vocanti cœpit, viſum eſt nonnulla de delictorū eius, de quibus hactenus multa commemorauimus, ac de quibus ipſa toties tanto cum doloris ſenſu & exaggeratione meminit, grauitate præmittere. Equidem probare non poſſum eos, qui ſanctorum vitas euulgantes illorum ſubticere & celare peccata defectuſq́;, in quos, vtpote homines, aliquando impegerunt, omni ratione ſtudent: quòd hoc pacto immenſā bonitatis, miſericordię, & ſapiētiæ Dei, qui ipſos in eiſdē tādiu volutātes benignè tolerauit, ſed inde tādem per potentiſſimas, efficaciſſimas, ac verè admirabiles rationes eduxit, & ex ijs qui erāt priꝰ, tales effecit deinde, quales poſtea cōparuere, magnitudinē quo-

Qui ſanctorum ſcribūt vitas, ipſorū ſilere non debent errata.

quodammodo tegere & obſcurare videantur. Hinc, ſi Tereſæ noſtræ ſingillatim ipſe peccata noſſem, equidem ea vulgare non dubitarem; quòd & ipſamet eadem minimè ſupprimebat, ſed euulgari cupiebat, vt diuina hoc pacto bonitas clementiaque magis innoteſceret, illiuſque magis per eadem gloria eniteret. At quòd nefas & iniquum ſit, hæc illi peccata aſſingere, quæ reuera non admiſit, & qui hanc eius vitam legent, facilè ſibi perſuaderent, inſigniter eam in corporis caſtimoniam pudoremque virgineum delinquere oportuiſſe, quantum quidem hoc ipſa verbis exaggerat; ideò hunc ipſe præſenti hoc capite errorem ijs eripere conabor. Sæpè & ipſe mecum cogitaui, & alios, quibus hoc notum eſſe poterat, conſului, ecquænam eſſe potuerint peccata, quorum illa recordatione continenter in lacrymas & planctus erumpebat: ac niſi ipſa trigeſimo & quarto vitæ capite palàm teſtata eſſet, monſtratam ſibi apud inferos ſedem ſibi præparatam; in animum ipſe meum inducere non potuiſſem, vllum eius peccatorum in letalium gradum videri referendum. Imò ne hæc quidem eius aſſertio omnem mihi dubitationem eximit. Potuit quippe hęc illi in gehenna ſedes oſtendi, non quòd ipſa eam tunc reuera promeruiſſet, ſed pòſt facilè mereri potuiſſet, cœptum iter proſequendo, niſi eam inde Dominus reuocaſſet. Quæ me autem in hanc ſententiam impulerint rationes, ſunt hæ.

*An Tereſæ peccatum vllum letale fuerit.*

Prima, quòd à culpis ac næuis, quibus reliquæ mulieres obnoxiæ ſunt, contentionibus, inquam, rixis, litigijs, æmulationibus, detractione, ſimilibuſque nimis quàm fuerit aliena. Qua de re ſic ipſa ſuperiùs indicato vitæ ſuæ capite locuta eſt: *Quando mecum ipſa perpendo, in me, licèt miſerrima ac peſſima eſſem, ſemper aliquam Deo ſeruiendi curam ac deſiderium exſtitiſſe, ab aliquibuſq; abſtinendi continenter delictis, quæ non aliter à mundanis paſſim obbibi & deglutiri video, quaſi nihil penitus eſſent; deniq; grauiſſimis me diuexatam fuiſſe morbis, & ſingulari illos patientia, quam mihi Dominus elargiebatur, tuliſſe, non fuiſſe etiam ad detrahendum proximo, aut calumniandum maledicendumve procliuem. Videbar adhuc nulli prorſus malum optare: auaritiæ ſordibus infecta minimè eram, neu memini ſuam cuiquam me vnquam ſortem ita inuidiſſe, vt hoc pacto in Deum grauiter offenderim; deniq; nec alijs ſui vitijs addicta: etſi enim adeò eſſem miſera, vti reuera erã, timor tamen diuinus mihi vt plurimùm ob oculos verſabatur, &c.* Omne eius delictum in eo ſitum erat, quòd familiariter & amicè nimis cum viris conuerſaretur. Exploratum porrò & indubitatum eſt, nullum in omni hac conuerſatione ab ipſa letale crimen, quo corporis honeſtas ac puritas vel minimùm inquinaretur, admiſſum eſſe, imò ne conſenſum in ſimilia carnis inquinamenta dediſſe; nec modò poſtquam iam monaſticæ vitæ profeſſionem ediderat, vtpote iam ſecum ipſa collectior, & modeſtior, atque in ſui cuſtodiam intentiaor; verùm etiam tum, cùm & ætas erat imbecillior, & ad lapſum pronior, nec non peccandi libertas maior, & ad ſui defenſionem minus iudicij ac prudentiæ. Quocirca de hac ipſa ætate ſic vitæ ſe-

*Nō obnoxia erat cæterarum mulierũ peccatis.*

*Nullũ vnquã letale delictum admiſit quoad carnis fragilitatem.*

Digitized by Google

ut ſecundo ſcribit capite: *Numquam igitur grauiter in malum propendi, quod naturaliter omnem ipſa impuritatem deteſtarer, excepto quòd honeſta contubernia plus æquo & nimis quàm ſtudioſè atq; efflictim ſectarer.* Antè verò præmiſit: *Non videor mihi ob culpam vllam letalem Deum derelictura fuiſſe, nec illius animo meo timorem proſcriptura, tametſi maiori honoris amittendi metu tenerer. Timor hic in cauſa fuit, vt non eum penitus amitterem. Nec ſanè videtur me res vlla in mundo ab hac ſententia reuocatura fuiſſe, nec alicuius demũ ipſa amore eò pertrahẽda. Vtinã verò pares mihi fuiſſent vires ad honorẽ Dei in omnibus integrum inuiolatumq; conſeruandum, quales mihi natura ſuggerente ſuppetebant, ne quid agerem, aut paterer, quo honori meo apud homines vel minimum decederet.* Sed audi etiam plura. Scio, cùm apud illam iam ſeniorem è filiabus quædam quoad tentationes carnales ſermonem intuliſſet, ilicò B. Matrem reſpondiſſe: Nihil horum intelligo filia; hanc mihi quippe benignus ille Deus gratiam dedit, vt toto vitæ tempore non meminerim me quidquam hoc in genere admiſiſſe, quod confeſſario exponendum eſſet. Narrauit hoc mihi aliquoties Præpoſita vnius è primarijs Ordinis huius monaſterijs, quæ tum verax, tum religioſa cumprimis, cui nimirum hoc B. Mater tum reſpondit. Quibus ſi adiungamus, quod illa quinto eiuſdem libri capite ſcriptum reliquit, ſe videlicet, etiam tum cùm vanitates mundanas conſectaretur, nullam vnquam, etiam venialem ac leuem noxam omiſiſſe, quam non ſacerdoti aperiret; liquebit ad oculum, quàm ſingulari Deus animam hanc, quã ad res adeò arduas & excelſas reſeruarat, gratia præuenerit, dum ei miſeratione quadam inaudita corporis ſimul & animi puritatem integram illibatamque conſeruat, vt poſt hanc vitam videlicet immortalem ipſa virginitatis coronam conſequeretur. Equidem, quantum coniectura aſſequi poſſum, non alia eius fuiſſe crimina exiſtimo, quàm quòd præſenti peccandi grauiterque in alia impingendi ſe exponeret periculo, quod huiuſmodi conuerſatio, colloquia, commercia, & familiaritas, cum id genus præſertim hominibus creabant: erant namque aut ætate iuuenes, aut virtutibus deſtituti, ac proinde ad lapſum proni; ipſa verò naturâ ad amorem alliciens & blanda, & nata ex animo bene velle ijs, quibuſcum amicitiam contraxerat. Hoc ex ipſius colligi poteſt verbis: quo enim loco teſtatur numquam ad malum ſe multum propendiſſe, quòd naturâ omnem immunditiam & probrum carnale abhorreret; ſed ſolis honeſtis recreationibus ſe ac remiſſionibus deditam fuiſſe, hæc ſtatim ſubdit: *Verùm cùm occaſiones non euitarem, præſens erat lapſus periculum, cui & patrem & fratres exponebam; ſed ab hoc me Dominus vindicauit ac protexit. Vnde manifeſtum fit, Deum, etiam inuita me, prouidiſſe, ne penitus ipſa perirem, &c.* Ac licèt tanta eſſe queant diſcrimina, adeoq; præſentia, vt peccatum letiferum includant, in ea tamen, quæ adeò hoc in genere circumſpectè & prouidè ambulabat, cuiuſque voluntas ab omni carnis contagio adeò remota & aliena erat, vix credide-

Euidens de virginitate Tereſæ teſtimonium



Digitized by Google

tertio sic de se scribit: *Intelligere tum illius cœpi veritatem rei, quam, etiamnum in pueriliætate ex parte cognoram, esse nimirum omnia, quæ mundo continentur, merum nihil; eiusdem quoque vanitatem & manias, quodq; breui omnis eius gloria in nihilum recideret; simul etiam vereri, ne, si mortua forem, ad Tartara detruderet.* Si reuera hæc peccata vt letalia habuisset, non dixisset hauddubiè, metuere se, ne infernalibus supplicijs addiceretur: verùm sic locuta est, quòd hac in parte non adeò sibi constaret, sed adhuc anceps nutaret. Deinde capite septimo, cùm diceret, quare conuersationem & necessitudinem, quam cum quodam contraxerat, non desereret, licèt per vnum atque alterum visum à Domino ad hoc ipsa allici monerique videretur, hæc adiungit: *Hæc ob dixi, vt mea manifesta fiat nequitia, & eximia immensaq; Dei benignitas, quamq; ob hanc ipsa ingratitudinem inferorum digna sim cruciatibus.* Hæc porrò ingratitudo letiferum includere scelus non videtur: at, quæ Deum tam ardenter amabat, ob hanc ipsam Tartaro quæ adiudicetur, dignam se existimat. Hoc quoque sensu capienda sunt, quæ de alijs ipsa peccatis profitetur: Conuersationes quoque & visitationes, tam quas aliorum ipsa excipiebat, quàm quibus alios adibat, adeò quidem longè tum aberat, vt noxam eas mortalem inuoluere crederet, vt & quæ similes frequentarent Monachæ, verbis ipsa velut rem honestam vsurpantes in opinione confirmaret. Quare ilicò subnectit: *Tum etiam, vt, si, Deo disponente, fortè aliquando Religiosa aliqua hæc legerit, mei exemplum imitetur. Equidem eas per amorem Domini nostri Iesu Christi obsecro, vt similes recreationes deuitent. vtinam verò diuinæ placeat Maiestati, vt quas ipsa in fraudem pertraxi, id negans malum esse; & in tanto eas periculo securo esse animo iubens, quòd mentem meam tum obscura teneret cæcitas (neque enim data opera eas inuoluere in errorem volebam) harum vel vna in rectam, me reuocante, viam reducatur, &c.* Et, si nec hæc sufficiant, multò id etiam clariùs capite significat septimo, hisce verbis, *Missa sum*, inquit, *vt à morbo illum suo curarem; sed maiori anima mea morbo tenebatur, vtpote vanitatibus occæcata, quàm illius corpus; non ita tamen, vt (quantum ipsa coniectura tum assequi poteram) mortali in culpa toto illo tempore exulceratissimo, de quo loquor, versarer: si enim illam me quoquo modo existimassem consciscere, ilicò me inde proripuissem.*

Et, si alijs interdum locis è B. Matris verbis colligi clarè posse videatur, letalia aliqua illá commisisse peccata; ideo equidem fieri credo, quòd illi tum, cùm hæc scriberet, talia hæc aliquoties esse viderentur. Non propterea tamen constat, talia hæc fuisse, dum admitterentur, spectatis scilicet omnibus, quas proposui, circumstantijs, quas numquam

non, si modò rectum ac defæcatum futurum sit iudicium, circumspicere & attendere necesse est, siquando de re quapiam, peccatumne sit, necne, iudicandum est. Cæterùm Deo id dirimendum relinquo, cui rei huius veritas perspectissima est, quòd nulla mihi, cur in hanc potius quàm in illam partem totus propendeam, ratio suppetat.

Porrò hoc dũtaxat loco illud visum est afferre (commoda eius dicẽdi se offerente occasione) quod sępè mihi, hac de re cogitanti, in mentem venit, ne de hac quæstione videlicet ac dubio, de quo & ipse dubitabã, & quotquot hanc eius vitam lecturi sunt, dubitare forsan possent, non dicerem omnino nihil. In quo & Dei gloriam spectaui, qui quæ in immensum extolluntur, reijcit, dum nimirum plus ipsi dicimus quàm reuera subsit, aut animo sentiamus. Et mea quidem sententia, satis id iam euidens est ex ijs, quæ huc allata sunt. Cõstat enim, non minùs eius misericordiã ac magnitudinẽ decere, quẽpiam corporis animiq; puritate sospite, & virginitate ita integra, è tot tamq; periculosis peccandi occasionibus eripere, nec eum in præceps ruere sinere, quàm post ruinam ijs ipsis peccatis educere. Adhæc etiam, postquam hæc iam scripto mandassem, quò certior redderer, verioraque proderem, virum grauissimum, quem B. Mater & plurimum amabat, & cui sua arcana committebat, hac super re per litteras consulendũ putaui, à quo id demum accepi responsi: *Peccata eius, quantum quidem & ipse audiui, & propè vt indubitatum teneo, fuerunt pauca, & vix vlla grauia. magna namq; & animæ, & corporis illius erat puritas: neq; enim aut carnales motus, aut cogitationes inhonestas, quales alijs naturaliter occurrere solent, in se sentiebat; imò ne nouerat quidem quidnam essent, motus videlicet impuri. Quòd autem in tantum suas extolleret culpas, id eò fecisse credo; quòd, cũ in Incarnationis cũ aliquot viris grauibus, qui tum temporis Deuoti dicebantur, eamq; diligebant; ageret familiariter, & reciproca hinc inde frequenter instituerentur visitationes & conuersationes, eas & ipsa sectari cœperit, etsi diuinum semper timorem præ oculis haberet, rectaq; intentione procederet. A parte illorum fortè sincera non fuit intentio, cuius rei cùm Teresa causa & occasio foret, hinc ita suas ipsa culpas extollit.* Idipsum & alius vir grauis mihi perscripsit, qui insuper addidit: *In rebus omnibus & actionibus exacta erat, in vestitu scita & elegans: narrauit se ipsa mihi, cùm vespera integra ad claustri cancellos cum externis collocuta inde ad oratorium suum reuertisset, totam in lacrymas resolutam fuisse, quòd ex id genus conuersatione nonnisi insignem totius temporis illius iacturam retulisset.* Hæc quidem hoc referre loco volui, vt ipsa meliùs veritas patesceret.

Teresa nullos motus carnis sentiebat.

Cur peccata ita exaggeret.

CA-

# CAPVT IX.

## *DE TERESAE CONVERSIONE: QVOMODO ex eo tempore semper in melius profecerit, qua occasione cum Patribus Societatis Iesu agere cœperit; quantumque ipsi ex illorum frequentatione lucri accesserit.*

IAM à peccatis digredientes, ad historiæ contextum, & ad postremam, vel potiùs penè postremam Teresæ conuersionem redeamus. Sanctis hæc est ascribenda imaginibus, quarum aspectu multas Redemptor animas ad sanctiorem viam vitæq; emendationem prouocauit, & quas proinde non sine ratione sancta illius Ecclesia & seruat & veneratur. Teresa igitur quodam suum ingressa oratorium die (nam tale sibi vbique conclaue deligebat, vt in eiusdem latebris & solitudine colligeret mentem, orationique insisteret) in vulnerati confossique Saluatoris Iesu Christi imaginem fortè fortuna oculos conijcit: qua conspecta insolito ipsa introrsum turbari motu in animo repentè cœpit, tot illum oppletum plagis & liuoribus cernens. inde secum ipsa mente cogitare, quàm huic post tot plagas Domino ingrata hactenus exstitisset, atque adeò vehementi cordis dolore compungi, vt ipsum dissecari medium ac distringi videretur. Hoc pij doloris sensu ante imaginem supplex sese prosternit, cùm magnam lacrymarũ vim effundens, tum Dominum quàm poterat maxima animi demissione obtestans, tantam vt sibi simul pariterque daret fortitudinem, qua fieret, vt numquam in ipsum deinceps peccando delinqueret. Adeo sincera ac feruens prostratæ fuit deprecatio, vt, singulari in Deum accedente fiducia, cuius hactenus clementiam indulgentiamque varijs erat in casibus experta, & desiderio, quo iam tota ipsius esse percupiebat, plena, audacter non se antè inde surrecturam diceret, quàm votorum reddita compos foret. Nec verò suo pia illius & humilis deprecatio fructu caruit. nam exinde maiora quotidie spiritus incremẽta fecit, & auctiore in dies & intẽsiore, quàm fecerat hactenus, dilecto se suo amore coniunxit. Non parum tum quidem emolumenti illi attulit D. Augustini Confessionum liber, in quo velut pellucido in speculo se suamque se contemplari vitam existimabat. Quem cùm assiduò euoluendo, ad ipsam Auctoris conuersionem, & illam, quam in horto audiuit vocem (quod ad libri octaui calcem ipse refert) peruenisset, sibi illam factam quodammodo crederet (adeò quidem cor eius concitabatur) & lacrymarum habenas laxaret. Nec vani fuere motus, & inania initia. Cœpit siquidem orationi insistere frequentiùs, rariùs verò se dedere ijs, quæ oranti officerent: nondum enim penitus ea exuerat. Ipse vicissim

Conuertitur Teresa ex aspectu imaginum Saluatoris Iesu.

Quem fructum hauserit è lectione confessionum S. Augustini.



Digitized by Google

Deus, qui & ipsam de suo aliquid præstare volebat, manum aperit, & maiores quàm solebat illi orationis tempore gratias est elargitus, vt suo, cùm de oratione eiusdem dicendi erit locus, tempore ostendemus. Omnes has illa aliasque id genus, quæ pòst narrabuntur, gratias, intercedente ac deprecante Deipara matre, eiusque sponso Iosepho potissimum est consecuta. Ita namque id illi quadam in visione Dominus, quam suis ipsa manibus separata in schedula exarauit, significat. Ait igitur, *Intellexi singulari me in Deiparam matrem ac sponsum eius Iosephum ferri affectu obsequioq; debere: cùm enim in extremum sæpius interitum ipsa ruerem, illorum patrocinio factum, vt qua penè excideram, salutem mihi Deus clementissimus reddiderit.* Inter reliquas, quas tum ab ipso cœlitus obtinuit gratias, fuit hæc, quòd nouum illius in anima exoriri timorem permitteret, ne, quam magnam in oratione experiebatur, dulcedo, hæcque animæ in eadem suspensio, diaboli foret illusio & impostura, qui hoc eam pacto ab oratione mentali, & passionis Dominicæ meditatione diuertere vellet, & impedire, ne quem solebat, inde fructum eliceret. Nec verò hac de re dubitabat, dum iam orationi intendebat; sed tum, cùm mentem aliena distraheret cogitatio, hic subrepebat timor. Timendi causam augebat, quòd mira ijs fortè diebus de diaboli præstigijs, fœminis præsertim illudentis, certa fama spargerentur, & inprimis de Magdalena Crucia, quæ vniuersam Hispaniam & sanctioris vitæ fama, & imposturæ detectæ nomine perculsit. Salutaris hic timor vehementer & diutiùs quidem eam torsit, sed insignem illi attulit prouentum, occasioque fuit à mundo sese penitus auertendi. His porrò angustijs & anxietatibus liberari sibi non aliter posse videbatur, quàm cum viris spiritualibus, harum rerum peritis & gnaris, qui sincerè, quod sentirent, exponerent, rem propiùs communicando. Illis fortè diebus Societas Iesu Abulæ sedem ac domicilium fixerat, erga quam ipsa, licèt singillatim neminem de Socijs nosset, mirè afficiebatur, quòd præclara de eiusdem functionibus & institutis inaudiebat. Quamuis verò apud illam inuenturam se quod desiderabat, speraret; numquam tamen suum inducere animum poterat, vt in Collegium sese conferret. Hinc namque se credebat indignam, quæ cum ijs, quos tantopere suspiciebat, coràm loqueretur, illinc quoque non eam experiebatur in se constantiam ac robur ad monita ipsorum sequenda. nam ea sibi ab his ablatum iri præuidebat, erga quæ ipsa adhuc non modico affectu ac studio rapiebatur, quod ipsa deponere posse minimè sibi videbatur. Crescebant indies diuina charismata & dona, crescebat & salutaris hic timor. Cùm videret autem nihil se solam posse hac in re efficere, virum quemdam nobilem, de primarijs ciuitatis Abulensis ciuibus Franciscum Salzedium (quem Sanctum ipsa Equitem indentidem vocitare solebat) ad se euocauit. Salzedius, etsi matrimonio iunctus, sese iam abhinc annis multis orationi dederat impensiùs, virtutumque erat exerci-

Gratias recipit patrocinio B. Virginis & S. Iosephi.

Quanti Soc. Iesu patres fecerit.

exercitio & sanctioris vitæ exemplo, optimo cuique notissimus, & qua poterat ratione, saluti animarum consulebat. Hic vxore demortua sacros sumpsit Ordines, & vitam sanctam sancto concludens fine, Abulæ in sacello, quod sibi ipse propter templum monasterij à S. Ioseph cognominati construi iusserat, est sepultus. Huius ergo viri operâ, cum quodam Theologiæ Doctore, viro ob virtutes sanctitatemque, quam multos dein coluit annos, claro ac diuino obsequio addictissimo, animarumque zelatore acerrimo agere sæpiùs Teresa aggressa est. Huic & orandi rationem, & omnia animæ arcana cùm patefecisset, ipseque ad oculum perspiceret, quas in oratione à Deo reciperet gratias, & ad quantam inde esset obligata gratitudinem, eam ilicò inducere est conatus, vt suis de reculis & minutijs aliquid abijceret; sed nondum id ipsa mentis nacta erat robur, vt ijsdẽ promptè se exueret. Non ferebat enim tantam sui tum rationem haberi, quòd imbellis & imbecillis adhuc esset, quod deinde in maius animæ illius bonum (vt de se ipsa testatur) vertit, vt hoc nimirum pacto in Patrum Soc. IESV notitiam veniret, & cum ijsdem suis de rebus conferret. Interim Salzedius eam sæpiùs interuisebat, animum simul addens, & quod poterat, subsidium afferens. Verùm quòd hinc illius videret in orando spiritum, & illinc imperfectiones, quas nondum ipsa à se penitus abiecerat, sibi persuadere planè non poterat, à bono sanctoque ea dona spiritu proficisci. Addebat tamen, planè se in eam non transire sententiã, donec se ipsa, cùm benè matureq; omnia, quæ de sua oratione dicenda erant, librasset cogitando, minutiùs de eadem edoceret. His auditis non mediocriter Teresa animo affligebatur, & lacrymis penitus conficiebatur, in incertum & anceps fluctuans, cùm hinc sibi persuadere nequaquam posset, talia, quæq; tantam illi vtilitatem afferebant, à peccati auctore dęmone proficisci; illinc verò metueret, ne ob suas se Deus sineret culpas in tantam caliginem, & intellectus cæcitatem prolabi. Accedebat ad exteriorem hanc mentis afflictionem alia non inferior, quòd nimirum verbis ipsa exprimere non posset, quid rerum secum in spiritu ageretur. Vtq; se vtraq; liberaret angustia, ad spirituales, quibus legẽdis assueuerat, recurrebat libros, num quid in ijs scriptũ occurreret, quod ad sensa animi sui clarè exponẽda conferret, consultura. Quod quærebat, inuenit in vno, cui *Ascensus in montẽ Sion* nomẽ fecit, auctore quodam ex Ordine Franciscano. Locum ipsa signaculo notauit, eumq; Frãcisco Salzedio exhibuit, vt eum cũ suo spiritus magistro cõmunicaret, illius responsa dein ad se referret. Addebat, si dæmonis his impostura subesset, atq; ita ipsi cẽseret, ab oratione fore vt penit' desisteret, ne his se periculis sciẽs exponeret, etsi alioquin nõnisi inuita ei' exercitiũ abrupisset. Experientia quippe & vsu iã didicerat, quã secũ malè, dũ orationẽ intermiserat, actum esset; & quantũ vicẽ versa, ex quo ad eam se denuo applicauerat, in spiritu profecisset. Interim dum responsum exspectat, in summo versabatur metu: illo

Nõ fert sibi medicinam spirit' fieri.

Quæ in ea apparebant imperfectiones, in causa erant, cur illius oratio non à bono descendere spiritu videretur.

M. Teresæ afflictio.

Parata erat orationem intermittere, si quis id ei consuleret.

illo iam habito angores perplexitatesq; spiritus inualescere augeriq; cœperunt. Asserebant quippe illi, quantum quidem coniectando assequi possent, omnium horum fontem ac causam cacodæmonem esse, proinde consultum sibi videri, si cum quodam è Societate Iesu hac super re conferret, apud hunc omnium iam inde ab eo tempore, quo primùm ratione vti cœpisset, commissorum homologesin ederet, illi se totā, tam bona quàm mala quæ fecisse meminisset exponendo, committeret, demum quæ facere ipse suaderet, exequi ne grauaretur.

Cur oratio Teresæ à Deo profici sci non videretur.

Nec verò temerè illi Dei famuli hoc de ipsa iudicium ac censuram tulere: videbant enim, quod ipsi inter orandum contingebat, nonnisi perfectissimis quibusque communicari solere; hanc verò à perfectione longissimè distare, quòd imperfectiones in ea permultæ se proderent: censebātque tam sublimia Dei dona, & tam vulgarem vitam bene simul non posse consistere, ac proinde à Deo illa non venire sibi videri. Huc quoque non parum faciebat, quòd, cùm viginti & quod excurrit, elapsi iam essent anni, ex quo orationi se ipsa dedidisset, si hæc à Deo dona proficiscerentur, à multo iam illam tempore vitam in melius commutare penitus oportuisset. Deo autem dante factum, vt quod quærebat, quamprimum id in Societate inueniret: agere quippe primùm cœpit cum quodam è nostris, viro & apprimè religioso & prudenti, etsi non vsque adeò prouectæ ætatis. Hic, quantum quidem auditu accepi, per solita orandi præcepta, quæ in Exercitijs B.P.N. præscribuntur, eam exercuit, etsi non per omnia: cui cùm suam ipsa vicissim vitam per confessionem penitus aperuisset, eam, qua erat prudentia, animauit, & verè eum Dei esse spiritum confirmauit; sed denuo opus esse, vt ad orationem se applicaret. Neque enim bona solidaque iecerat fundamenta; neu sensuum hactenus aut affectuum motus effrenes edomuerat. Ante omnia illi in mandatis dedit, ne ab orationis studio vmquam desatigata deficeret, sed vim quamdam sibi faceret, cùm tam singularibus eam Altissimus gratijs præueniret. Cumque per os illius Dominus loqueretur, addebat, Quid scis, an fortè multorum per te Deus velit saluti consulere? & alia his non absimilia, quæ deinde rectè visa sunt contigisse. Consuluit adhæc, vt quotidie aliquod passionis Dominicæ membrum orando meditandoque excuteret, vt illius consideratione mortificationi studere institueret, itaque paulatim ad perfectionem contenderet; solam humanitatem Saluatoris nostri perpetuò ante oculos haberet, &, quoad poterat, solitis spiritus recollectionibus ac suauitatib. resisteret, donec aliud illi suaderet. Hisce Teresa consilijs non mediocriter profecit; quòd eius mentem probè prudens Pater intelligeret, illiusque naturam & conditionem, & per quam esset viam deducenda perspiceret. Insinuauit illi quoq; clàm nonnulla, quæ animo eius deinde semper insculpta manserūt. Hac vitæ superioris detectione facta, maiorem opinatò in anima tranquil-

Passionem Domini meditari iubetur.

litatem

litatem ac quietem perſenſit, multiſq; in rebus alios cœpit mores induere, ea mentis generoſitate eas à ſe abdicans, vt non domeſticis modò, ſed & exteris prodigij ſimile videretur, & extremum, ita penitus deſerere adeoque cótemptim ducere, quæ paulò antè tantopere ſuſpexerat Magnam hic Societatis ſacerdos in ea dirigenda gubernandaque adhibebat prudentiam ac diſcretionem, nec eam violenter vrgebat, quin potiùs parui omnia pendere videbatur, exſpectans donec diuina in anima illa Maieſtas pro placito operaretur, eamq; immutaret. Tereſa quidem iuſſu eius omnia quàm exactiſsimè exequebatur, at quos ipſe orationi præfixerat limites, tranſgredi compellebatur: quò enim magis diuinis obluctabatur conſolationib. quò vberiores cœlitus immittebatur. vnde bimeſtri illo (tantum enim ſpatium interceſsit) longè pluribus eam Deus viſitationibus præuenit, quàm ſolebat. Iniecit adhæc pius hic Pater affectũ illi ad ſpontaneas de corpore pœnas ſumendas, quibus ipſa ob frequentes infirmitates hactenus non aſſueuerat, imò neglexerat; aſſerebat enim, ſi extremas aſperitates aſſumere in corpore non poſſet, at poſſe eas, à quibus nullũ ſanitas pateretur diſpendium; atque ideò forſan hiſce illam morbis à Deo affligi, quòd ſe ipſa vltroneis cruciatibus non affligeret, quaſi ſua id ille ſuppleret manu, quod ipſa negligebat. Multis proinde vltrò ſuſceptis mortificationib. ſeſe vt exerceret, illi auctor erat. Vnde fiebat, vt ſolidis duabus iam eius oratio niteretur baſibus, pœnitentia inquam & mortificatione (has enim habeat neceſſe eſt, ſi eſſe velit, qualis debet.) Qui verò inde reſultabat fructus, nimis quàm erat manifeſtus: apertè quippe agnoſcere cœpit, quæcumq; in Deum admiſiſſet peccata, tametſi leuiſsima, eorumq; malitiam perſpicere, ac, ſi quid ſuperflui geſtaret, non antè mentem componere aut colligere poſſe, quàm idipſum procul à ſe abieciſſet.

*Quem è generali Confeſsione fructũ cœperit.*

*Quò magis conſolationes diuinas repellebat, eo plures recipiebat.*

*Quæ ſint bonæ orationis fundamenta.*

## CAPVT X.

### *P. FRANCISCVS BORGIA, QVI DEINDE GENERALIS Societatis Ieſu fuit Præpoſitus, ſpiritum eius approbat: bis illam Redemptor alloquitur, & quam inde vtilitatem ceperit.*

NON multò pòſt Abulam appulit R.P. Franciſcus Borgia, is qui Gandienſi Ducatu repudiato abhinc annis aliquot in Societatem IESV ſeſe receperat. Cuius aduentu cognito Confeſſarius illius ſimul & Franciſcus Salzedius, ipſam induxerunt, hunc vt conuenire ne grauaretur, illique orationum ſuarum quàm poterat exactiſsimè rationem redderet. Dictum, factum. Hanc ergo vt Borgia audiuit, reſpódit extemplò, Dei hic ſpiritum habitare; quare conſultum videri, diutiùs illi nó obluctari: quid-

*Tereſa P. Franciſcum Borgiam cóuenit.*



Digitized by Google

quid sibi contigerat hactenus, sincerum ac verum fuisse: cæterum deinceps ab aliquo semper passionis Saluatoris articulo orationem auspicaretur, tũ, si contingeret in spiritu à Deo sustolli, nequaquam refragaretur, sed liberè rapi se sineret. Magnopere porrò eam Borgiæ colloquium recreauit; nam cùm de multis eũ percunctaretur rebus, illius ipse interrogatis, quòd multo valeret vsu & rerum harum experientia, abundantissime satisfecit. Quodam in tractatu calamo exarato, quem viam perfectionis inscripsit, capite primo & trigesimo, hæc Teresæ manu scripta verba reperi, quibus seipsam haud dubiè denotat: *Noui hominem, quam huc vsque sæpenumero Deus sustollebat, ipsa verò nihil penitus capiebat: quare virum contemplationi mirè deditum, Patrem inquam Franciscum, Societatis Iesu, olim Ducem Gandiensem consuluit: à quo didicit, id fieri haud difficulter posse, imò id sibi nonnunquam contingere*, &c. Interim contigit aliò Patrem spiritualem, cui se ipsa crediderat, ablegari: vnde non mediocriter animo est contristata: namq; illi similem nusquam se credebat reperturam: sed in hoc ipso Societ. Iesu Collegio alius eiusdem planè spiritus non defuit. Quòd verò sanctimonialibus illius loci liberum esset, quoties alluberet, foras prodire, ad multos ipsa dies apud matronam viduã, non parui nominis, sibique perfamiliarem, haud procul à Collegio Societatis commorantem, est diuersata. Hinc factum est, vt sæpiùs illi cum Patribus Societatis loquendi agendiq; daretur ansa; quos vnicè complectebatur, & quorum è consortio nonnisi doctior & melior abibat. Quamquam autem sic eam Pater blandè admodum & leniter ad maiorem perfectionem satagebat prouehere, nihil illi, quò penitus Deo satisfaceret, omittendum, sed quidlibet etiam faciendum asserens: hic tamen ipsa non mediocrem difficultatem sensit, persuasa nimirum ab eo, aliquorum familiaritates & necessitudines necessariò illi reijciendas, non tam quòd ijsdem in Deum offenderet, quàm quòd nimiopere erga easdem afficeretur. Quoniam verò generosa erat indole, & nullum in amicitijs illis fouẽdis delictum suberat, insignem ingratitudinis effugere non posse notam se arbitrabatur, si easdem iam dudum contractas dissolueret, & hoc suo ipsa Confessario declarabat. Respondit ille, rem Deo inter comprecandum aliquamdiu commendaret, & Spiritus sancti lucem, qua illustrata introrsum, vtrum foret consultiùs, agnosceret, recitando Hymno, *Veni creator Spiritus*, continenter deposceret. Fecit, quod iubebatur: cumque quodam die diutiùs in oratione perstitisset, Deum obtestans, sibi vt lumen immitteret, quo illustrata illi in omnibus posset satisfacere; ecce hymnum solitum exordienti subitò raptus adeò vehemens insedit, vt propè sui impos videretur. Hactenus simile quid nondum experta erat. Interea hanc in intimis animæ penetralibus vocem audiuit: *Nolo posthac cum hominibus, sed cum Angelis conuerseris*. Euidẽter colligi licuit, hanc à Deo gratiam factam esse; & tũ liquidò patuit, quod multis ipsa annis maxima à se diligentia nunquam impe-

**Quam senserit difficultatẽ in aliquorum relinquendis amicitijs.**

**Teresæ raptus.**

**Quæ in eo verba audierit.**

impetrare potuerat, tametſi ſumma contentione anniteretur, & ſanitatem non parum lęderet, vnico id momento à Domino cordium fieri poſſe. Exinde ergo ita immutata eſt, nulli vt poſthac eſſe familiaris, aut cōſolationē alicuius admittere potuerit, quàm eius, quem Deo familiarem noſſet; quin graue illi atque acerbum fuerit cum quopiam agere, qui orationem familiariter non vſurparet.

Hoc quidem ſermocinationum Dei cum ipſa initium fuit: quod deinceps illi ſolenne admodum fuit & frequens. Quis verò harum ſit modus, & quo dignoſcatur ſigno, à Deóne hæ proficiſcantur, an à patre mendacij, luculenter id ipſa cap. 25. vitæ ſuæ eſt proſecuta. Non idcircò tamen à vano eam timore cōplēdo ceſſabat cacodæmon, cùm nullus aliunde ad eam pateret acceſſus. Quinque vel ſex Dei ſerui, permagnæ illi omnes apud Teresam auctoritatis, hac ſuper re tractaturi vnum in locum conuenerant: qui omnes, vt quidem Confeſſarius apud illam affirmauit, in eam pariter venere ſententiam, vt quod ipſa in oratione perſentiſceret, à dæmone id proficiſci aſſererent. quamobrem conſultum videri tam frequente illi viuifici corporis Domini communione interdicere, ipſamque in externas ſe functiones, ſolitudinis euitandæ gratia, effundere. Confeſſarius verò, quò illius exploraret conſtantiam, in eamdem cum ſex illis cenſoribus propendere videbatur ſententiam. Tereſa ergo, tum quidem vano pauore conſternata, & quodam etiam cordis languore, qui eundem fouebat, diuexata, vt ſæpè etiam ſoli ſibi in cubiculo ſecura fidere non auderet, à Sancto Aegidio (eſt id nempe Collegio Societatis Abulenſis nomen) magno mœrore oppreſſa, ad ſuum redijt cœnobium. Ipſa ergo probè monentibus parendo iam ad multos dies ſacra ſe abſtinuerat communione, & ſolitudinem, quæ vnicum tamen ei erat ſolatium, declinarat, nec habebat quibuſcum ſuis de rebus ageret (omnes enim illi aduerſari videbantur;) nondum tamen hic illius exagitandæ fuit finis. Erant namque, qui Confeſſario conſulerent, ab ea vt ſibi caueret. Alij ſole addebant meridiano clarius eſſe, diabolicum hoc commentum eſſe. Solus illi Confeſſarius addebat animos, cùm diceret, etſi diaboli fraus & impoſtura foret, nihil ab hac illi poſſe damni accedere, modò in Deum peccando non offenderet. Has inter anguſtias & animi afflictiones pia Dei famula gemens, quàm enixiſsimè eidem ſupplicabat, alia vt ſeſe via deduceret; quod ipſum ab alijs etiam fieri petijt. Nec verò vlla interim conſolatione cœleſti perfundebatur, ſed máxima cordis amaritudine, dum ſecum ipſa recogitat, fieri omnino poſſe, diabolum ſecum loqui. Biennio toto ijs in anguſtijs animi fluctuauit. Ergo, cùm angore vehementiſsimo oppreſſa, quodam in oratorio verſaretur, nulla dum vel è cœlo, vel ab hominibus conſolatione percepta, ecce poſt quatuor horarum laborem, qui numquam illius oblitus fuerat Dominus, introrſum eam in cordis penetralibus

Communio illi interdicitur, & ſolitudo.

Tereſæ anguſtiæ.



Digitized by Google

Loquitur illi Dominus, & consolatione eam replet.

alloqui orsus est, dicens: *Noli timere filia, noli metuere, quia nunquam te deseram: nam ego sum.* Ad hæc porrò verba momento, omnibus doloris & turbationis, quæ animũ inobscurabant, nubilis euanescentibus, cœlestis quædam lux illi & confidentia exoriri visa est, tantaque securitas, vt aduersus omnes, quotquot in mundo erant, Doctores atque eruditos rationibus euincere posse sibi videretur, hunc, qui sibi loqueretur, Deum esse. Serenatum posthæc omnino cor illius erat, oculis verò assidui suauissimarum lacrymarum riui ad instar fontib. prorumpere; ipsa se exinde mirari, quòd tanta in se mutatio dextræ Excelsi appareret. Et facta animosior adeò contra cacodæmonas sese animauit, vt, omni inani pauore seposito, arrepta cos cruce in certamen generosa virago prouocarit, dicens, Prodite iam in acie, quotquot estis; videre namque volo, cùm fida Dei ancilla & cliens sim, quid facere possitis. Tanta verò pòst quiete mentis perfruita est, vt, etsi suis eos interdum oculis præsentes cerneret, minimè exhorresceret, ac flocci duceret. Tanti autem, qua erat in Deum benefacientem gratitudine, donum hoc fortitudinis fecit, vt inter primarias à Deo acceptas hanc se referre diceret gratias. Exinde, cùm huiusmodi diuinarum gratiarum præsidio ab omnibus rebus esset terrenis dissoluta & libera, diuinæq; se prouidentiæ ac directioni totam committeret, non minùs prospero per spiritualis vitæ viam ferri cœpit cursu, nec minùs celeriter, quàm per oceanum secundis tum ventis, tum æstu refluo propulsata nauis, vt omnia illius cursum accelerare viderentur. Quotidie enim nouas illi Redemptor gratias infundebat, quotidie fauores ingeminabat, partim varijs eam rationibus alloquendo, & profundissimas veritates aperiendo, partim magnas ac sublimes illi visiones exhibendo. Admirabiles porrò hæc motus & effectus eximios ciebant; quibus fiebat, vt suæ quotidie in melius vitæ rationem mutaret. Hic illarum sermocinationum & visionum dicendarum esset locus, nisi ipsa eas Teresa, cui factę sunt, à capite 26. & deinceps, ex ordine referret, quo legere omnes loco poterunt. Reddam tamen, quæ singularia sunt, quæque ad historiæ, quam scribo, filum connectendum non parum faciant. Non deerant tamen, qui ei timorem creare pergerent, atque omnia, quæ diuinitus illi accidebant, dæmoni esse asscribenda dicerent, à quo turpiter illuderetur. Ad hanc eos sententiam potissimum mouebat, quòd Mariam Diaziam, cuius sanctimonia erat & notissima, & ab omnibus approbata, quęq; eodem viuebat in loco, via viderent communiori à Domino deduci, neu id genus illi visiones colloquiaq; contingere: quasi vna Deo dumtaxat sit via, qua animas deducat, & non eàdem, qua B. M. Teresam de IESV dirigebat, hactenus sanctorum & sanctarum conduxerit plurimos. At ipsa, quæ velut arrhis acceptis de summo illo erat hospite, qui eam familiariter visitabat, securissima, præsertim cùm & eorum, quos suprà memoraui, Patrum eam confirmaret opinio; non iam, vti quidem solebat,

Dæmones non perhorrescit.

Deus per varias deducit vias.

lebat, hiſce malè opinantium oblocutionibus turbabatur; ſed magnum illum Dominum pretioſa ſibi in manus, quæ antea non habuerat, in amoris ſignum monilia tradere, ſeque iam opulentam & ornatam, cùm antea pauperrima eſſet, videri aſſerebat: ſe quoque videre, necnon confeſſarijs ſuis manifeſtiſſimum exiſtere, quàm ſua anima mutata & in melius conuerſa eſſet; id ſe proinde credere non poſſe, tametſi quidem vellet; neu ſibi perſuadere, ab eo, qui animas omni conatu ad tartara pertrahere allaborat, iam ad hoc ipſum exequendum tam contrarias rationes puta, peccatorum deteſtationem, virtutum exercitationem, & conſtantiam continenter ſuam in animam inſerendo, adhiberi. Ipſum identidem idem ille Societatis Ieſu ſacerdos, quem ipſa animæ ſuæ præpoſuerat, alijs contradicentibus reſpondere ſolebat; nam ſolus hic illius patrocinium parteſque ſuſceperat. Et ſanè hac ipſa ſacerdoti huic erat virtute & fortitudine opus ad tantas aduerſariorum iniurias & calumnias, quæ ad ipſum referebantur quotidie, infringendas. Conſulebant illi ſiquidem amici, ſibi vt ab illa caueret, videret, ſibi ne dæmon imponeret, illi in re quapiam, quam diceret, fidem adiungendo. hanc in rem illi cùm vetera, tum noua afferebant exempla illorum, qui per ſimiles dæmonis impoſturas & illuſiones tandem in fraudem illecti eſſent. Qui verò Tereſæ familiares erant, animæque ipſius bonum optabant, de multis eam ſæpè rebus conſulebant, quibus illa quàm ſimpliciſſimè ſatisfaciebat, nec ſatis quæ diceret aduertendo: hinc ipſam iactabant arroganter docendi doctiores officium velle aſſumere, & doctrinæ nomen aucupari: & hoc ipſum non adeò bonum ſibi ſignum videri. Si quod in ea notabant erratum vel minimum, hoc adeò in immenſum extollebant, vt quidquid demum in ipſa cernerent, id vel in ſiniſtram partem interpretarentur, vel ad confeſſarium illius extemplò referrent. Hic verò eam ſolabatur & confirmabat, hic turbatum illius animum tranquillabat, ſimul etiam mandans, nihil vt ſeſe poſt hac celaret. Verùm enim verò nimia ipſius humilitas magnorum anxiæ huic Dei ancillæ laborum pòſt fuit ſeminarium: quamquam enim ſemper in ea ipſe opinione fuerat, omnia hæc à Deo mira deſcendere videri; quòd tamen tum eruditione, tum ſpiritu Dei conſpicuos viros longè aliter de hac re tota ſentire cerneret, dubitare & ipſe ac nutare cœpit, metuẽs, ne fortè quòd ſua vnius ipſe niteretur magis quã tot aliorum iudicio maiori donatorum ſententia, delinqueret. Tam igitur ipſe, quàm Tereſa triennio & amplius, propter hæc & ſimilia, quæ quotidiana propè erant, non parum à maleuolis exagitati ſunt, vt taceam excogitationes, perſecutiones, & alia, quæ ſine vlla prorſus cauſa ac ſubitò in illam inſurgebant: quamprimum enim ad confeſſarium cuncta referebãtur. Nihil porrò B. Matrem cruciabat magis, quàm cùm eos, qui Dei obſequium cordi quàm maximè habebant, ſibi etiam cum alijs videret aduerſari. Et ſanè tanta hoc in genere pertulit, vt pòſt ipſa confeſſa ſit, quam-

Simplicitas Tereſæ in ſiniſtrā accepta partem.

Serui Dei B. M. aduerſātur.

quamuis acerbissimos toto vitæ tempore labores subijsset, nullum tamen hoc maiorem exstitisse. Eò demum res processit, vt non vnus ab ea, ceu energumena sacris Ecclesiæ exorcismis ritè pellere Satanam decreuerit: quam tamen illa infamiam ac probrum parum morabatur. Maximè autem illam, vti iam dixi, vexabat, quòd viros adeò bonos ac probos tam vehementer, tamque diu sibi aduersari cerneret, ipsos quoque nonnunquam confessarios, nonnisi dubios ac suspicaces, ad sua excipienda crimina accedere; demùm quòd metueret, ne tandem eò res deueniret, vt, qui sibi confitenti aures dare vellet, nullus reperiretur. His tamen sinistris opinionibus fieri non poterat, vt ob frequentes hasce de cælo visiones aliquam animo tristitiam conciperet: adeò namque eam intus recreabant & delectabant, vt ne vnam solam quidem omnibus mundi bonis & voluptatibus postposuisset.

Dæmoniaca reputatur.

## CAPVT XI.

*VT CONFESSARIIS MOREM GERERET, gratijs diuinis reluctatur, quas idcircò illi Deus maiores & copiosiores dat. aperitur magnæ cuiusdam visionis illi oblatæ veritas.*

NOn ita ancillam suam Dominus angustiari affligique permittebat, vt eam vel consolari, vel verbis, quibus mirabiliter eam internè in anima alloquebatur, confirmare, vel amorem denique suum quotidie magis magisque in ipsa adaugere obliuisceretur. Ipsa verò, quę adeò eximijs à Deo se cumulari donis videbat, his omnibus de rebus apud pientissimum Dominum expostulabat, apud quem solatio erat omnia magna amoris significatione & teneriore quodam animo commemorasse. numquam verò ab oratione, nisi noua cœlitùs consolatione accepta, nouisque ad patiendum collectis viribus, surgebat. Nihil omnino horum alijs dicere audebat, quòd qui audiebant, arrogantię id illius libenter sua commemorantis ascriberent; soli verò confessario, quem ex eadem sibi Societate IESV tum selegerat, arcana quælibet reuelabat, qui vicissim illi continenter animos addebat, mœrentem consolando. Erat is Balthazar Aluarius, vir insigni probitate præditus, prudentia singularis, & rerum spiritualium magister experientissimus, qui tum quidem in Abulensi S. AEgidij Collegio ministrum agebat. hic aliquot post annis, in Dei obsequio indefatigabilis, quòd orationi mortificationique passionum mirè deditus esset; & tum suis, tum externis perutilis exstitisset, quia potens erat

P. Balthazar Aluarius.

rat in verbis, quibus corda hominum concitabat, & in animabus ad Deum perducendis mira dexteritate præſtabat, ſancto, vti vitam inſtituerat ſanctam, fine in Collegio Bellomontano, cùm vniuerſam ipſe Toletanam prouinciam Præpoſitus regeret, diem clauſit. Hic ei Balthazar plus ceteris ad perfectionem adiumenti attulit; quòd mortificationibus eam aſſiduis continentibuſque bellis attereret; vt non rarò eum mutare, & alium ſeligere conſtitueret: vt à quo interdum acerbiſſimè diuexaretur. verùm quoties hoc ſecum ipſa ſtatuebat, ſemper introrſum in anima quemdam velut diſſuadentem audire videbatur, hoc ne faceret, ſimul & magnæ ſe leuitatis coarguentem. quare & ipſa miro poſthac erga ipſum affici amore cœpit. Vnde & mihi ipſa poſtea ſubridendo ait: Hunc confeſſarium meum, tametſi auſteriorem & immitem, diligo & complector. auſteriorem inquam & ſeuerum, quòd intra diſciplinæ limites illam mortificando contineret. Vti & Mariam continebat Diaziam, illuſtre ſanctitatis exemplum, & clarum mirabilium, quæ Deus in animabus ſui ſincerè diligentibus ſibique adhærentibus operatur, ſpeculum. Etſi verò Aluarius in rebus ad ſpiritus diſciplinam ſpectantibus mirè gnarus eſſet, & peritus, Tereſa tamen adeò ſublimè euolabat, vt magna illum celeritate contendere oportuerit, ipſam vt conſequi poſſet. Memini tum, cùm Salmanticæ cum eo verſarer, & de ſpiritualibus ſcriptis varijs, deque horum cuiuſque fructu & vtilitate ſermo incidiſſet, dixiſſe mihi Balthazarem: Hos omnes ipſe libros euolui, vt Tereſæ de IESV ſpiritum intelligam. Cùm autem frequentiores iam illi viſiones acciderent, alius ex eodem Collegio Pater, qui antea illam direxerat, & iam etiam interdum illius, P. Balthazare aliorſum impedito, confitentis excipiebat peccata, palàm dicere non eſt veritus, aliquam dæmonis fraudem his ſubeſſe; cui cùm iam ipſa reſiſtere non poſſet, ſe ſalutifero ſaltem crucis ſuadebat vt communiret ſigno, ſi quid adhuc cerneret, & ſannis naſoque ſuſpenſo apparentem exciperet, quòd dæmonis eſſent ludibria, & hoc pacto fore, vt non amplius reuerteretur. Graue & abominabile hoc illi videbatur; vt quæ planè ſibi iam & indubitanter perſuaſerat, ſibi Deum, non alium, apparere. Verùm ea ancillæ Dei fuit obedientia, vt quidquid præciperet director animæ, id quàm promptiſſimè exequeretur. Interim multis ipſa cum lacrymis Dominum obſecrare, ne ſe vllo pacto decipi fineret, ſeque ex animo glorioſis Apoſtolorum Principibus Petro & Paulo commendare, quos erga peculiari quodam affectu ac ſtudio rapiebatur: quod, cùm primò ſe illi viſibilem Redemptor dedit, id eorum in ferijs natalibus contigiſſet: quin etiam illi DOMINVS fidem de-

Tentatur, vt cõfeſſarium mutet.

Tereſa ſublime euolabat.

Signare ſe iubetur cruce in viſionibus.

Erga Petrũ & Paulum Apoſtolos afficitur, quos ſæpè conſpicit.

dedit, sedulò hos ipsos inuigilaturos, ne qua vnquam deceptionis illi fraus obrepat. Non rarò quoq; illos clarissimè ad latus suum astantes vidit, idq; modo quodã visionis sublimiori, quã ordinario. Siquando etiã hæ illi occurrebant visiones, dubitare non poterat, quin reuera se Deus ipsi spectandum daret, vt tamen confessarij consilijs acquiesceret, apparentem subsannabat ludificans: non tamen semper; erat id namque illi acerbissimum. signo se tamen crucis signabat; &, si quando signando defatigaretur manus, crucem in manus accipiebat, vt hoc pacto iussa cõfessarij compleret. Sed nõ poterat non rogare facti veniam ab eo ipso, cui hanc iniuriam irrogabat, non aliter id à se fieri asserens, quàm vt morem seruis eius, qui illius supplebant vicem, gereret. Cui deinde apparens Dominus, optimè illam facere affirmauit, quòd illis obtemperaret; se verò effecturum, vt veritas tandem patesceret: vti dein hi ipsi intellexerunt, & errorem quem imbiberant, deposuerunt. Hinc quadam die, cùm apparente sibi Domino illam manu teneret crucem, quæ ad coronam precariam dependebat, hanc illi Dominus, quem crux minimè tenebat, manibus eripuit, ereptamque pòst reddidit, at longè aliam quàm antè acceperat. Videbatur ea namque è quatuor gemmis maioribus, adamante longè rutilantioribus compacta, in quarum vna eleganter sciteque ex arte quina sacra Domini stigmata insculpta visebantur. Quam cùm redderet, talem ei hanc posthac crucem semper visum iri confirmauit. Nec vana ea fuit sponsio. neque enim iam ampliùs è quo compacta erat, lignum ipsa conspicabatur, sed gemmas. at soli ipsi gemmea apparebat, alijs siquidem non alia, quàm qualis antè fuerat, videbatur. Idem propemodum sanctæ Catharinæ Senensi contigisse referunt SS Raimundus, & Antoninus: aureum quippe Virginis huius digitis annulum, gemmis conspicuum, pius Virginum sponsus Christus inseruit, quem exinde numquam ipsa exuit, ac sola videbat, ceterorum verò nullus. Cæciliæ quoque, vt Simeon Metaphrastes litteris prodidit, duas attulit de cœlo corollas Angelus, è lectissimis floribus consertas, quas etiam sola ipsa cum sponso Valeriano conspiciebat. S. Gertrudis, vti de se ipsa refert, cùm insignis cuiusdam sponsionis à Domino sibi factæ pignus ac fideiussionem peteret; suum ille ei cor spectãdum dedit, se verò manum eidẽ tradit inseruisse: qua inde educta, aureos septem in digitis circulos, ceu annulos se conspexisse, in singulis quidem digitis vnum, in medio verò tres. Sic & agnum Clemens Papa & Martyr fertur vidisse, qui sublato pede fontem illi commonstraret, quem tamen è tot Christianorum adstantium millibus nullus videre potuit, vti in vita Metaphrastes scriptum reliquit. Adeò vt nouum minimè sit, singulares Deum seruis suis prærogatiuas & gratias concedere, quibus soli ipsi, alij nulli gaudeant ac fruantur. Martinus Turonensiũ Præsul, referente Seuero Sulpicio in vita, cùm sua in basilica sacra Missarum celebraret officia, magnaque hominum vis ijsdem

Quàm inuitè se signaret in visionibus

Dominus crucem ab ea acceptã reddit pretiosiorem.

*3. p. hist. tit. 12. c. 19. §. 6*

S. Catharina Senensis sola videbat annulum à Domino acceptum.

S. Cæcilia & Valerianus soli corollas floridas.

*Lib. 2. c. 21.*

S. Clemens solus vidit agnum.

Deus seruis suis cõcedit ea, quibus soli ipsi fruuntur.

*Lib. 2.*

præ-

præſens adeſſet; ignitus capiti illius imminere viſus eſt globus, quem quædam virgo, nec non ſacerdos, & tres dumtaxat monachi conſpexerunt. Hanc porrò ab ipſa Tereſa crucem Ioanna de Ahumada ſoror, quæ hodie Albano commoratur in opido, multis precibus diſſimulanter extorſit, quaſi nihil penitus eorum, quæ de ipſa ferebantur, ſciuiſſet: penes Ioannam hęc hodie eſt, mihique hanc ipſa aliquoties oſtendit, & vti reuera par eſt, ceu pretioſum pignus, permagni facit. E quatuor hæc conſtat hebeni granulis, vtcumque maioribus, quales appendi vulgò maioribus roſarijs, quorum frequens vſus eſt, ſolent. Albani monaſterij ſanctimonialis quædam Magdalena de Toleto nomine, illuſtris viri Franciſci Fonſecæ, Toparchæ in *Coca & Alaexos* matertera, cùm poſt ex humorum ſuffuſione oculorum vſum amiſſum, & medicorum induſtria denuo recuperatum, & eumdem rurſus ter poſtea ſubitò perditum, B. Matre iam defuncta, Ioãnam de Ahumada adijſſet, rurſus iam videns; monſtratam à Ioanna crucem hanc oculis appoſuit, & ecce numquam deinde amplius aliqua oculis offuſa caligo eſt. quod ipſa miraculum omnibus ex ſe id percontantibus paſſim certa fide enarrat, quin imò ſignatum nomine ſuo rei huiuſce teſtimonium Nicolao de S. Cyrillo, tum quidem Excalceatorum Manſerenſium Præpoſito, tradidit.

*Miraculum factum virtute crucis, quam Tereſæ Dominus reddiderat.*

Nec verò propterea viſionum aliarumque Dei gratiarum erat finis, quin imò maior illarum indies acceſſio & incrementa: cumque animum B. Mater ab illis diuertere ac diſtrahere ſatagebat, numquam ab oratione ſurgebat. Sæpiùs autem Dominum Ieſum Chriſtum corám conſpexit, atque eum vt plurimùm à reſurrectione iam ſpectabilem & gloria donatum. Duas ipſe vidi icunculas, quas continenter penes ſe habebat; in quarum vna Redemptor Chriſtus à mortuis reſurgens, in altera verò Beata illius mater ſpectabantur; quas Ioannes à Rupe, tum quidem Præbendarius Salmanticenſis, & deinde Societatis noſtræ, in qua & diem extremum clauſit, delinearat. Has Tereſa ſibi ad memoriæ inſculptarum è viſionibus, quas habuerat, idearum notiones ac figuras iuſſerat efformari; vnde & pingenti adfuerat, & quales hæ, & quomodo exprimendæ eſſent, ipſa ſuggeſſerat. Ea quidem in his imaginibus elucet ars, & elegantia, vt, licèt omnium pictorum induſtria longè ſit, ad pulchritudinem, quæ in ſimilibus viſionibus relucet, aliquatenus æquandam æmulandamque penicillo, inferior; nihil tamen crediderim vmquam ab eo depictum, quod cum his, ac præſertim cum Deiparæ, quæ blandiſſima eſt ac propè diuina, conferatur. Multas enim, quas idem ille pictor delineauit, tabulas vidi; tantum tamen harum duarum à ceteris omnibus operibus illius, meo iudicio, eſt diſcrimen ac differentia, vt, niſi qui rem norat, mihi id certo certius aſſeruiſſet, vix ab illius eas eſſe perfectas manu credidiſſem. Ipſa-

*Duas Tereſa geſtabat imagines, quas ſibi depingi iuſſerat, vnam Chriſti, alteram Deiparæ.*

rum alteram, in qua Redemptor expressus, hodie asseruat Maria de Toleto Dux, Frederici de Toleto Ducis Albani vidua: at Comitissa de Alba Alistana aliam ad illius imitationem sibi exprimi iussit. Altera verò penes quemdam de Excalceatis Patribus, insigni virtute virum asseruatur.

Ne quidem hæc satis Domino fuerunt; sed vt euidentiùs clarescceret, quidquid in ancilla sua conspiciebatur, non à cacodæmone id, sed à sese proficisci, (vti facturum se receperat) illius in animo confestim tam ardentem vehementemque amoris erga DEVM ignem excitauit, vt eius videndi desiderio & absumi, & propè emori videretur, nec penes seipsam manere posset; & reuera tantus erat motus, vt animam sibi violenter auelli putaret. Vulnerata siquidem erat, ac velut emoriens, & morte quidem longè suauiori optatiorique, quàm aliqua in hoc mundo est vita. hanc tamen à se tolli plagam ita non velle poterat, vt huic ipsa tormento ac vulneri omnes mundi voluptates ac delicias posthabendas censeret. Vnde illud Psalmistæ amantis carmen identidem repetebat, *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus:* quòd verè id ipsa in se locum habere cerneret. Ijs ipsis diebus oblata illi aliquoties admirabilis quædam & diuina visio. Adstantem quippe ad latus sinistrum sibi vidit Angelum forma corporea indutum, sed ea perexigua; quem & mirus oris splendor & ardor, de Seraphinorum diuino penitus amore æstuantium numero vt fuisse beata Mater crederet, suadebant. Hic aureum manu iaculum oblongum, & loco cuspidis flammulâ obarmatum vibrabat, quod ipse cordi illius, vt videbatur, infixum cùm educeret, ipsa simul euelli sibi præcordia credebat, & ingenti diuini amoris æstu cor penitus flammescere. Ea autem doloris erat vehementia, vt eum haud ferens, in concisos interruptosque gemitus interspiraret; (intensiùs enim gemere dolor prohibebat) quam simul dolor hic animo dulcedinem afflabat, vsque adeò copiosè affluebat, vt doloris nec desiderare finem intermissionemve, nec præter Deum quidquam ei posset satiem afferre. Quibus id contingebat diebus, velut sui impotens erat, optasset quoque neminem tunc vel videre, vel loqui, sed sapidam illam pœnam continenter persentiscere, quæ illi longè maioris gloriæ erat seges, quàm quæ omnibus iunctim è creaturis poterat dimanare. Pluries deinde in mentis rapta excessum est, & adeò quidem frequenter & passim, vt etiam cum alijs agenti, nec minus opinanti acciderent; quos ipsa cùm celare sæpè vellet & supprimere, resistere vltro se oggerentibus non poterat. Ex quo verò ijs habendis assueuit, hæc paulatim adeò vehemens pœna cœpit euanescere.

Videndi Dei ardet desiderio.

*Psal. 41.*

Videt Seraphinũ, à quo conuulneratur.

Illius raptus.

Quoad

Digitized by Google

Quoad hanc Seraphini vel Angeli apparitionem nonnulla neceſſe fuerit præmittere, tum quòd præ reliquis hæc viſionibus quid peculiare continere videatur, tum verò, quòd non deſint, qui à ſe ipſis impetrare vix poſſunt, vt in hiſce ſpiritus negotijs quidpiam credant, quod in ſe vel non experti ſunt, vel conſpicati: ac ſæpè etiam contingat, riſu & ludibrio vt excipiant ea, quibus ad bonitatem DEI admirandam, illiuſque laudes deprædicandas, quòd creaturis ſe ſuis adeò amicè impertiri dignetur, potiùs excitari deberent. At quoniam ſecundo libri huius capite in genere ac ſummatim de beatæ Tereſæ ſuum reuelationibus, ac de ea, quæ illis adiungenda fides eſt, locutus, ea impræſentiarum tantùm proſequar, quæ ad hanc ſpectare viſionem videbuntur. Nefas igitur & abſurdum fuerit, dicere meram hanc vanę imaginationis chimæram, ac muliebre commentum fuiſſe, vbi antè ſtatuerimus, quæ virgini adeò ſanctæ ac veraci habenda ſit fides. Ipſa enim, quæ tantum iam cùm huius generis rerum, tum etiam earum, quæ à maligno ſpiritu proficiſcebantur, vſum habebat & experimentum, quæque ter eum ac quater, dum illam alloqui in Angelum lucis transformatus inſtituit, haud difficulter eueſtigiò agnouit; non adeò facilè pellici in fraudem poterat. Et, ſi non aliàs deinde hæc illi Seraphini viſio oblata fuiſſet, maior omnia in dubium reuocantibus aliquatenus ſubdubitandi hic eſſet occaſio; verùm cùm ſæpiùs, & quidem opportunè, Angelicum id ſpectrum ancillæ Dei obiectum ſit, quis credet, impoſitum hic illi à cacodæmone fuiſſe? Idque eò magis, quòd meticuloſa eſſet, imò ne ſibi quidem ipſa crederet; ſæpè quoque in rebus clariſſimis anceps hæreret: tum quòd hanc ipſa viſionem, eodem planè modo, quo nos, ſine vlla hæſitatione aut dubitatione commemorarit. Quam nec eo quidem, quo contigit die, ſcripto commiſit, ſed aliquot poſt annis, cùm perſæpè hanc examinaſſet & accuratè conſideraſſet, ſciretque certiſſimè minimè ſe decipi. An non (vt alia argumenta taceam) ex ipſis, quos viſio hæc ſemper in illa ciebat, motibus colligere liceat, illam minimè deceptam fuiſſe? Ea ſiquidem Dei amorem in ipſa vehementiùs ſuccendebat, ſimul & ingentem in illius anima doloris amaritudinem, nec minorem ſuauitatem, Deique videndi deſiderium excitabat, vt nihil, quod Deo eſſet minus aut inferius, ſatiare illius anhelantis pectus poſſet. Equidem nouos hoſce rogare Academicos velim, nonniſi quæ vel manu tangunt, vel oculo cernunt, vt credant à ſeſe impetrantes, quique in omnibus alijs etiam, quos animabus Deus communicat, fauoribus, ſemper de quo vel ambigant inueniunt; vtrumnam, cùm Deus hic ſolus agens ſit, omniaque efficiat, eius attributum certis conſtringere limitibus velint, eiuſne potentiam, an verò bonitatem? ſi potentiam certis ipſi definire terminis non poſſunt, (eſt namque

Perſtringũtur qui ſpiritualia rident.

Academici Platonis diſcipuli nihil vt certũ aſſerebant.

Perstringũtur, qui non alia volunt credere quã quæ vident.

que omnipotens ) cur bonitatem, cùm illa potentiâ minimè sit inferior? Cur non plura & maiora diuinam bonitatem operaturam credent in animabus huc sese multò meliùs quàm ipsi disponentibus, quàm non in ipsis? Si quidnam hoc sit, nesciant, faciant quod illę fecerunt, & propter Deum elaborent, vti laborarunt quæ id sciunt, ac tum fiet, vt & ipsi id non sint ignoraturi. Anne Deus forsitan in gratijs in animas Sanctorum effundendis ita futurus est parcus, vt scioli hi in illis ipsis credendis restrictiores? Hoc saltem ijs dixerim (quod & Teresa ipsa persæpè dicere solebat) qui Dominũ hęc & id genus alia, aut etiã his maiora in animabus penitus illius obsequio deuotis operari negabit charismata, eadem hũc in se nũquam perspecturum. Qui autem horum quidpiam experimento comperit, & verè gustare cœpit, Dominum perquam suauem esse; non ægrè his omnibus fidem adiuncturus est. Hinc & vniuersa, quæ ipsa de se Teresa narrauit, apud Franciscum Borgiam, quicum illa primùm sua charismata communicauit, facilè fidem habuerunt, vti & apud Petrum de Alcantara, nec non Magistrum Ioannem de Auila, ad quem, quæcumque de vita sua scripto concredidit, B. Mater transmisit; qui etiam, vt suo dicemus loco, cuncta ex ordine miro assensu approbauit. Itaque, cùm illi horum prorsus sint expertes, quamobrem ea ipsi tractare satagunt, quæ verè ignorant? quos dixero, vt vulgò dicitur, ceu cæcos iudicare de coloribus. Anne hoc nouum quid, & hactenus inaditum vel inuisum? Quotnam harum non absimiles sunt de alijs Sanctis scriptæ visiones, quas tamen viri prudentissimi, aut quibus infinita Dei bonitas quoquo modo perspecta ac nota est, gratanter & crediderunt, & vt veras admiserunt? Quid, obsecro, dicent, cùm S. Catharinæ Senensi, vt illius prodidit spiritualis Pater S. Raimundus, nec non post eum S. Antoninus, tam ingentem aliquando amoris diuini copiam ac vim infusam legent, vt quatuor ipsas horas anima illius à corpore exulans, mirificis visionibus potiretur? Eadem, vt ijdem eo quo suprà loco testantur, cùm Dominum ex intimis cordis penetralibus rogasset, suum vt sibi cor & voluntatem auferret, eorumque loco cor & voluntatem sibi conformem redderet; videre sibi visa est descendentem ad se Dominum, &, latere sinistro reserato, cor inde sibi auferentem sibique reseruantem, adeò vt tantisper excors existeret; donec tandem rediens Dominus, rursus latus adaperiret, & quod manu præferebat cor elegantissimum, alterius loco corpori insereret. Haud dum hæc in Sanctorum erat relata catalogum Catharina, cùm hęc legit Antoninus, credidit, scripsit. Serenus Abbas Diuis adscriptus non erat, eum tamen Cassianus scribit, cùm integram animæ à Deo castimoniam impetrasset, simul etiam quàm enixissimè corporalem postulasse; & hãc illi de nocte ea de causa visionem oblatam. Venit ad ipsum Angelus, qui aperto ventre quamdam carnis partem

3. p. hist. tit. 23 c. 19. §. 10.

S. Catharinę Senẽsis anima quatuor à corpore horis absuit.

Huic proprium Deus cor abstulit, & nouum dedit.

Collat. 7. c. 2

Sereni Abbatis visio.

rem æſtuantem exemit, & foras eiecit; & priori ventrem hiantem reſtituens formæ, perpetua ipſum puritate poſthac vt niteret promiſit fore. Non abſimile huic eſt, quod de Equitio Abbate refert Gregorius: cui apparuiſſe de cœlo vult Angelum, & virum caſtrando, omnem ad illicitas carnaleſq; cupiditates motum, quoad viueret, è corpore abſtuliſſe. Eumdem & S. Baptiſtes in ſancti cuiuſdam ſacerdotis anima & corpore feciſſe effectum viſus eſt, cùm ventrem illius crucis ter repetito ſigno conſignauit, vt in Prato ſuo ſpirituali (qui & vetus eſt & approbatus liber) tradit Sophronius Patriarcha Hieroſolymitanus. Bis, S. Gertrudis commemorat, quina ſua Chriſtum Dominum cordi ſuo vulnera inſculpſiſſe. quin & alijs duobus eiuſdem libri locis, ſeſe in corde à Domino vulneratam prodidit. S. Angela de Fulgino apparuiſſe ſibi ait Chriſtum, iuſſiſſeque, os ſuum laterali vt vulneri applicaret; ſe verò pretioſum illum ſanguinis, qui è patenti Domini latere proflueret, liquorem exſugendo obbibiſſe ſibi viſam. Eadem etiam Gertrudis à Chriſto ſe vidit aurea quam manu tenebat ſagitta tranſadigi, itaque ex eo ſe vulnere ſauciari, vt ad priſtinam exinde ſanitatem numquam redierit; quod idem penè eſt cum eo, quod hic de Tereſa proſequimur. Alio ſcriptum loco, cor illam à Domino rogatam fuiſſe, & hoc ipſam quàm libentiſſimè tradidiſſe; hoc deinde Chriſtum acceptum ſuo applicuiſſe. Alia his affinia de alijs feruntur Sanctis. potentia namque & bonitas Dei, & quas ſeruis ipſe ſuis adfert delicias, longè profectò maiores ſunt, quàm vt humana ad eaſdem ingenia, nimis quàm debilia & infirma, aſpirent. Quamobrem hæc etiam alijs hoc in genere pòſt enarrandis dicta ſunto: nos verò hiſtoriam, quam cœpimus, proſequamur.

*Abbatis Equitij. Lib. 1. Dial. c. 4.*

*Cap. 3.*

*Lib. 2. c. 4. & cap. 23. c. 3. & 23. Cap. 14.*

*S. Gertrudis viſio.*

*Lib. 3 c. 67.*

## CAPVT XII.

***R. P. F. PETRO DE ALCANTARA RERVM SVArum Tereſa rationem reddit; à quo didicit à Spiritu ſancto mira hæc omnia dimanare. Varijs exagitatur tentationibus.***

QVas ſuperiori capite reddidimus viſiones, piam Domini ancillam ancipitem reddebant & ſuſpenſam; cumque omninò non intelligeret, qui fieri poſſet, tantus vt dolor ſpiritus cum tanta eiuſdem ſuauitate pariter conſiſteret; ſimul etiam reipſa experiretur, Dei ſe donis reſiſtere nequaquam poſſe, & nullum ſatis eadem videret intelligere (quam ob cauſam non parum ipſa affligebatur) viſum Domino omnem ad Petri de Alcantara, Excalceatorum Franciſcanorum tum quidem Commiſſarij aduentum dolorum nebulam diſijcere, & mœrentem illius oratione conſolari. Igitur Guiomara de Vlloa, honeſtiſſima matrona, rerum B. Matris

*Cũ P. Petro de Alcãtara Tereſa communicat.*

 in pri-

in primis conscia, eique carissima, à Carmelitarum Prouinciali petitâ licentiâ, Teresam suas in ædes eduxit. Interdũ ergo illius partim in ædibus, partim in varijs locis sacris sanctum hunc virum Teresa conuenit, illique rerum suarum rationem reddidit. Etsi verò suam in rebus istis adeò spiritualibus tum commodè ipsa explicare mentem non posset, ipse tamen vt erat vitæ asperitate & orationis dono conspicuus, eius quamprimum mẽtem cœpit, ac multum ei lucis afferendo securam reddidit ac certiorem, spiritum Dei hunc esse, eiusque hic digitum operari; & adeò quidem verè, vt, vnâ demptâ fide, nihil ipse aut veriùs, aut indubitatiùs haberet. Cumq; euidenter perspexisset, quęnam in animam Deus illam beneficia cõtulisset, quantaque in ipsa ad eadem maiora indies excipienda esset dispositio; mirè erga eam affici, sæpiusq; cùm per literas, tum in familiari colloquio ab eo tempore cum illa cœpit agere, simul & obnixè rogare, vt sui apud Deum causam ageret. Addebat is iam tum quidem laborum anxietatumque omnium, quæ fingi potest maxima, contradictione inquam bonorum, illam superiorem euasisse, verumtamen alia non pauca illi subeunda restare. Ad hæc P. Balthazarem Aluarium conuenit, vt, quam ille de spiritu Dei hic operante opinionem conceperat, noua sua ipse opinione & testimonio confirmaret; simul & Frãciscum Salzedium, qui eam præ alijs quidem maximè diligebat, attamẽ grauissimè infe..bat, dum in ea is semper opinione versaretur, diabolicis ipsam præstigijs fascinari. Et adeò quidem altè ac profundè hæc illi opinio insederat, vt, tametsi luculentam sanctissimi viri Petri super ea re testificationem audiret, numquam à se impetrare ipse potuerit, vt quam conceperat, penitus mentem exueret; licèt alioquin in ea exagitanda paulò se gereret mitiùs. Quamquam hæc aliquam dolenti B. Matris animo medicinam facerent, nec nõ consolationem vberrimam afferrent; à dæmonis tamen tentatione & impugnatione planè immunis non erat. nam is subindè eam acriter infestabat, vti & vana illa formido: vnde & spissis intellectus tenebris obscurabatur, ipsaque anceps animo nutabat, inanibusq; suspicionibus complebatur. Occursabat identidem, nõ rectè se forsitan aut suam Petro de Alcantara mentem explicare, aut eius respondentis intelligere potuisse: ac proinde sufficere, ipsam solam deceptã esse, vt necesse non esset ipsos Dei seruos in fraudem pertrahere. Volebat nimirum ancillam suam Dominus, quò puriorem sublimioremque eam redderet, duro tribulationis igne persæpè probari, & eius quidem tribulationis, qua nulla infligere maiorem homini pœnam potest. Nec verò perbreuis ea tentatio erat, vt illius etiam vehementia ad duas, tresve hebdomadas interdũ continenter perseueraret, vt sibi quotidie mergi suffocariq; videretur.

*Qui Spiritũ Dei hic habitare asseruit.*

*Vanus metꝰ mentẽ eius obtinebat.*

Aliàs ad superiorem retro ipsa vitam oculos reflectebat, sibiq; omnibus fucum facere videbatur: suosq; adeò Confessarios adibat, & præmonebat, viderent, ne sibi à se imponi sinerent. His eam porrò timoribus, afflictionibus,

nibus, alijſque omnis generis tentamentis probari voluit & explorari Dominus, quòd tot filiarum pòſt eſſet futura mater, & tot animarum auxiliatrix. Quin per ipſos etiam Confeſſores eam non mediocriter exercere placuit: nam cùm frequenter ſummis cum corporis, tum animi laboribus ac moleſtijs opprimeretur, ipſoſque ſolatij accipiendi ergo adiret, acribus ipſam verbis obiurgabant, & adeò non recreatam abs ſeſe dimittebant, vt etiam aſperiùs duriuſq; corriperent: vt & ipſi non raró deinde mirarentur. Ipſam ſiquidem, quòd conſolatione indigere quàm maximè videbant, cõſolari quidem & delenire verbis volebant, (vnde ſæpè etiam metuebant, ne ſic eam deſolatam abs ſe ablegando & increpando, noxam inde aliquam contraherent;) ſed id in ſua negabant manu fuiſſe. His ſanctitas eius rebus mirificè celebrari, atque euulgari in vulgus cœpta eſt, & quamquam obſtaret, quin imò maximè abhorreret, inſignem nemo non de eadem opinionẽ æſtimationemq; concepit. cùm enim ſuis ipſa Confeſſarijs ſincerè clareque omnes, quas à Deo recipiebat gratias, exponeret, nec nõ interdum alijs ſpiritualib. viris tum virtute, tum litterarum eruditione conſpicuis (nam vehementiſsima illa tentatio, qua metuebat, ne à fraudis mendacijq; architecto diabolo deſcenderet, quod manifeſtiſsimè à Deo ipſo venire videbat, cùm ſcilicet ab eadem libera erat, tum verò potiſsimùm, cùm cœleſtib. illis delicijs afflueret) hi deinde eadem cum alijs communicabant; vnde fiebat, vt nominis eius fama quotidie per hominum ora magis magiſque crebreſceret. Hoc etiam in cauſa fuit, vt à primarijs interdum matronis ſummis precibus ſuas in ædes inuitaretur, vt apud ipſas die toto familiariter conuerſaretur: in quo R. P. Prouincialis auctoritatem poteſtatemque interponere placuit. quibus ille quòd nihil negare ob nominis ſplendorem poſſet, factum eſt, vt ſuo ſæpè Tereſa egredi monaſterio cogeretur & abeſſe.

*Per Confeſſarios exercetur.*

*Illius fama creſcebat.*

## CAPVT XIII.

*QVAE PRIMI EXCALCEATARVM MONASTERY à S. Ioſepho cognominati Abulæ fundandi fuerint initia, quæ occaſio: quàm id Tereſæ ſæpè Dominus iniungeret: quas hac de cauſa paſſa ſit ærumnas: prima rei huius molimina diſturbantur & ſubuertuntur.*

QVAE Tereſæ tunc quidem vitæ fuerit ratio, conſtare aliquatenus è quadã ad alterius Ordinis Religioſam miſſa ab ipſa epiſtola poteſt. Sic igitur habet: *Antequam hæc fundari inciperent cœnobia, quinque ipſis ac viginti annis in quodam ipſa vixi, in quo octoginta ſupra centum virgines ſacræ mecum commorabantur. quoniam verò plura narrandi mihi otium non ſuppeditat,*

hoc

*hoc vnum dixero, hac Deum diligenti omnia crucis cuiuſdam loco futura, & in non tenue animæ commodum ceſſura, nullũ verò ſalutis inde illi euenturum diſpendium ſi modò tecum seriò cogites, Deum ac te ſolam in illa domo verſari. Interim verò dum ab omni munere vacas, nulliuſq; tibi rei cura à ſuperioribus concredita eſt, reliqua curare neglige; ſed ſoli virtuti, quam in vnaquaque perſpexeris, comparationi incumbe, vt ob hanc ſingulas virtutem diligas, eamq; in vſum tuum conuertas; ſi quos verò in ijs defectus notaris, ab eiſdem longiſſimè remoueare. Tantum verò hæc mihi conſideratio fructum peperit, vt quamquam is monialium eſſet, quem dixi, numerus, non magis mihi is officeret, quàm ſi nulla penitus fuiſſet: quin potius quæſtum inde mihi non mediocrem eliciebam. Omni quippe loco, cariſſima, magnum hunc Deum amare poſſumus. Sit ipſe benedictus, quòd omnino nullus ab illius nos poſſit caritate ſeparare.*

Magnus numerus non impedit amorem Dei.

Licèt verò ſodalibus ipſa ſuis domi virtutis exemplo prodeſſet, & inſignes in illarum animis motus, vitæ probitate, & quod ex operibus ipſius emicabat lumine, quò id ipſa magis ſupprimere connitebatur, eò magis excitaret; parua tamen hæc erant, ſi cum ijs, quæ illius pòſt adminiculo & opera magnus proficere Dominus decreuerat, comparentur: hinc ad maiora excelſioraq; eam paulatim excitare ac vocare incipiebat. Vt verò ad oculum pateat, quàm ſuis in operibus Deus ſit mirabilis, quamque tenuibus interdum è principijs res moliatur ingentes; viſum eſt monaſteriorum à Matre Tereſa de Ieſu poſtea erectorum exordia paulò hic altiùs repetere. Habebat ipſa conſobrinam, quam ſingulari ſemper eſt amore proſecuta, Mariam Ocampiam, quæ deinde Excalceatarum etiam inſtitutum complexa, à S. Ioanne Baptiſta cognomentum aſſumpſit, & pòſt monaſterio Valliſoletano multis annis, vitæ religioſæ omnibus præbens exemplum, præfuit: hæc tum quidem veſtium conſectabatur elegantiam & nitorem, quem etiam conquiſitis, & ab ingenio & induſtria ad ſtuporem vſque excogitatis artibus fouebat. Ergo cùm ſeculari ſchemate in Incarnationis ageret cœnobio, & quadam ipſa nocte cum ſorore, alijſque conſobrinis ac cognatis Tereſæ, partim ſæculum adhuc ſectantibus, partim Religionem profeſsis, ſimul & Ioanna Suaria, magna illa B. Matris amica, de qua iam ſuperiùs nonnulla tetigimus, in materteræ cubiculo verſaretur; per ludentium ac iocantium ſpeciem dicere omnes inter ſe cœpere, permoleſtum imprimis id vitæ genus, quod in hocce monaſterio viuerent ob maximam inhabitantium copiam videri. Ad quæ Maria Ocampia confeſtim reſpondens, ait: Quin igitur, quotquot hic præſentes conuenimus, aliud vitæ inſtitutum inimus, quod, veterum anachoretarum more, maiorem ſolitudinem ſpiret. Cùm verò hic à Deo ſermo proficiſceretur, tametſi id tum ipſa ignoraret, in terram eum prolabi aut fruſtra eſſe minimè eſt paſſus, ſed in omnium mentes ac voluntates dilabi. Cumq; is placuiſſet vniuerſis, & mutuis hac de re colloquijs noctem traherent, diſceptari cœptum, quæ iniri mona-

Interdũ tenuia Deus adhibet initia ad magna efficienda.

Initia monaſteriorũ B. M. Tereſç.

monaſterij alicuius minoris, in quod pauciores admitterentur ſodales, ratio poſſet, & quæ in ipſum conſtruendum expenſæ requirerētur. Tum Maria Ocampia mille aureos de hæreditate ſua deducendos hoc ſe in opus ſpopondit collaturam; quod & cordi ipſa habere, & ſeriò vrgere videbatur. Placuit offerentis animus piæ Matri, dum tanto hanc ardore de nouo hoc vitæ genere inchoando audit diſſerentem, vanitatibus ſæculi etiam tum penitus abſorptam.

Maria Ocāpia mille offert in monaſterij erectionem aureos.

Ipſa tum Tereſa nouis auſterioris vitæ ineundæ, ſolitudiniſque ſectandæ, ac Deo ſe de nouo dedicandæ deſiderijs maiorem in modum æſtuabat, aſsiduoque ſecum ipſa recogitabat, ecquod dignum ipſa præſtare Domino poſſet obſequium, qui ardentes has animo ſuo faculas ſubijceret. Hos in ipſa motus horrenda illa & admirabilis concitarat viſio, qua exhibente Domino locum ſimul & tormenta apud inferos conſpexit ſibi, ſi, quod aliàs cœperat, iter inſiſtere perrexiſſet, parata. Etſi verò viſio hæc & narrari, & ſciri digna ſit, eam ipſe tamen ſilentio inuoluo, quòd ſecundo & trigeſimo vitæ capite pluribus eam B. Mater proſequatur.

Admirabilis Tereſę viſio, qua illi oſtenſus pœnarū locus, in quas prolapſa eſſet, ſi malum inſiſtere iter pgrexiſſet.

Secum ipſa iam conſtituerat, nihil eſſe ſibi debere antiquius, quàm vocationi ſuæ reſpondere, & quàm poterat maxima ſinceritate integritateque inſtituti ſuſcepti præſcripta conſtitutioneſq; obſeruare. ac quamquam ſuo in cœnobio multæ fideles Dei ancillæ verſabantur, ad id tamen, quod in animo habebat, arctiora longè clauſtra maioremque ſolitudinem neceſſariam arbitrabatur. Cùm ergo hoc quo diximus ritu diſponere eam Dominus iam cœpiſſet, & ipſa nuperam illarum virginum ſermonem præſens audiſſet, incredibilem in animo voluptatem ſentiebat, & omnia ſuo in corde conſeruabat. Haud ita multò pòſt matrona ipſam quædam de maximè familiaribus adijt, cui velut per ſpeciem ridentis dicere inſtituit: Nuperrimè virgines illæ de nouo à nobis cœnobio ad Franciſcanarum Nudipedum exemplum imitationemq; inſtituendo multis habitis ſermonibus agebant, variaque hac ſuper re propoſita ac conatus concipiebant. Quod velut ioco dictum Guiomara non putauit, ſed ſeriò rem cordi accepit eam executioni mandandam, ſeque, vt neceſſaria vitæ ſubſidia non deeſſent, elaboraturam addens.

Guiomara monaſterio prouētus ſe aſſignaturā ſpondet.

Quamquam verò id ipſum Tereſa non mediocriter exoptaret, ab eo tamen erat alienior, quòd in qua commorabatur domo, optatiſsima lætiſsimaq; mentis perfrueretur quiete, illiuſq; hæc erat exercitijs ſtudijſq; pietatis aptiſsima; hanc ob rem non adeo ad hāc ipſa mutationem propendebat. Ambæ demum aſsiduis ſtatuerunt continentibuſque negotium Deo precibus commendare. Poſtera verò luce, poſtquam viuificum Euchariſtiæ iam epulum adiſſet Tereſa, in mandatis illi Dominus dedit, vt qua poſſet contētione & conatu in monaſterij huius excitationem incumberet; cumque ipſum ad exitum fœliciter perductum iri, & ſibi rem fore quàm gratiſsimā, atque ad nominis ſui gloriam non parùm collaturam ſpopondiſſet, S. Ioſepho ipſum voluit dedicari; vtpote quem ad vnam portarum, & ad

Dominꝰ Tereſam monaſterium conſtituere iubet.

alteram ſanctiſsimam matrem ſuam excubituros, ſe verò diligentiſsimum ipſarum custodem futurum, nec ipſas vmquam fore vt deſereret; denique monaſterium hoc, ſtellæ in morem, inſignes claritatis ac fulgoris radios quaquauerſus euibraturum affirmauit. Hanc ob cauſam ad propylęum ac veſtibulum illius vtriuſque, cùm Deiparæ, tum dilectiſsimi ſponſi eius Ioſephi, collocari B. Mater imagines poſtea etiam curauit. Addidit adhæc Dominus, *Neque eſt, quòd tibi ipſa perſuadeas, parum mihi in cœnobijs, tametſi à primæuo feruore degenerantibus cultus obſequijq; deferri. quid enim mundo eſſet futurum, ſi auxiliares Religioſi manus ei non afferrent? Hæc tuo ipſa Confeſſario dicas velim, quem tibi hocce in negotio refragari, aut impedimento eſſe nolim.* Ea quidem horum verborum vis fuit, tamque mirabiles in animo hæc illius motus produxere, vt à ſupremo ea Domino prouenire ſibi planè perſuaderet. Verùm enimuero hæc animum illius res maximè lancinabat, vt quæ iam tum innumeros illos, quos poſtea in eius executione eſt experta, labores difficultateſq; ſibi proponeret. Tum verò graue illi imprimis videbatur, ſtudijs ſuis atque exercitationibus animi adeò commodum domicilium relinquere. Huc accedebat, quòd non iam à ſuo res ampliùs nutu arbitrioque, vti quidem antè, dependeret, ſed eòdem ab Altiſsimo impelleretur; demum quòd magnarum ſe turbationum atque oblocutionum in populo cauſam fore prouideret: adeò vt quò ſe verteret, aut quid conſilij captaret, prorſus neſciret. Dominus porrò, qui cœpta intermitti negligique penitùs nolebat, rurſus eam, & pòſt etiam crebriùs, hoc de negotio eſt allocutus, multis etiam ad ipſum perſuadendum productis rationibus, quibus illa quod obijceret, nihil habebat. Quocirca manifeſtò ita Deum ſtatuiſſe perſpiciens, minimè auſa eſt refragari, ſed ſcripto quidquid tranſactum erat, ex ordine concredidit, & Balthazari Aluario, cui tum animum ſuum illa regendum dabat, tradidit. Quòd autem hic prudentia, atque eximia Dei reuerentia excelleret, planè quidem ab hoc eam opere reuocare noluit, tametſi eius ad exitum deducendi perficiendique nulla appareret ratio (res nummaria quippe perangusta erat) at auctor illi fuit, vt Angelum de Salazar Prouincialem ſuum hac ſuper re conſuleret, & huius conſilium ſententiamque quoad liceret, ſequeretur. Tum verò honeſta illa matrona, quam ſuprà ſignificauimus, Prouincialem conuenit, hoc ſe conſtruere ac dotare monaſterium paratam indicans. Laudauit hic pium illius conſilium, ac probauit, & quam oportuit in eodem opem ei addicens, hoc ſeſe monaſterium ratum habiturum ſpopondit. Verùm antequam etiam hæc agerentur, ad Petrum de Alcantara, quidquid tractarent, ex ordine perſcripſerũt. Reſpondit hic, vt in re cogitata conceptaque minimè deficerent, & quo in hac ſe gererent modo, conſuluit; qui & ad Abulenſem Epiſcopum, vt deinde commemorabimus, rem omnem retulit. Læta negotij initia videbantur, & fauſta primordia, cùm humanæ ſalutis aduerſarius iam tum, quod inde

Cur Tereſa imagines Deiparæ ac S. Ioſephi in valuis monaſterij collocari voluerit.

Monaſterij inſtitutio B. Tereſã mirè cruciat.

Petrus Alcãtara ſuadet hoc monaſterium exſtrui.

Digitized by Google

inde ſibi immineret, præſagiens diſpendium (etſi non fortè tantum hunc ſibi credam animo finxiſſe damnum, quantum ab eo dudum iam ſenſit, & pòſt aliquando etiam ſentiet) turbulentam excitare toto cœpit opido tempeſtatem. Vt enim primùm res hæc vulgari cœpit, varij in circulis & coronis omnibus ſermonis materiam dedit, nec non maleuolis cauillandi anſam ac ſubſannandi. omnes namq; ſtultitiæ paſsim Tereſam inſimulare, nec malè ſuo illã in cœnobio agere, iactitare, demũ tam de illa, quàm alijs huius cõſilij gnaris multa id genus in vulgus ſpargi; adeò vt non mediocriter hac de cauſa vniuerſi exagitarentur, & malignæ plebeculæ linguis vapularent. Sed hac in tempeſtate affulgens ſerenans de cœlo iuſtitię ſol ancillã ſuam animabat, hinc illã haud obſcurè perſpecturã aſſerens, quanta qui prima ſanctarum Religionũ fundamenta ieciſſent, eſſent aduerſa & contradictiones perpeſsi; verũ longè etiã vehementiorẽ quàm crederet, perſecutionem ſuis ſciret ceruicib. impendere. Iam plena inanis rumoris erat ciuitas, nullusq; propè in eadẽ erat aut ciuis, aut religioſus, quẽ non ipſę operi contradicentẽ aduerſantemq; experirentur. Eò demum res proceſsit, vt, cùm Guiomara ipſo Natalis Dominici die manè noxas declaratura Confeſſariũ (quẽ ipſe noui) adiſſet, non eam antè à delictorũ ſoluere voluerit vinculis, quàm ab hac ipſa ſententia propoſitoque diſcederet, quòd ſcãdali proximo paſſim dandi occaſionẽ ei diceret præcidendam videri. Patrum Societatis Ieſu hac in re operam adhibere quidem ipſæ per ſe cupijſſent; ſed aliter id Guiomaræ ob ſingularem, quo erga ipſos ferebatur amorem, viſum eſt. cùm enim haud ita pridem Abulam illi veniſſent, &, quia res ipſis domi ſatis anguſta erat, omnium auxilio ſubſidioque opus haberent, cenſebat, ſi huic ſe noſtri negotio immiſcuiſſent, omnium facilè odium indignationemque fore vt incurrerent: quapropter longè ſatiùs videri, (vt poſt ipſiuſmet ego ex ore accepi) alterius cuiuſpiam viri magni induſtriam dexteritatemque implorare. Ambæ ergo rectà ad Patrum Dominicanorum, à D. Thoma tutelari vocitatum cœnobium abeunt, & Petrum Ioannezium Præſentatum, virum & ſcientijs clarum, & religioſis virtutibus ſpectabilem de rei totius ſucceſſu edocent, illiuſque ſententiam explorant. Tereſæ porrò, quas hac in negotij directione habuerat reuelationes, minime hic viſum eſt patefacere: cùm hoc ipſa negotium, tum alia pòſt perficienda ad dubiam reuelationum regulam aut præſcriptum dirigi agitarique noluerit. Hinc rationes, quibus ad hoc faciendum mouebatur, & quæ inde promanare poterant bona ſolummodò, proponebat; dein aliorum etiam ſuper hoc ſciſcitabatur iudicium, perinde ac ſi ſola humana id ſapientia conſilioque niteretur, atque ad Deúm penitus nihil pertineret. Ita quidem in hoc negotio ſeſe geſsit. Ioannezius verò, vti prudentia pollebat, atque ipſum rei etiam pondus exigebat (tametſi huic, non minùs quàm alijs, fatuum id conſilium ac molimen videretur, ſecumque ipſe

Cur Societatis Ieſu Patrum interponere operam in huius monaſterij erectione noluerint.

decreuiſſet rem penitus interuertere, vt pòſt ipſe ingenuè eſt confeſſus) reſponſum in præſens diſtulit, octiduumque ſibi dari petijt, quo rem Deo commendaret, ac rationum momenta in vtramque partem libraret maturiùs. Haud ita multò pòſt miſſus ad eum à principe viro nuntius, ſignificans videret quid ageret, ac mulierculis his auxilium & opem omnem denegaret; aliaque his non abſimilia. Cæterum Ioannezius vt penitiùs excutere rem aggreſſus eſt, ilicò in alia omnia tranſijt, cenſuitque è diuino eam obſequio non parum fore, ac proinde nefas videri ab inchoato deſiſtere. Quamobrem, vt maturarent, ſuaſit, ac ſimul rei ritè perficiendæ rationem modumque præſcripſit; adhæc, tametſi nummorum copia modò non ſuppeteret, Domino confiderent, eſt exhortatus, ac, ſi quem diſturbare negotium velle ſcirent, ad ſeſe hunc mitterent, ſe abundè rationibus ei facturum ſatis. Hæc illis animum religioſiſsimi viri verba dederunt, tum verò quòd hoſce Dei famulos, quos antea aduerſarios expertæ erant, adeò iam ab ijs cernerent oppugnandis deſiſtere, vt ope etiam conſilioque præſentes adiuuarent. Quocirca domum ante omnia coemerunt, exiguam eam quidem, (quo loco etiam hodie monaſterium eſt) quæ tamen Tereſæ tum quidem ſatis fecit, tametſi ijs, quæ animo voluebat, impar. Mandarat illi namque Dominus, vt, quocumq; poſſet modo rem exordiretur, viſuram enim ipſam ſubinde, quid facturus ipſe eſſet. Iam de emptione inter partes conuenerat, & poſtera erant die rei tabulæ conficiendæ; cùm tanta per vrbem contradicentium orta eſt contentio ac procella, & in ipſo Incarnationis adeo varius rumor atque oblocutio, vt Prouincialis tempori ſeruiendum ratus, tot ſcopum in vnum conſpirantium opinionibus refragari velle rem duram iudicaret. quare Guiomaræ hanc ſe negauit fundationem poſſe ratam habere, cùm quòd tenues ad vitam eſſent cenſus, ijque parum ſtabiles, tum verò quòd multorum ipſa obtrectationibus eſſet obnoxia. Tereſa verò, quæ grauiſsimos & labores ſubierat & afflictiones, antequam eo rem loci, quomodo erat, perduxiſſet, ipſam in his remoris etiam planè depoſuit, non minori quidem promptitudine, animique ſui quiete, ac ſi ne vnum eius cauſa pedem mouiſſet; quòd Prouinciale inuito, & Balthazare Aluario Confeſſario ſecùs ſentiente, nihil omninò exequi vellet, aut conſtituere: hic enim, cognito Prouincialem reſiſtere, nec rem approbare velle, huic ipſam vetuit curæ vlteriùs inſiſtere. Multa quidem antea ſermonum fuerat materia, multa calumniarum, iam verò multò etiam maior, quòd, quæ de leui ſtolidoque mulierum ſuo è cerebro hocce comminiſcentium propoſito dicta antè fuerant, per hoc confirmari poſſe viderentur. In Incarnationis quoque nefarijs maleuolarum proſcindebatur linguis, non modicam ſibi ab ea irrogari iniuriam iactantium, non minùs hic illam quàm alibi accuratè famulari Deo poſſe, cùm aliæ etiam ipſa meliores ibidem commorarentur.

Hæc

P. Ioannezius qui ſtatuerat rem diſſuadere, illius ſuaſor exiſtit.

Prouincialis Carmelitarũ monaſterij aduerſatur erectioni.

Tereſa curã monaſterij penitus deponit.

Hæc & id genus alia ab obloquentibus cùm ſpargebantur; non deerant etiam, quæ eam in cuſtodiam compingendam ſuaderent. Pia verò Dei famula inſigni tolerantiæ ſignificatione ferebat vniuerſa, ſuas, quibus ad hoc faciendum incitabatur, in medium afferens rationes, quamquam primariam, hanc ſibi nimirum cœlitus rem iniunctam eſſe, minimè attingeret. Cumque à parte ſua, quidquid demum poterat opis ad perficienda ſibi à Domino concredita negotia attuliſſe videretur, ſecura, quietaque mente hanc penitus curam ſepoſuit, etſi non ſpem, qua ſuo rem tandem executioni tempore mandandam ſperabat; quamquam eius adeò tenuia apparerent principia, & tanta econtra ſubuerſio, vt qua demum id via eſſet futurum, minimè perſpiceret.

A ſuis ſodalibus exagitatur.

## CAPVT XIV.

*CONFESSARIVS FVNDATIONEM MONASTERIJ B. Matri diſſuadet; ſed illam Dominus conſolatur, & tempus definitum exſpectare iubet: deinde confeſſario è Societate Ieſu ſignificat, velle ſe penitus rem hanc fieri. Tereſa denuo de eadem cœpit agere, & res quadam notabilis huc ſpectans refertur.*

NIhil verò Tereſam deiecit magis, quàm quòd ab eo ſe turbari affligiq; cerneret, à quo conſolationẽ & opẽ expectabat. Balthazar enim Aluarius per litteras illi ſignificauit, non obſcurè iam ex ijs quæ facta erant videre licere, mera eſſe ſomnia quæ conceperat; proinde poſthac meliora ſaperet, inania hæc molimina poſthac amplius nec aggrederetur, nec de ijs cum quoquam ageret; præſertim cùm magnam populi, cuius ipſa cauſa exſtiterat, offenſionem cerneret. Contriſtauit hæc piam virginem epiſtola; quòd metueret, ne cauſa ipſa forſan violati ab alijs diuini Numinis exſtitiſſet: ac ſic ſecum ipſa iudicaret, ſi, quæ ſibi quoad cœlitùs contigerunt monita ac viſiones, falſę fuere, oẽm etiã quã inſtituebat orationẽ, impoſturis ac fraudibus neceſſariò patere debere. Harũ occaſione vani eam qua cõſueuerat tentatione timoris vehementer diabolus infeſtauit. Sed poſt tetras haſce ſpiſſaſq; afflictionis nebulas, ingens dicto citiùs ad vocẽ conſolantis Domini ſerenitas menti oborta eſt, ait igitur: *Non eſt quòd angaris aut turberis, ingens quippe mihi praſtitiſti obſequium; nec vlla in re offendiſti. Confeſſarij tui monita ſequere, donec rei rurſus aggrediundæ tempus affulgeat.* His ita verbis recreata B. Mater manſit, vt quidquid aduerſitatis eſſet paſſa, in nihilo poneret: nec verò tum, ſed & deinde ſæpius verbis illam quàm ſuauiſſimis eſt con-

Confeſſarius Tereſam affligit.

Dominus Tereſam ſolatur.

conſolatus, vt graue illi & peracerbum ex amoris erga illam teneritudine videretur ancillam ſuam diutius anxiam & deſolatam ſinere. Hoc porrò ex hac afflictionum acerbitate conſecutum eſt, vt amor Dei aliaque mentis chariſmata mirificos in ea facerent progreſſus, & his amoris torrentibus longè ipſa quàm antea obrueretur vehementiùs, & raptus ſublimiores experiretur. Interim Ioannezius, cui ſemper vt certiſſimum & indubitatum inſederat, hanc optatum ad finem rem perducendam, cum pia illa vidua mira eam ſedulitate tractabat, quòd ab ea curanda Tereſa, ne Confeſſarij iuſſis aduerſaretur, modò deſiſteret: vnde etiam Romam hic de eadem perſcripſit. Huic verò ipſa orationis ac reuelationum, & eorum omnium, quæ ſibi à Domino communicabantur, rationem dabat, etiam atque etiam rogans, eadem examinaret, ſibique liberè indicaret, num quid ſacris repugnans Litteris hæc ipſa continerent: ſed cùm omnia ritè atq; ad diuini præſcripti normam contingere videri ſibi narraſſet, nutantem eius animum confirmauit. De cœpto verò monaſterij negotio altum erat vbiq; ſilentiũ. Sex iam elapſi erant mẽſes, ex quo de hoc ipſa nihil dum intellexerat, aut locuta cuipiam erat; nec interea quidquam quoad ipſum ex Domino apparente didicerat. Ijs fortè diebus P. Gaſpar de Salazar, qui hodie in Bœtica agit prouincia, Collegio Societatis Ieſu Abulæ præficitur; cuius, vt quidem poſtea compertum eſt, aduentus videbatur, vt denuò res indicata reſumeretur, neceſſarius. Cuius opinionis meæ hanc rationem ſtatuo. Præerat tum Balthazar nonniſi cum ſecundaria Vicerectoris põteſtate Collegio; &, quoniam in Societate noſtra laudabilis hæc viget conſuetudo, vt plena & exacta negotiorum, quæ ab inferioribus geruntur, Superioribus reddatur ratio, nihilque illis inconſultis aut inſcijs cuiquam aggredi liceat; hanc Balthazar conſuetudinem ſecutus, ad Rectorem ipſe ſuum ea de re retulerat: qui quòd eamdem etiam minimè probaret, ab ipſa Aluarium reuocarat, eiuſq; penitus curatione illi interdixerat. hinc quamquam ſummoperè rem perfici optabat, ſeſe prodere, aut quidquam de eadem ſtatuere vel decernere non audebat. Paucis verò antè, quàm P. Salazar Abulam veniret, diebus Tereſa, cùm mœrens admodum & deiecta, quòd Confeſſarium ſibi minimè fidere perſpiceret, in oratione ſeſe coram Deo totam effunderet; audijt ab eo, *Noli timere aut turbari filia, breui hac animi amaritudine liberaberis.* Id per mortem futurum ſibi perſuadebat, & huius ſe propediem adminiculo ærumnoſo hoc è carcere educendam. At longè alia & altiora ſpectabat Deus; qui alijs ad maiorem ſui nominis gloriam ſpectantibus operibus ancillam ſuam reſeruabat: ac tum, cùm iam depoſitam prorſus & finitam rem putabat, denuo eam iuſſit ordiri.

Quid Tereſę afflictiones vtilitatis attulerint.

Tereſa monaſterij curam depoſuit, & cur.

Cur P. Balthazar Aluarius monaſterij curationem ſuſcipere nõ auderet.

Afflictionũ illi finem Redemptor prædicit.

Qui verò rei ſecutus eſt ſucceſſus, quo intelligenda modo prædictio hæc foret, ſatis patefecit, ex eo namque afflictionem ſuam didicit huius Rectoris Abulam aduentu finem habituram. Is ergo cùm appuliſſet, beatæ

Digitized by Google

beatæ Matri Balthazar conſuluit, vt quàm clariſſimè ac liberrimè de omnibus cum illo rebus ſuis conferret. fecit id ipſa perlibenter, vnde magnam animo conſolationem & commodum cœpit. Horum omnium certior factus Rector, Balthazarem haud amplius viſum eſt ab hoc negotio diuertere: quin imò ſuaſor & auctor illi fuit, beatam Matrem vt mœrentem ſolaretur, nihil eſſe quod metuere oporteat; neve per arctum adeò anguſtumque poſthac eam iter dirigeret, ſed exſpatiari pia mentis vota ſineret, ſpiritum denique Dei in ipſa operari non impediret. Haud ita mox rurſus monaſterij huius excitationem vrgere apud ancillam ſuam per viſum Dominus orſus eſt, ac mandare, aliquas vt apud Confeſſarium ac Rectorem rationes afferret, quibus perſuaſi rem minimè impedirent. Sedulò accurateque ipſam Rector examinabat, rationumque momenta librabat; vt his permotus non dubitaret, quin Dei huc illam ſpiritus impelleret: quare nec ipſe, nec Aluarius ei vllatenus repugnare ſunt auſi. Dei porrò voluntatem hoc pacto Aluarius cognouit: Ancillæ ſuæ Dominus quodam die dixit, *Confeſſarium tuum mone, vt craſtina die manè hunc Prophetæ verſum*, QVAM MAGNIFICATA SVNT OPERA TVA DOMINE, NIMIS PROFVNDAE FACTAE SVNT COGITATIONES TVAE, *meditando ruminet*. Verba ſunt hæc è Pſalmo nonageſimoprimo deprompta. Tereſa ergo voluntatem Domini ſcripto ad eum quamprimum cùm tranſmiſiſſet, is illi morem gerere non dubitauit. Atque vt ſtellæ apparitione & ductu tres Deus Magos ſtellarum curſus peritiſſimos edocuit, omnia ſuauiter diſponens & ordinans; ſic per orationis præſidium multum ipſe infundere lucis ſolet eam frequentantibus & exercentibus. Exemplo ſit Pater hic Balthazar, cui hunc verſiculum meditanti manifeſtè adeò patefactum & declaratum eſt, hanc Dei eſſe voluntatem, & fœminæ adminiculo atque operâ ſua illum mirabilia perfecturum, vt à meditatione ſurgens dixerit non eſſe iam de negotio hoc amplius dubitandum, ſed ſeriò diligenterque de monaſterij noui erectione agere inſtituerit. Hoc illius ex ore Patris fide digniſſimi accepi, cui ea ipſa Aluarius veſpera tranſmiſſam à Tereſa ſchedulam monſtrauit. Hoc Tereſa reſponſo accepto, quæ omnem erectionis cogitationem iam animo abiecerat, ſed ſoli animæ culturæ bonoque intendebat, veris eam quotidie diuitijs locupletans, & pretioſis virtutum monilibus exornans, denuò in eam tota curam incubuit, tametſi magnam grauaminum molem in caput ſe ſuum arceſſere cerneret; cùm quòd ardua rei huius eſſet ſuſceptio, tum quòd ipſa ſola, omni ope deſtituta, & à rebus ad molitionē monaſterij neceſſarijs maximè eſſet imparata. Quocirca ante omnia magno quod potuit argentum labore ſibi comparauit, ad domum illam, quæ modò in monaſterium conuerſa eſt, coemendam, quoniam verò furtim res & occultè erat peragenda, (Prouincialis

enim

P. Salazar cōſulit Balthazari, ne per adeo anguſtum iter Tereſam deduceret.

Deſignat materiā Dominus, quā Confeſſarius illius meditaretur.

*Pſalm.* 91.

Orantibus multū Deus lucis communicat.

Monaſterij ſui initium quomodo Tereſa procurarit.

enim ſi quid intellexiſſet,in nihilum mox conatus omnis recidiſſet) commodiſſimam optimamque,qua erat prudentia , rationem ad hoc excogitauit,qua etiam vtendum cenſuit. Habebat Tereſa ſororem Ioannam de Ahumada, Ioanni Ouallio nuptam, & Albæ tum quidem commorantem. Ouallium ergo Abulam euocatum eam iubet domum velut in vſus ſuos emere:quem non poſt multos dies ipſa ſecuta eſt vxor.in quartum Idus Auguſti anni poſt partum Virginis M.D.LXI.is dies incidit. Tum demum cœpta manus eſt operi admoueri. Aliquis iam tum eius progreſſus erat: quoniam verò ſoror iam Abulæ verſaretur,per ſpeciem eius interuiſendæ foras B. Mater interdum prodeundi facultatem petebat, reuera autem coràm inſpectura, quid ad fabricæ molitionem requireretur, quomodo aſſurgeret, illius quoque perfectionem maturans. nam iam inde à fundationis huius initio ad finem vſque,inſigni ſua prudentia,ſanctitate,ac præſertim Dei optimi maximi,qui ipſam numquam deſerebat,cooperatione, ita ſemper omnia direxit, vt ſtructuræ ergo ne latum quidem vnguem ab obedientiæ, quam, iuxta inſtituti ſui leges Superioribus ac Præpoſitis ſuis exactiſſimam debebat,præſcripto deflecteret, etſi alioquin eius perficiendæ magno deſiderio teneretur, & ſæpiùs iam ac toties hanc illi ſupremus rerum arbiter Deus imperaſſet: quod certè admiratione non vacat. Aliquid quidem opis huc matrona quædam honeſta, B.Matris amica, conferebat,ſed perexiguum, vt tota rei moles in illius ſolius humeros recideret: quod ſanè ſanctimoniali adeò in Deum recollectæ, quamque aut clam facere, aut penitus omittere opus id oportebat, intolerabilem laborem cauſabatur.Interim verò dum moles aſſurgeret,nonnulla ad memoriam digna contigerunt,quæ pòſt recenſebo.Horum de numero eſt, quod iam affero. Cùm maiorem operarum ac fabrorum Tereſa hoc in ædificio maturando deſideraret copiam, & eos ipſa conducere, præ rei nummariæ tenuitate, non poſſet; glorioſus ſponſus Deiparæ Ioſephus, erga quem peculiari ſtudio ferebatur, illi per viſum apparens, cum fabris ipſa de mercede ſtipularetur edixit: nam quod in mercedem perſolueret,ei minimè defuturum. Alio tum quidem inſtigatore opus non habuit, accedente magna qua nitebatur fide; quare omnes ad vnum conduxit: interim Dominus de pretio ipſis perſoluendo proſpexit, illius ad liberaliter ſumptus neceſſarios præſtandos animum mouens, à quo id ipſa minùs exſpectaſſet:quæ res omnibus, ad quorum dein cognitionem peruenit, non parum ſtuporis inijciebat:ſed illi propter eminentem,quam in Deum conceperat fiduciam,facilè id fieri poſſe videbatur.

Tereſæ in obediendo ſinceritas.

S.Ioſephus illi apparẽs ſuadet,vt conuentionem ineat, etſi nõ ſuppeteret vnde ſolueret.

CA-

# CAPVT XV.

## *MONASTERII AEDIFICIVM SVRGIT: MIra aliquot, quæ eodem contigerunt tempore, enarrantur.*

PAulatim moles aſſurgebat, ſed Tereſæ domus hæc exilis nimis apparebat; eæ nãq; eius erant anguſtiæ, vt dormiendi comedendiq; neceſſitatibus apta nulla in ea perſpiceret loca, imò prorſus nullam habere monaſterij ſpeciem eadem videretur. Adhæc, in templum aptandum neceſſaria videbatur domuncula contigua, ſed deerat & ad coemendum pecunia, & vnde comparari eadem poſſet, nulla ſe offerebat ratio. Has ergo inter anguſtias ac perplexitates pia Virgo dum fluctuat, factũ eſt, vt his illã à ſacra ſynaxi redeuntem Dominus verbis compellaret: *Iam antè te monui, vt quo poſſis modo, in domum hanc commigres. Proh generis humani cupiditatem! vt etiam terram tibi putes defuturam. Quoties ego ſub dio ſomnum cepi non habens vbi caput reclinarem?* Hæc eam verba cùm mirè percellerent, domum illam adijt; quam cùm curioſiùs exploraſſet, in monaſterij redigi commodè formam poſſe, delineatione ac deſignatione præmiſſa, etſi perãguſti & exigui, viſũ eſt: quare de ampliore pòſt ſpatio minimè laborauit, hoc vnũ spectãs, vt hoc ipſum, rudi licèt atq; incondito, quoquo modo, & in quantum habitationi ſufficeret, perficeretur. Hãc illi potiſſimum mentem noua dedit viſio in D. Claræ virginis feſto die ſacra Euchariſtiæ myſteria iã ſumpturæ oblata. tunc quippe mira in luce virgo hæc ſe ſpectandam dedit, vtq; animum ſumeret, ac cœpta promoueret, animauit, ſuum huc etiam auxilium ſpondẽs. Nec fidẽ ſefellit: nã quę in cœnobio, cui à Maria de Ieſu nomen, B. Claræ inſtitutũ profitebantur monachæ, ad menſes aliquot neceſſaria vitę ſubſidia nouis ſubminiſtrare Excalceatis non dubitarunt. Exhibita illi deinde & alia viſio, qua etiam amplius in propoſito fuit confirmata. Agitabat tum animo, cui potiſſimum moniales, monaſterio iam conſummato, obedientiæ præſtarent ſacramentũ: propendebat quidẽ ipſa in Ordinis ſui Prouincialẽ; ſed ab hoc eam conſilio Redemptor diuertit, hoc tum quidem conſentaneũ negans videri; ſed Epiſcopo potius ſe vt ſubijcerent, ſuadebat. mitteret proinde Romam ea, quam etiam tum deſignabat via; daturum ſe operam, vt Apoſtolicę litterę & ſupremæ Sedis auctoritas per deſignatam à ſe rationem haud difficulter curarentur. Cùm per idem tempus in Dominicanorum ſodalium templo, in aſſumptioni Deiparę matris ſacro die verſaretur, ſuperioraq; quę hic olim per confeſſionẽ aperuiſſet peccata, animo volueret; tam inſolens eam derepentè occupauit raptus, vt propè à ſenſibus auocaretur. in hoc ſe vidit candidiſſima ac ſplendidiſſima veſte circumda-

Deus hominum coarguit auaritiam.

S. Clara ei apparet.

Episcopo eã Dominus ſubeſſe vult, & Romam ſcribere ad Apoſtolicã diploma obtinendã.

Raptus illi in feſto aſſumptionis B. Virginis die.

ri.Initio quidem nõ videbat,à quonam indueretur;poſt verò à dextra adſtantem ſibi Deiparam à læua S Ioſephum conſpexit,& ab his ſeſe veſtiri. Hoc intellexit ſigno ab omni ſe delictorum inquinamẽto purgatã, & ſuã à ſacratiſſima matre Maria apprehenſâ manu, pergratam ſibi rem ex eadem audiuit ſe facere, quòd S. Ioſepho ſponſo ſuo peculiari famularetur affectu.Spopondit præterea, monaſterium hoc perfectum iri, & magnum inde in filium ſuum, ac ſe, ſponſumque honorem & obſequium redundatura,nec verò hac de re dubitaret,certiſſimò namque ita euenturum,etſi non vſque adeò obedientia Epiſcopo deferenda arrideret; adhæc à ſe & Ioſepho ſponſo eas conſeruatum iri, filium quoque ſuum cum ipſis futurum & ambulaturum,vti & is antè ſe facturum apparens receperat; in quorum ſidei ſignum hoc illi ſe tradere monile, (aureum namque videbat monile, cui par nullum terra ferebat,& pretioſiſſimam inde dependentem crucem, ſuo tum collo à Deipara inijci per viſum) quos dein pariter in cœlum,innumera comitatos Angelorum multitudine, inuehi in ſpiritu cernebat. Hoc illam ſpectrum inuſitato piæ conſolationis ſenſu, & interiori cumulauit gaudio, vt omnis expers motus, & in verba laxare linguam impotens, ad horas aliquot, velut alienata à ſenſibus videretur, & incredibiles ardores & motus ad pro Dei gloria ſe totam impendendam experiretur.

*Videt in viſione B. Virginem & Ioſephum.*

*Quænã Deipara illi ꝓmiſerit.*

Dum ædificium paulatim paratur, & cum Ioanna ſorore Tereſa verſatur;nonnulla,quæ ipſa quidem ſilenter præterit, contigerunt,quæ hoc loco proſequi viſum eſt è re futurum. Adierant ambæ S. Thomę ædem,cùm qui ad populum adſtantem tum verba habebat prædicator, adeò acerbè in B. Matrem tacito tamen nomine inuehi cœpit, velut ſi publicum aliquod probrum contraxiſſet, adeoque in ipſam contumelioſis ac virulentis verbis ferri,vt rubore ſoror præſens ſuffunderetur. quam ille peteret,adeò liquidum erat, vt ſola digito monſtratio deeſſe videretur. Ita hiſce probris & iniurijs Tereſa mota non eſt, vt, quo erat pro Chriſto patiendi aduerſa deſiderio,in animo ſibi, veluti de præclara relata victora congratularetur, ac præ gaudio non ſecùs rideret ac plauderet, ac quæ ab alio ſe deprædicari extollique coram audiret. Soror verò tantam his auditis animo indignationem bibit, vt non ante quieſceret, quàm in ſuum beatam Matrem monaſterium reduxiſſet:quàm præeuntem hæc illicò conſecuta eſt,ne vel minimum ſtomachata aut indignata. Verùm cùm eam fabricæ, quæ ſurgebat, adeſſe præſentem oporteret, per ſororem à Prouinciali facultatem petijt, vt domo abeſſe liceret; quo facto, vnde venerat, reuerſa eſt. Hic cùm ageret, illuſtre per ancillæ ſuæ merita miraculum operari dignatus eſt Deus, Ioanni Ouallio ſororio filiolus erat nomine Conſaluus, quem & ipſe poſt noui; & paucis abhinc menſibus vita deceſſit; qui etiam in ætate iuuenili tam ſanctum piumque vitæ exitum ha-

*Concionator quidã B. M. in concione perſtringit.*

Digitized by Google

habuit, facilè vt appareret, ſanctam illi in cœlo materteram eſſe. Hunc pater, domum quodam die rediens, in limine, ſine vllo prorſus ſenſu ac rigido corpuſculo iacentem comperit. ſtatim ergo ad pectus applicitum compellat, ſed fruſtra: nullum quippe in puero vitæ apparebat indicium. Vnde hoc contigiſſet, aut quidnam eſſet, hactenus nemo nouit, imò, nec, an verè mortuus fuerit: hoc conſtat, eo iacuiſſe, quo dixi, modo. Nec mora; ad Tereſam Conſaluulum defert pater. Hæc dum præ foribus fiunt, Ioanna mater alio in cubiculo verſabatur. audiuerat aliquem inde quidem ſtrepitum, quo excita turbari cœpiſſet, & fœmineo vluiatu cuncta complere, niſi quæ eam tum ſalutatum venerat matrona, prudenter factum diſſimulans, (nam vterum ferebat Ioanna, & erat partui proxima; vnde & aliud fortè incommodum ſecutum eſſet) mentem verbis ſerenaſſet. Verùm ingredientibus domeſticis non ita clàm res eſſe poterat, quin, quid rerum actum eſſet, cognito, mater foras ilicò eiulans prorumperet, filium inclamans ac queritans, & ad Tereſam ſororem ociùs euolaret. Habebat hæc puerum genibus inſiſtentem, ſorori comploranti ſilentium, vti & reliquis, indicens; omnes verò rei euentum cum ſtupore exſpectabant. Statim ergo, velo vnà cum capite puerum verſus demiſſo, nullum prolocuta verbum, de intimis cordis penetralibus, Moſis ad imitationem, ad Dominum clamauit, ne ſcilicet contriſtaret atque affligeret eos, quos ipſe in operis à ſe deſignati cooperatores ſelegerat. Hoc illa ſitu manſit, vſque dum puer vitæ redditus, per faciem materteræ manus in ſpeciem ludentis amicè, ac ſuauiantis ita promptè circumducere cœpit, ac ſi nihil inſolens illi accidiſſet, ſed placido de ſopore experrectus eſſet. quem cùm matri afflictæ reddidiſſet, ait, Deus bone, quàm ſuum ob filiolū iam tum ipſa angebatur! eccum, & tecum tolle. Nondum quidem firmus conſiſtere in pedes puer poterat præ corporis languore & virium defectu, ſed his ſenſim redditus, perque cubiculum curſitans, ad ſuam identidem materteram recurrendo, eam quàm blandiſſimè conſtringebat. Rei huius etiamnum hodie teſtes oculati ſuperſunt, quorum ex ore rem omnem accepi, quorumque teſtimonium fidem meretur. Idem Conſaluus mihi, Tereſæ materteræ dicere ſe ſolitum, narrauit, efficere eam teneri, vt cœleſtis gloriæ compos reddatur, cùm per ipſam ſteterit, quò minùs iam dudum ad eamdem admiſſus eſſet. Quin etiam aliquoties è matrona quadam, beatæ Matris amica, audiui, petijſſe ſe ab illa interdum, Qui fieri hoc potuit, cariſſima? puérne hic iam exſpirarat? tum illam placidè ſubridendo, nihil reſpondere conſueuiſſe: cùm tamen, ſi quando ſimilia aliàs ab illa peterentur, quæ verè negare poterat, ilicò curioſitatem illius blandè caſtigādo rogare ſoleret, quare hæc adeò prętér rē & propoſitū adferret. ad hoc verò interrogatū nihil prorſus reſpōdere ſolita erat. Haud multis poſt

*Exod. 14.*

*Puerum vitæ reſtituit.*

M 2 die-

diebus peperit Ioanna filium, cui Ioſephi nomen impoſuit, quòd Tereſa erga hunc magno deuotionis ſenſu præ reliquis Diuis raperetur. Puero huic, cùm brachijs eum interdum conſtringeret, dicere beata Mater ſolebat: Vtinam te, puſio, ſi è virtute vitam inſtituturus non ſis, hinc antè præmaturo Deus obitu in ſtatu hoc Angelico præripiat, quàm in eum offendas! Sed vix tres effluxerant hebdomades, cùm hunc vita defecit; quem morti iam vicinum in manus Tereſa ſumens, eum fixis eſt oculis intuita. Dum verò in illum obtutum defigit, attentè eam Ioanna ſoror eſt contemplata: tum illi repentè vultus mutari, exardeſcere, & tantum induere pulchritudinis ſplendorem, vt nihil Angelicæ concederet. cùm iam puer exſpiraſſet, & cubiculo ſe Tereſa proriperet, ne ſororem contriſtaret, ab hac confeſtim audit: Ne te hinc germana auferas; video namque iam puellum deceſſiſſe. Tum blando ore ac ſtupenti ſimilis Tereſa, Laudemus, inquit, oportet Deum, viſo, quot Angelorum deſcendant millia, ad Angelorum & agnellorum horum animulas, ſi quando è vita emigrant, excipiendas. Vnde manifeſtum fit, illos huic tum conſpectos, cùm pupi huius anima à corpuſculo deceſſit.

Puero precatur aut mortem citam, aut bonam vitam.

## CAPVT XVI.

*DOMVS IAM CONSTRVCTAE PARTEM DEturbant cacodæmones; Domino iubente Toletum abit Tereſa, & commode Abulam redit, cùm fundationis id negotium maximè exigeret.*

REdeamus ad cœptum & intermiſſum nonnihil de domus conſtructione ſermonem. Dubitarat iam antè Tereſa, cuinam potiſſimum obediētiam deferret, ac durum illi videbatur, vti ſuprà demōſtrauimus, alij cuipiam, præterquam ſui inſtituti Superioribus parentiam conſecrare. Ab hac tamen illam dubitatione ſuo Redemptor præcepto eripuit, monens vt ſuæ Epiſcopo ciuitatis ſeſe ſubijceret. Erat is per id tempus Aluarus Mendoſius, qui deinde Palentinus Antiſtes deceſſit: Abulæ tamen, quòd beatæ Matris perſtudioſus eſſet, primarium noui huius monaſterij ſacellum, in quo ſui demortui oſſa pòſt conderentur (quod & Tereſam eo condendam loco putarat) ære ſuo conſtruere decreuit. Quod vt etiam ea qua oportebat firmitate negotium perficeretur, diplomate id Apoſtolico Roma tranſmiſſo petijt conſtabiliri. Quò aūt cœptū cœnobij opus indies magis excreſceret, eò nouā hanc fundationē cacodæmō exoſiorē habebat, quā ſibi nimirū adeò dānoſam fore metuebat, & quo pote-

Digitized by Google

poterat ſtudio & conatu ei ſe opponebat. Solidus iam & ingens eductus erat murus; duris è ſaxis fundamentum, pars exſtans è lateritio opere conſtabat; quem etiam forinſecus cæmentitia fulciebant fulcra. æuum facturus videbatur: nec modica in hunc argenti magno ſudore collecti vis impéſa erat. Is ergo quantus quantus erat, nocte ad terram deturbatur, etſi peritis à fabris conſtructus eſſet: in hos Ioannes Ouallius cùm inſurgeret, quaſi artis ſuæ parum gnaros, & ſuis eos impenſis reſtaurare murum vellet, quòd id ipſi opus ex fide ſuſcepiſſent; Ioannam ſororem ad ſe Tereſa aduocat, dicens: Marito dicas velim, haſce ne operas adeò inſectetur aut increpet: neq; enim ipſorum ruina hæc culpæ adſcribenda eſt, ſed cacodæmonum inuidiæ, qui magna connitentes opum vi eum ſolo afflixerunt. Taceat igitur, tantumdem, quantum priùs, ipſis perſoluens. Pòſt rurſus eidem ſorori ait, Hui, quàm huic Satan operi aduerſatur, quanta contentione connititur! ſed fruſtra erit. Hæc Guiomaræ animum ruina etiam non parum proſtrauit, quæ ſubtriſtior Tereſam adiens, è voluntate Dei eſſe videri negauit opus hoc ſuſcipi, cùm adeò ſolidus ac firmus murus ita repentè ad terram concidiſſet. Cui Mater ſerena mente ac vultu, Si collapſus eſt, inquit, ſurrigendus eſt. Vt verò aliquod nummorum denuo ſubſidiũ corrogaretur, Guiomara à matre ſua Tauri commorãte certum per virum, Tereſæ iuſſu, nummos aureos poſtulauit triginta; quamquam metuebat potiùs, ne id irrito conatu fieret. Plus biduo non tranſierat, cùm Tereſa Guiomaram bono eſſe animo iubet; tricenos enim illos aureos iam in viri miſsi manibus eſſe, & quidem in atrio quadrilateri inferno numeratos. Nec vana verba: vt enim nuntius Abulam rediјt, compertũ eſt, ea ipſos hora illi traditos Tauri, qua Tereſa id Abulæ prædixerat: vt nihil horum generoſum B. Matris animum aut deijcere, aut contriſtare potuerit. Non tamen mediocriter illam angebat, quòd, tametſi res quàm poterat occultiſsimè peragеretur, ſuſpicari nonnemo cœperit id quod res erat; hinc ipſa metuere, ne, ſi Prouincialis ad aures ea veniret, is quamprimum illuc euolans, pergere in cœptis prohiberet: cui ipſa parere in omnibus erat paratiſsima. Sed huic timori hac eſt ratione occurſum.

*Murum monaſterij deijciunt dæmones.*

Per idem tempus ex hac vita Toleti emigrauit Arias Pardus, vir genere nobilis, Malagonis aliorumque locorum dynaſta: cuius vxor Aloiſia de la Cerda, Ducis Metinæ Cæli ſoror, occaſum adeò tulit peracerbè, vt de valetudine illius timeri cœptum ſit. Acceperat illa iam dudum non dubiã famã, quæ de B. Matris virtutibus paſsim ſpargebantur, ſimul & tali eam in cœnobio agere, è quo, poteſtate facta, egredi foras liceret. Statuit ergo hãc ad ſe euocare, vt dierum aliquot alloquio & conuerſatione, quam è morte coniugis iam nuper conceperat triſtitiam ac luctum, præſens leniret. Quamprimum igitur, quibus poterat rationibus, ad Angelum de Salazar Prouincialem, etſi procul inde abſentem, litteris miſsis rem retulit. Negare

*Aloiſia de la Cerda Tereſam ad ſe euocat.*



Digitized by Google

Reuelatio Tereſæ facta, vt ad Aloiſiam de la Cerda ſe conferret.

hanc illi Prouincialis non potuit, quòd ſpectatiſsima eſſet, magnæque auctoritatis femina. Ergo pridie feſtorum Natalium eodem anno M.D.LXI. Tereſæ, in virtute obedientiæ, per litteras præcepit, vt vna aſſumpta comite, ad viduam ociùs ſeſe conferret. His illa perlectis, ad matutinas horas abijt, Deoque ſe enixiſsimè commendauit; quòd Abulæ commorari maluiſſet: Matutinis durantibus, aut certè magna earum parte, nouam rapta eſt in exſtaſin, in qua ſic ſibi loquentem Dominum audiuit: *Noli negligere huc abire, filia, & aliorum de hac re ſermones contemne: pauci enim id tibi ſine temeritate conſulent. Etſi labores minimè tibi ſint defuturi, ij tamen in nominis mei gloriam cedent: & in monaſterij inchoati rem futurum eſt, te ad tempus abeſſe, donec Apoſtolicum diploma tranſmittatur; ingentem namque telam orſus eſt dæmon, quam in Prouincialis aduentum differt. Ne metuas, eo equidem tibi loco adero.* His illa verbis animum reſumpſit, & mœrorem poſuit, &, tametſi iter hoc diſſuaderent non pauci, id dæmonis eſſe commentum affirmantes, vtque ad Prouincialem ea de re referret, econtra ſuaderent; nihil omninò mota eſt, nec mentem mutauit; ſed cum Rectore Collegij noſtri rem cùm communicaſſet, ab illo didicit, nequaquam eſſe iter hoc intermittendum. Ad ipſum ergo ſe accinxit, comitante Ioanne Ouallio ſororio; qui, Tereſa Toleti relicta, Abulam, vnde abierat, reuertit. Hoc ex itinere nullam B. Mater iacturam fecit: quòd talis hoſpitis Aloiſia aduentu & luctum ponere, & aliam vitæ inire rationem cœperit, mirificeque erga Tereſam affici; quo factum eſt, vt Malagone ipſa monaſterium, vt ſuo narrabitur loco, deinde Excalceatis fundaret. In ipſam quoque Tereſam eo diuerſantem loco ſingularia cælitus chariſmata collata ſunt: ipſa etiam familia aliam longè faciem induit, mores alios. nam quotquot eadem numerabantur, Patribus Societatis Ieſu animi ſui arcana per homologeſin credere, Sacramenta capeſſere frequentiùs, & crebra in pauperes ſubſidia pecuniarum erogare inceperunt. Omnes eam domeſtici in oculis ferebant, & excellentem eius indies ſanctitatem ſuſpiciebant, illorum percupidi videre ſpecimen, quæ in ipſa operari Deum conſueſſe audierant. hinc, ſi quando intra conclaue ipſam agere ſcirent, per ianuæ rimas illam interdum ſublimè raptam furtim conſpicabantur, inde verò foras ita re diſsimulata prodire mirabantur, ac ſi nihil diuinitus ſibi accidiſſet. Habitabat per idem tempus eadem in domo Maria de Salazar, virgo honeſtiſsima. hæc maximum nouæ ex hoſpitis congreſſu aſpectuque quæſtum fecit. nam viuo illo, quod ob oculos verſabatur, exemplo mirum in modum permota, ſolitudinem captare, orationique ſeſe dare crebriùs, & vitæ totius noxas Sacerdoti, vitæ melioris auſpicandæ ergô, aperire non dubitauit. Denique tam ijs ipſis, quæ modò vidit, quàm quæ poſtea tum, cùm Malagonenſis monaſterij erigendi gratia B. Mater hac tranſiret, exemplis prouocata, Deoque mundanæ vitæ nauſeam ingerenti, & ad religioſæ de-

Malagonēſis monaſterij fundandi occaſio.

licias

Digitized by Google

licias euocanti auſcultans, Excalceatarum inſtitutum pòſt ſuſcepit, in quo etiamnum agit, Oliſipponenſi Conuentui prępoſita, cùm multis antè annis Hiſpalenſi cum laude præfuiſſet, S.Ioſephi in religione cognomẽtum mutuata; de cuius virtutibus ac geſtis multa, & ea quidem præclara, dici queăt, niſi propoſitum mihi eſſet de ſuperſtitibus nonniſi pauca admodum referre. Sub id tempus B. quædam Virgo, eiuſdem cum B.Matre Tereſa Ordinis, excellenti ſanctitate & auſteritate in corpus ſuum ſingulari, cœlitus fuit ad ſimile monaſterium excitandum inſpirata, & eodem quidem anno ac menſe, quo hanc B.Mater cogitationem induit, quæ tum primum noſtram noſſe Tereſam cœpit. Hanc ipſa ob cauſam, quidquid poſsidebat, diuendidit, ac nudis Romam pedibus abijt, Sedis Apoſtolicæ auctoritatem impetratura: cùm antè illi ſacratiſsima Chriſti mater per viſum apparens, ad id monaſterium excitandum impuliſſet. Magno quidem inde interuallo diſtabat, ſed iam in itinere conſtituta, multis viarum ambagibus deflexit, quò B.Matrem Tereſam Toleti agentem conueniret. Quindecim illis, quibus mutuo fruebantur conſpectu, diebus de monaſteriorum ſuorũ excitandorum ratione pluribus inter ſeſe contulerunt, altera alterius colloquio recreata, ac diuinas inuicem gratias, & mirum mutuarum volũtatum conſenſum agnouerunt. Nomen huic Dei ancillæ erat Mariæ de Ieſu, quæ nouum Compluti dein Excalceatis virginib. cœnobium erexit; in quo illa cùm ad annos aliquot inſigni cum probitate, omniumq; approbatione & conſenſu vixiſſet, mira etiam pòſt collecta ſanctitatis opinione exſpirauit. Vnum hoc ipſa monaſterium fundauit, quod anno ſæculi hui' octogeſimo quinto ipſe adij, eq; Præpoſita multa tam de Maria de Ieſu, quàm ad ipſum monaſterium ſpectantibus ſum percontatus. Multa mihi hæc tum quidem de Mariæ huius ſanctimonia narrabat, quorum vtinam meminiſſem, quò hiſce infererem: nec illa etiam Præpoſita communem mihi ſpirare vitæ ſanctitatem videbatur. Seruabant hæ virgines omnia B. Matris Tereſæ de Ieſu ſtatuta ac leges, eaſq; tenere ac ſequi exactiſsimè volebant, etſi Patribus Carmelitis non ſubeſſent, ſed ſoli Antiſtiti Toletano.

Maria de Ieſu, quæ monaſteriũ Complutẽſe Deipara monente fundauit.

Semeſtri circiter Tereſa Toleti apud Aloiſiam de la Cerda eſt verſata, quo penè tempore Ioanna de Ahumada Albam, ineunte Iunio, anno M.D.LXII reuertit. Ioannes quoque Ouallius, longiores Tereſæ Toleti pertæſus moras, Toletum excurrit, eidem vale dicturus; vnde reuerſus, Abulam redijt, poſtero inde, vti cum Tereſa ſtatuerat, die deceſſurus, ſua poſthac in domo erigenda minimè opus eſſe præſentia arbitratus. At quoniam huic eadem perneceſſaria erat, & hoc DEVS opus iam perfectum cupiebat, aliter longe, quàm is ſecum decreuerat, ſupremo rerum arbitratori viſum eſt. Vt enim primùm vrbem eſt ingreſſus, & domum, vbi modò monaſterium Sancti Ioſephi ſubijt, ilicò inopinatum membra vniuerſa frigus inceſsit, quod acris etiam mox ſecuta eſt febris, vt

hærere

Digitized by Google

hærere præter opinionem Abulæ ſit coactus. Quindecim iam euolutis diebus, Toleto B. Mater rediјt, nulla iam antè de reditu cogitatione ſuſcepta. Repentini Toleto diſceſſus cauſa fuere miſſæ à Prouinciali ad ipſam litteræ, quibus eam & ab iniuncta ibidem manendi obedientia exemit, & liberam aut redeundi ad ſuas, aut diutiùs ibidem morandi, prout videretur, copiam fecit. Verùm, quòd aliquot poſt dies noua in ſuo Incarnationis monaſterio eligendæ Antiſtitæ cauſa futura eſſent comitia, & de ſe aſſumenda Abulæ iam deliberatum eſſe intellexiſſet, non antè Toleto mouere ſe voluit, quàm comitijs inaudiſſet finem iam impoſitum eſſe, ne ad hunc ipſa magiſtratum eligeretur. Hæc animo dum volutat, ſic illam Dominus eſt affatus: *Abulam redire nequaquam negligas, cariſſima; cùm enim crucem ſecteris, non exigua ſanè tibi præparatur: hanc tuis noli humeris excutere. tibi ſiquidem auxilio futurus ſum. perge interritè, & quidem ocius.* His compertis, animi ſui rectorem gubernatoremque quemdam de Societate adijt ſubtriſtior, cruce hac Antiſtitæ dignitatem deſignari exiſtimans. Conſuluit ille quidem diſceſſum, ſed non adeò properum; vt Toleti adhuc ad dies aliquot hæreret, donec intenſiores per æſtatem calores deferuerent, ſatis eſſe ratus, ſi comitiorum eò tempore appelleret. Parere rectè monenti (vt quidem videbatur) conſtituerat, ſed nullam illi Dominus quietem indulgebat: tanta namque animum internè exagitabat inquies, vt & orationem interturbaret, & apertæ ſe voluntati Dei refragari, &, quòd Toleti vtcumque in delicijs & commodè ageret, idcircò ſe incommoda atque ærumnas, quæ ſeſe Abulæ manerent, ſubterfugere cenſebat: aliaque his ſimilia menti obuerſabantur. Illius quoque tum Confeſſarium ita Deus emouit, vt abeundi ei Toleto poteſtatem faceret. Ergo, cùm Aloiſiæ ægrè ipſam dimittere volenti multas diſceſſus ſui cauſas retuliſſet, læta tandem inde abijt: perſuaſa namque hoc in maius Dei obſequium fore, cætera nihil eſſe penitus videbantur. Adeò porrò celer illius inde diſceſſus monaſterij ſui fundationis interfuit, vt, ſi diutiùs abfuiſſet, ipſum fortè opus aut impeditum, aut minimè ſuum ad finem inchoata perducta fuiſſent, vt ſequenti ſumus capite oſtenſuri.

Cur Abulã Tereſa redierit.

Dominus Tereſam ſolatur.

## CAPVT XVII.

*LITTERAE PONTIFICIAE ROMA AFFERVNTUR. Epiſcopus obedientiam admittit. Auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum monaſterio infertur. Primis monialibus veſtis confertur.*

CVM iam Petrus de Alcantara manifeſtè adeò perſpiceret, ecquas Tereſæ Chriſtus dotes & gratias communicaſſet, excelſam quoque animi il-

Digitized by Google

mi illius magnitudinem, & ardens ad perfectionem pertingendi deſiderium, & quàm, quod præ manibus erat opus, Dei obſequio gloriæque promouendæ idoneum futurum eſſet; qua poterat ope ac ſtudio cōtinenter & inſtitutrici, & inſtitutioni pro viribus auxiliabatur. Vnde etiam, Tereſa abſente, Reuerendiſsimum Dominum Aluarum Mendozium, Abulenſium Antiſtitem, miſsâ epiſtolâ, inducere eſt conatus, vt neomonaſterij obedientiam curamque admitteret. hanc ipſe epiſtolam ad plurimos dies mea in poteſtate habui, vix medium chartæ folium implentem, ſed tātum dumtaxat, quantum ſcriptioni, quam continet, ſufficiat; quę etiam eam replet. Cuius hæc eſt epigraphe,

*Illuſtriſsimo ac Reuerendiſsimo Domino, Epiſcopo Abulenſi, quem Dominus ſanctificet.*

Quæ cùm à viro adeò ſancto tantæque ſit auctoritatis perſcripta, viſum eſt hoc loco attexere. Initio nulla præfert parerga, aut captationes beneuolentiæ; ſed duorum dumtaxat digitorum relicta in ſummo vacuitate in hæc verba auſpicatur:

Epiſtola Petri de Alcātara de B. Tereſa.

*Præmiſſa ſupplici ſancta Illuſtriſs. D. V. benedictionis poſtulatione, Spiritus Chriſti repleat mentem veſtram. Ita me nupera proſtrauit inualetudo, vt negotium quoddam ad Domini noſtri obſequium cumprimis ſpectans tractare minimè potuerim. Quod cùm ſit huiuſmodi, vtque negligentia noſtra minimè interuertatur, paucis D. V. de eodem viſum fuit commonere. Ab hinc diebus aliquot ardens quædam pietatis cultrix, vero animarum inflammata zelo, hoc ipſo in opido quoddam molitur monaſterium, in quo & ſumma religio, & integra floritura ſit perfectio, in quod virgines aliquot primam regulam & ordinem B. Mariæ de monte Carmelo profitentes admittantur. Huius rei ergò, in obſeruationis prædictæ primæ regulæ finem ac remedium meliùs obtinendum, viſum fuit huius Ordinario ciuitatis obedientiam præſtare. Dominationis igitur veſtræ ſanctitate, & eximia bonitate nixæ, cùm hanc Deus ipſis in Præſulem dederit, eò negotium hoc hactenus perduxerunt, vt quadringentos & amplius aureos in rei impenſam inſumpſerint, & eamdem ob cauſam Romanæ Sedis etiam diploma impetrarint. Res ipſa talis eſt, vt mihi perplaceat: quam ob cauſam per viſcera miſericordiæ Domini noſtri D. V. etiam atque etiam rogo, ipſam vt amplectatur, & in tutelam accipiat, quòd eam in diuini cultus incrementum, ac ciuitatis huius commodum ceſſuram intelligam. Hanc ſi D. V. approbet, cùm ſanctam benedictionem veſtram coràm vt petam, adeſſe nequeam, nec apud vos de re hac agere, abundè mihi ſatisfactum putaro, ſi D. V. iuſſu Doctor Daça ad me excurrat, quicum eadem de re coràm loquar, aut alio quolibet, quem ad me mittere viſum fuerit. At, quantum coniectura colligere poſſum, committi res hac tutò concredique Doctori Daça poterit: quod ſi fiat, non mediocri id mihi conſolationi ac caritati futurum eſt. Ipſum igitur cum Doctore Daça, Conſaluo de Aranda, ac Franciſco Salzedo, quos omnes*

N Reu.

*Reu.D.V. perſpectos habet, & plura hac de re meipſo norunt; D. V. agere communicareq́; poterit: tametſi abundè ſatis mihi faciant ac perplaceant primaria, quæ in nouam hanc reformationem dare nomina volunt virgines, quarum omnium mihi perſpecta eſt virtus, & in quarum principe ac ductrice ſpiritum Domini noſtri IESV Chriſti inhabitare confido; quem diuina eius Maieſt.is ſpiritum Dominationi V. ad maiorem gloriam ſuam, & vniuerſale Eccleſiæ ſuæ bonum elargiatur & conſeruet. Amen, Amen. D. V. indigniſſimus Seruus & Sacellanus frater Petrus de Alcantara.*

Hæc inuicem cohærebant, nullo à cæteris interuallo diſiuncta, vti & eadem ipſe hic exhibui. Diploma, cuius meminit, illud ipſum eſt, quod ad Guiomaram de Vlloa, quoad monaſterij fundationem tranſmiſſum erat: quod quoniam erat reſtrictius, nec plenam abſolutamque facultatem continebat, nec non & aliquam difficultatem inuoluebat, viſum eſt aliud apertius poſtulandum.

Vidi quoque epiſtolam, quam idem Petrus B. Matri Tereſæ de IESV proximo menſe Septembri tranſmiſit: quatuor tantùm ea lata eſt charta digitos, quantum ſcilicet erat ad quæ ſcribebat, ſpatium neceſſarium: cuius hæc eſt inſcriptio:

*Magnificentiſſimæ ac religioſiſſimæ Dominæ, Dominæ Tereſæ de Ahumada, Abulæ, quam Dominus ſanctificet.*

In hac magno eam rogat affectu, vt de ſua ſe valetudine certum reddat, quo ſui res monaſterij ſint loco ſignificet, Deo ſe in oratione commendet, vtpote continentibus morbis diuexatum: denique nonnullarum ſuarum illi rerum rationem familiariter reddit.

Cauſa igitur, ob quam Toleto adeò celeriter Tereſam Dominus iuberet recedere, fuit, quòd Litteræ Apoſtolicæ iam Abulam appuliſſent, quibus & conſtruendi monaſterij dabatur facultas, & obedientiæ Epiſcopo præſtandæ; adeò vt qua Tereſa Abulam nocte peruenit, eadem & veniret diploma, & ea quidem via, quam iam antè illi Dominus ſignificarat. Aderant quoque tum Abulæ Epiſcopus ipſe, Petrus de Alcantara, & Franciſcus Salzedius, cuius in ædibus F. Petrus diuerſabatur: qui ambo apud Antiſtitem ita rem tranſegerunt, vt non inuitus monaſterium admiſerit. Quod ſanè parui momenti non erat, quòd tenuia admodum monaſterij eſſent vectigalia: quamquam Epiſcopus pijs & operibus & hominibus numquam, quà poterat, deerat. Potiſsimam porrò hac in re operam præſtitit pius ille Senecio F. Petrus, pro ea, qua pollebat apud ciues auctoritate, illam verbis approbans ac dilaudans, tum quòd apud Præſulem ciuitatis, & alios, qui huc opem attulerunt, permultum valeret, qui ſi ijs Abulæ diebus non fuiſſet, nihil fortè actum eſſet. Nonniſi ad octiduum ibidem ipſe eſt commoratus, & admodum quidem imbecilli valetudine. Inde verò haud

Diploma Apoſtolicum ea impetratum via, qua Dominus prædixerat.

Petr' de Alcãtara monaſterij erectionẽ multum iuuat.

Digitized by Google

haud ita multò pòſt eum è vita hac ærumnoſa Dominus eduxit, vt pro adeò ſanctis illi laboribus, ſimul & diuturna vitæ auſteritate, ſenſuumque mortificationibus mercedem in cœlo perſolueret, vt, nonniſi ad ſanctum hoc opus perficiendum tamdiu eum viuere Dominus ſiuiſſe, & eo demum confecto ad ſe eum voluiſſe euocare videatur. Hanc igitur ob cauſam illo temporis articulo Abulæ Tereſam adeſſe oportebat, & Ioannem Ouallium antè in morbum incidere, ne, vti ſtatuerat, Albam concederet: cùm enim hic Abulæ infirmus & æger decumberet, & ſolus quidem, Ioannâ vxore eius aliquot antè diebus Albam reuersâ, Tereſæ ad eum curandum abeundi, ſimul etiam inchoatæ fundationis fabricæ promouendæ facta poteſtas eſt. Hoc enim ni fuiſſet, ſufficientem Toleto abeundi cauſam non habuiſſet; præſertim Guiomarâ de Vlloa, quæ Taurum etiam conceſſerat, quòd hoc, quò res meliùs per diſsimulationem occultaretur, ita neceſſarium videretur, abſente. Ioannes porrò Ouallius toto eo tempore æger decubuit, quo Beatam Matrem extra Incarnationis ad ſua perficienda cœpta, agere oportuit. Facilè tum ipſe perſpexit, quinam ſibi ob cauſam febrim Dominus immiſiſſet; quamobrem ijs, quæ neceſſaria videbantur, à Tereſa iam peractis illi ait, Iam amplius me morbo hic detineri non eſt neceſſe. Quocirca priſtinam, DEO dante, ilicò valetudinem, magno cùm ſuo, tum aliorum ſtupore, recuperauit. Interea temporis ædificij opus vrgebat Tereſa, vtque in cœnobij formam adaptaretur, elaborabat: videbat namque longiores æquo moras non mediocriter illi poſſe officere. Quare ſorori ſimul & coniugi, inde vt excederent, edixit, & aliquam domus particulam in oratorium conuertit, ac locum, in quo moniales ſacra Miſſarum ſpectarent myſteria, paruis quibuſdam è duplici craſſoque contextis ligno cancellis ſecreuit, anguſto quoque addito veſtibulo, per quod & in templum & in domum aditus patebat: quæ omnia tam anguſtia, quàm tenuitate ſtabulum Bethlehemiticum repræſentabant. Etſi verò hæc eò prouecta eſſent hactenus, & iam ipſa opus perfectum videre percuperet; pedem tamen non mouebat, nedum quid maius auſpicabatur, niſi lectiſsimos antè Theologos in conſilium adhibuiſſet, quibuſcum rem omnem communicabat, vt, quod ſtudebat inprimis, ita actiones ſuas dirigeret, vt ab ea quam Superioribus debebat obedientia ne latum quidem vnguem deflecteret. Qui vnanimi ad vnum omnes conſenſu adeò nullum in hoc crimen ſubeſſe aſſeruere, vt & in maximum Dei id obſequium, Ordiniſque ſui decus & gloriam cedere affirmarent. ſi enim vel minima in hac ipſa re delicti apparuiſſet ſuſpicio, eadem hanc animi tranquillitate ac pace penitus abrupiſſet, qua iam antè, dum primùm inchoaretur, ſepoſuerat. Et quamquam tum quidem Beata Mater de ædificio terreno, ac materiali domo ſummopere laborabat; in viuis tamen lapidibus, qui in firmum

Theologos in conſiliū adhibet in reb. omnib.

& immobile domus ſpiritualis, quam moliebatur, fundamentum coaptarentur, ſeligendis conquirendiſque maiorem multò adhibebat induſtriam. Vndique ergo quæritans, in quatuor pauperculas virgines, parentibus orbas, DEI tamen obſequio mirè deditas (vt eas Petrus de Alcantara in ijs, quas ſuprà produxi, litteris appellat) oculos coniecit, eaſque ſine vllo prorſus cenſu aut dote primas domus huius eſſe baſes voluit. Quarum hæc ſunt nomina. Primæ, Antonia de Henao, quod deinde cognomen in Sancti Spiritus eſt commutatum, quæ Petri de Alcantara conſilio ductuque locum hîc inuenit. hanc ille inſtituerat, ſæpeque cum eadem familiariter egerat (erat enim inſignis Spiritus fœmina:) & cùm in remota aliqua, religionis ineundæ gratia, abire loca conſtituiſſet, hanc illi ipſe profectionem diſſuaſit, quò nimirum in recens hoc monaſterium nomen daret; vnde & Beatę Matri hanc de meliore nota commendauit. Altera Maria Pazia vocabatur, quam iam inde, cùm in Guiomaræ adhuc familia verſaretur, Tereſa nouerat, & cuius erat virtutibus ſemper delectata: hæc à cruce pòſt nomen inuenit. Tertia verò Vrſula de Sanctis, quæ hoc etiam dicebatur nomine, antequam nomen Religioni dediſſet, nec in ipſa pòſt eſt aliter cognominata. Hæc iam nuper elegans & ornatus ſtudioſa fuerat virgo: at talem pòſt modeſtiam induit, vt permagni ab omnibus ſanctitatis nomine exiſtimaretur: potiſsimum verò eius celebrabatur ſimplicitas, candor, humilitas, & mira in morbis ſine vllo prorſus ſolatio, nec querulè ferendis tolerantia. Hæc Doctoris Daçæ è diſciplina prodierat, cuius ipſe Beatæ Tereſæ nomen detulerat ac ſuggeſſerat. Quarta demum Maria de Auila, quæ deinde à Sancto Ioſepho fuit vocitata. Sola Vrſula de Sanctis ex quatuor his in hocce monaſterio, anno ſæculi currentis quarto & ſeptuageſimo, demortua eſt, Tereſa Albæ verſante, quam etiam glor à circumamictam in cœlum abſens abeuntem conſpexit, vti Abulam reuerſa pòſt ipſa ſuis narrauit. quare, die & hora, qua exſpirarat, cum ea, qua ipſam Tereſa (vti iam diximus) gloria donatam eſt contemplata, diligenter collatis; nonniſi quatuor eam horis igne eſſe purgatorio expiatam compertum eſt. Aliæ verò, hoc ipſo, quo hæc euulgamus tempore, adhuc ſunt ſuperſtites, ſanctitate, & bono ſuis exemplo notiſsimæ, Antonia à Sancto Spiritu Malacæ, Maria à Cruce Valliſoleti, Maria de Sancto Ioſepho denique Abulæ commorantes.

*Vrſulæ de Sanctis ſimplicitas, humilitas, patientia.*

Inſtabat iam ſacer Apoſtolo Bartholomæo dies, quem Tereſa monaſterio ſuo inchoando fauſtum ac ſecundum fore præceperat: quare opus vrgere, quàm poterat, maximè inſtituit, vt in eam cuncta eſſent diem parata. Quam eius mentem & Redemptor CHRISTVS ratam habuit. Vnde hac ipſa Apoſtolo glorioſo ſacra die, quæ in IX. Kalend.

Septemb.

Septemb. diem incidit, anno partæ ſalutis M. D. LXII. Magiſter Daça, qui opus hoc numquam non cordi habuit, ſacratiſſimum Altaris Sacramentum in ſacellum intulit; atque hoc demum pacto ſub ſancti Ioſephi titulo dedicato monaſterio, vti id Chriſtus imperarat, finis eſt impoſitus. quo etiam die idem Dei famulus Daça ſacram primis illis quatuor quas dixi virginibus, religionis veſtem, inſpectante B. Matre Tereſa, vnà cum alijs duabus ex Incarnationis monialibus, quæ tum fortuna foras prodierant, quarum altera ſoror erat Agnes de Tapia, de qua ſequenti narrabimus libro, contulit. Hiſce cum nouitijs Tereſa habitabat, interim ad ſuum monaſterium redeundi, & non antè egrediendi, quàm ad id ſibi à Prouinciali poteſtas fieret, oportunitatem exſpectans.

FINIS LIBRI PRIMI.

VITAE

# B. MATRIS TERESÆ DE IESV

## LIBER SECVNDVS.

### PROLOGVS.

*ADmirabilia profectò & excelſa ſunt magni illius Domini ac Dei noſtri opera, vt qui vnico diſponat, efficiat & perficiat in momento, quod hominibus, etſi alioquin ſapientibus, gnaris & nauis, fieri penitus non poſſe videtur; ac nemo illius aut ſe opponere potentiæ, aut quæ potenter ipſe operatur, vllo modo valeat euertere: quod ſecundo hoc libro pluribus exemplis ſpectandum dabimus. Conſilia quippe illius ſublimia ſunt vt quæ maximè, profundiſſimæ plena ſapientiæ illius molimina, quibus vel ſapientiſſimos magiſtros percellit atque aciem perſtringit; & ad altiſſimos, quos propoſitos habet fines, quorumcũque tandem viſum fuerit operâ adhibitâ, pertingit; demum eos ex ijs, quæ in oculis hominum nihil eſſe videbãtur, elicit effectus, qui incredibilem vniuerſis mortalibus ſtuporem & admirationem incutiant. Maturè autem & tempeſtiuè mirari me incipere neceſſe eſt, quòd maiora & plura longè nobis reſtent videnda. In omnibus ſiquidem, quæ huc vſque commemorauimus, diuina ſapientia non niſi quaſdam veluti locandis fundamentis aperuit foſſas, quamquam humilitate profundas, & charitate latas, & ex ijs iam tum facilè poteſt colligi, quæ ijs inædificanda eſt ſubſtructio, altiſſimè eam promouendam. Atque vt priſci illi Hebræi, qui primum Salomonis templum in*

inue-

Digitized by Google

*iuuenili ætate viderant, in lacrymas, viſis ſecundi, quod poſt reditum è captiuitate Babylonica condebatur, fundamentis & moliminibus, prorumpebant, quòd è iactis fundamentis ac principijs haud difficulter conijcerent, referente Eſdra, id, quod iam ædificandum erat, magnitudine ac ſplendore primo longe fore inferius; imò ne quidem comparandum: ſic econtra qui Ordinis ac Religionis beatæ Mariæ de monte Carmelo primordiorum vel aliquam nactus fuerit notitiam peritiamque, ac primæuæ illius ſanctitatis atque auſteritatis; vbi læta hac perſpexerit initia, ſecum ipſe meritò gaudere poſſet, & in Domini noſtri Ieſu Chriſti, à quo omne bonum noſtrum deſcendit; laudes prorumpere; quòd hæc iam inde à primo ſui exordio ſpem ſuggerant, primigeniam illam pietatem, & ſummam vitæ ſeueritatem tandem aliquando poſtliminio reſtitutum iri. At quemadmodum, tametſi ſolidiſſima atque optima ſint fundamenta, & altiſſimum, ac ſublimiſſimum ædificium, ſi, qui poſt inſeruntur lapides, primis haud quadrent, & ambo non rectè ſymmetriceque inter ſeſe connectantur; ( dum nimirum calcis loco rectè ferruminantis & conuincientis ſingula lutum aut inepta in cæmentum argilla adhibetur ) ad terram tandem concidere idipſum conſueuit: ſic hæc quam Dominus conſtruxit domus; paulatim fatiſcens collabaſcet, ſi non quàm diligentiſſimus admittendarum habeatur delectus; non quòd, quotquot huc animũ applicant, perfectas iã eſſe velim, ſed vt bonæ ſint indolis; ductiles & placidæ: vt quamcumque eas in formam flecti velis atque aptari, eam non inuitæ ſubeant, ac ſequantur, & quem demum locum ijs cenſueris optimum, ædificioque conuenientiſſimum, eò ſe transferant & ſtatui velint. Si iuuenes & tenellæ ſunt, vti lapides molles & arenoſi; ſiquando malleum tunſionis applicueris, deſtruentur & perdentur: ſi verò prouectiores, nouaculam & ſcalprum non ferent. ad formam tamen hæ accipiendam non adeò ineptæ ſunt & inutiles, ſed aliquæ dumtaxat, quæ rerum ſpiritualium expertibus magnam tum in corpore, tum in animo aptitudinem quidem præ ſe ferre videntur, cæterum adeò obſtinatæ ſunt mente; adeò corde præfractæ, vt multarum eæ nouacularum & runcinarum aciem obtundant; vt, cùm eas operi iam idoneas & ad formam neceſſariam accipiendam paratas iudicaris, in fruſta diſſiliant & fruſtra ſint. Hæ ſunt ſcilicet, quæ parere neſciunt, ſed proprio ſuijpſarum iudicio pleniſſimæ, quòd ſe vel prudentes, vel genere illuſtres credant, vel quia multis per eas*

1. Eſdr. 3.

Habendus delectus in admittẽdis ad religionem.

Quales ſint oportet in religionem admittẽdæ.

Immorigeræ & proprio iudicio plus æquo innitentes religioni ineptæ ſunt.

Digitized by Google

*eas poſſeſſionibus ſit aucta religio, ſe præeſſe, & in ſuam alias ſententiam tranſire, & a Superioribus ſe coli, ſibiquè in omnibus fieri debere ſatis exiſtimant. Ille porrò bonus aptusquè eſt lapis, qui formam admittit, nec formanti obluctatur, & quem demum cumque ſe fabri ſpirituales in locum velint inſerere, facilè in eum ſe coaptandum ilicò ſibi perſuadet, eò quòd ſine vllo prorſus negotio in quam velis formam & figuram tranſeat. Cùm boni ſunt lapides, facilè cum reliquis combinantur; quod tum demum fit, cùm alijs ſe conformes reddunt, & ad eorum ſe mores & conſuetudines accommodant. Atque vt lapides iam ædificio inſiti & coaptati nullam iam amplius dolabram aut malleum experiuntur, vt qui de nouo accedunt, iam locatis adaptentur; ſed illos dolari aptariquè oportet, vt prioribus æquentur & quadrent: ad eumdem planè modum, quæ primùm monaſterium ineunt, ad ſuos pellicere mores ac vitæ formam non oportet eas, quæ iam diutius in eodem egerunt; ſed nouam illæ formam admittant, itaquè concinnari ſe ſinant neceſſe eſt, vt ſenioribus ac veteranis conueniant, in virtutum in ipſis relucentium decora continenter oculos conijciendo, eaſquè pro viribus imitando. Hinc veteranis, ſi modò rectè id intelligere velint, non plus honoris auctoritatiſve, ſed oneris incumbit & obligationis; cùm enim aliarum ipſæ exemplum, norma, & prototypus ſint conſtitutæ, diligentiorem eas ſui habere rationem eſt neceſſe, &, quoad quidem fas fuerit, quaſlibet imperfectionum ſuperfluitates reſecare, ne ad iuniores eæ promanent, & perfectiſſimo exemplari, quod ipſarum Deus oculis obiecit, ſanctiſſimæ inquam Matri Tereſæ de Ieſu, ſeſe reddere quàm ſimillimas. Porrò in adeò excelſum opus, & in lapides adeò bonos, non lutum aut argillam, per quam inuicem connectantur & cohæreant, quærere ſtudeant, eas inquam admittendo, quæ aut maiores opes inuehunt, aut nobiliores, opulentiores, potentioreſve nactæ ſunt parentes, aut alias id genus mundi dotes adeptæ. hæc enim nonniſi cœnoſa ſunt terra, ædificijſquè ætatem facturis inepta. Lecta autem quærẽda calx eſt, quæ arctè iuncta conglutinet & conuinciat, id eſt, vera ſenſuum interiorum exteriorumquè mortificatio, quæ vtriſque perneceſſaria eſt: hanc ob cauſam conquirendæ potius ſunt, quæ ad obediendum & ſenſus edomandos optimè ſunt diſpoſitæ, quinetiam, ſi neceſſe ſit, eædem, quamquam tenues & ignobiles, orandæ, quàm aliæ allegendæ, quibus ſuperiora ſpiritus chariſmata deſunt, etſi complures illarum apud Superio-*

Nouitiæ ſe ſenioribus, & non hæ illis ſe adaptent.

Veteranæ pietatis ſint oportet cultrices.

In admittẽdis aliquib⁹ ad religionem mundani non ſunt adhibendi intuitus.

*rio-*

riores cauſam enixè agant, ac luculentos cenſus ſpondeant. Argentum ſiquidem expendetur & minuetur, inepta verò præfractaq; monialis in loco manebit; harum vel vna ſufficiat, quæ ceteras exagitet & fatiget. Calx quamdiu viua eſt, ædificando eſt inepta; at vbi aquæ iniectu ſubacta & emortua, aptiſsima eſt ac pernecesſaria. Sic, in quibus indomitæ paſsiones adhuc viuunt, ſocietati reique publicæ maximè officiunt, & fieri omnino non poteſt, vt aut cum alijs, aut ſecum ipſæ rectè conueniant: at ſi paſsionum impetus generosè retundant, excellens quædam in domo efflorescet vnio, caritas, concordia, quæ ad religioſi inſtituti bonum, confirmationem, incrementumque cumprime neceſſaria eſt. Nihil quidem eorum, quæ dicta ſunt hactenus, dicere conſtitueram, at, quòd vnicè hoc Dei opus cupiam excreſcere, quotidieque inaugeri, ad hæc præmittenda ſum incitatus: & ſi id in præſentiarum minimè ſit neceſſe ob mirificum, quod in hiſce monaſterijs viget perfectionis ſtudium, fieri fortaſſe poterit, vt ætate labente id ſit neceſſarium futurum. Si verò libro huic dare ætatem Deo viſum fuerit, volupe mihi futurum eſt, me etiam iam demortuum aliquem hiſce ſcriptis meis poſſe effectum operari, quem & dum viuo voce iam facio, & pòſt etiā ſum facturus. Atque hoc pacto S. Matri Tereſæ de Ieſu faciam aliquatenus pro omnibus, quibus ipſi obſtrictus ſum nominibus ſatis: quòd, qui eius conſtitutiones & ſcripta legerit, facilè perſpecturus ſit, quantopere id ipſa deſiderarit, & faciendum etiam ſuaſerit, quidquid hic ipſe ſcripto ſum proſecutus. Hunc quoque laborem meum vtilem eſſe velim ijs, qui nullam ad ea, quæ dicta ſunt, aut natura propenſionem, aut animi generoſitatem præferent; vt nimirum hæc ingredi monaſteria non præſumant: neque enim ijs bene hic ſuccedet, ſed alia naturæ genioque ſuo conuenientiora, & in quibus quietiùs & latiùs agant, conquirant.

## CAPVT I.

### *QVEM B. MATER TERESA IN HISCE FVNdandis monaſterijs ſpectarit finem; quàm ille ſit ſublimis ac perfectus, quantumque Religioni valorem conciliet.*

PRAETER decorum mihi videtur fore vlteriùs huius in hiſtoriæ contextu prouehi, niſi antè deſiderio ſatisfecerim ſcire cupientium, quem ſibi in huius monaſterij fundatione beata Tereſa de Ieſu propoſuerit finem, quas leges, quod veſtis genus, quam denique vitæ formam in ipſum induxerit: quod cùm de vno hoc dixerimus, de reliquis omnibus, de quibus in loco agemus, cœnobijs id intelligi dictum volumus. Primò quidem, aliud non ſpectauit, quàm aliquod condere monaſterium, in quo cùm ipſa, tum reliquæ illius ſequaces arctiori in ſolitudine & clauſtro factam Deo ſponſionem, iuxta inſtituti ſui & Ordinis præſcriptum, poſſent exactiùs præſtare & ſeruare, de noua enim religione inſtituenda ne cogitauit quidem, veterem dumtaxat ſuum à B. Maria de Monte Carmelo dictum ordinem iam ſeneſcentem ad primæuæ inſtitutionis vigorem perfectionemque reuocare contendens. Deinde verò maximas Eccleſiæ perſpiciens neceſſitates, & pro eo ac poterat, ſuppetias pro eadem depugnantibus, pro ſingulari ſua qua ardebat charitate, ferre geſtiens, etiam ſublimiùs cogitata mentis extulit, & ad pœnitentiam vitæque duritiem ac paupertatem hæc ipſa addidit, quæ antè excogitarat, & aliarem omnem ratione direxit. At quia hæc omnia illius malo verbis quàm meis deſcribi, quæ hac ipſa occaſione libro, quem *Viam perfectionis* nuncupat, eſt proſecuta, haud inuitus adferam; non quidem vt hactenus Eboræ ac Salmanticæ excuſa exemplaria præferunt, ſed vt ea ipſius beatæ Matris autographo continentur, vnde ea ipſe depromſi; atque hoc dictum eſto de omnibus, quæ hoc è libro ſuis afferam locis. Ait igitur: *Principio quidem cùm hocce ſancti Ioſephi monaſterium Abulæ excitaretur, &c. non mihi propoſitum erat, tantam, quoad exteriorem vitæ rationem, aſperitatem ac rigorem inducere, aut omnes ab eo prorſus annuos prouentus ac vectigalia excludere: at* verò

Tereſæ in monaſterio fundando intentio.

Cap. 1.

Digitized by Google

*verò poſſeßionibus id dotari cupiebam, ne quid ei de neceſſarijs opportunitatibus ac ſubſidijs deeſſet: tandem etſi miſera & impotens, cùm aliqua bona deſideria propoſitaq́; haberem, ea ipſa longius efferebantur, quàm reipſa exequi poteram. Eadem verò tempeſtate dum auditu acciperem, quæ in Gallia Lutherani patrarent mala, quæ Eccleſiæ inferrent damna, & quo virulenta hæc propago modo indies magis ac magis ſeſe diffunderet; animo ipſa affligi & turbari cœpi, & perinde ac ſi aliquam ipſa afferre opem poſſem, aut aliquo eſſem numero, coram Domino animo teneriore plangens & lacrymans, ſuppliciter illum ſum deprecata, tanto vt exterminio ac ſtragi auxiliares ſupponeret manus: & mille ipſa vitas impendere velle mihi videbar, vt vel vni de tot millibus ibi pereuntium poſſem animæ ſuccurrere. Comperto autem, me mulierem eſſe, eamq́; admodum imbecillem, & nullum, vti quidem ipſa cupiebam, in obſequio Domini promouendo præſidium afferre valere, cùm quòd inimici eſſent plurimi, tum amici paucißimi; in hoc ipſa potißimùm incubui, & etiamnum incumbere allaboro, vt qui amici dicerentur, ij ſinceri ac perfecti eſſent. Statui igitur pauxillum illud, quod poteram præſtare, omni nimirum quâ poßim perfectione Euangelica ſequi conſilia, & eniti, vt pauculæ illæ, quæ mecum hic verſantur, idipſum ſequendo æmularentur; ſumma ſcilicet Dei bonitate freta, vt qui numquam illi ferre ſuppetias negligit, qui eius amore terrena omnia abijcere graue non ducit: ſimul etiam ſperans, cùm tales hæ ſint, quales eas in animo ipſa meo fingebam, & eſſe cupiebam, præ virtutum illarum fulgore vitiorum meorum caliginem abſconditum iri, atque hoc pacto aliquatenus me Domino Deo ſatisfacturam; vt, cùm omnes, quotquot ſumus, pro ijs qui Eccleſiæ partes nauiter defendendas ſuſceperunt, & pro concionatoribus, alijſq́; viris eruditis eamdem omni ope tuentibus ſedulò inſtanterq́; orauerimus; huic Domino meo quadamtenus pro viribus auxiliemur, quem contrà tam indignis hi habent modis, in quos ille beneficia contulit, vt hi illum proditores denuo verè crucifigere velle videantur, & vix ipſe habere poßit, vbi ſuum caput reclinet.* Inde verò ſubiungit; *Auxilio mihi eſtote, dilectißimæ in Chriſto ſorores, vt hoc ipſum à Domino contendam: ob hanc enim cauſam diuina eius maieſtas nobis facta eſt perſimilis. hæc ſcilicet veſtra eſt vocatio, hæc ſunt quæ tractare debetis negotia, hæc ſunt deſideria, quibus vos neceſſe eſt repleri, hic veſtra ſita ſint lacrymæ, hic veſtrorum petitionum ſit finis.* Ex hiſce beatæ Matris verbis euidenter quis perſpiciat, quis illius in hac renouatione, ac noua monaſteriorum erectione fuerit ſcopus, quæ in illis viuentium Religioſarum vocatio. Et quamquam primum illius magnæ perfectionis laude clareret monaſterium, tot id tamen ipſa gradibus promouit, & ad tantum noua hac intentione & fine quem ſpectauit valorem eleuauit, vt vix in vllo fœminarum cœnobio aut familia maior haberi perfectio, ſublimior poſſit vocatio. Nam, prout S. Thomas inculcat, & ipſa etiam docet veritas, non eò vna religio aliâ dici poteſt perfectior, aut ſublimior, quòd auſteriùs illius, quàm huius viuant mēbra ac cultores, ſed quòd illa præ hac altiorem propoſitum habet ſcopum, ſimul & conuenientiores ad ſcopum

Quantoperè finis perfectus religionē perficiat.

2.2. *qu.* 188. *a.* 1. & 6.

O 2 hunc

hunc pertingendi continet rationes. Vnde efficit, eas alijs omnibus religiones & digniores & excellentiores eſſe, quæ ad docendum verbumq; diuinum proximo annuntiandum ſunt inſtitutę; proximũ tamen illis locũ occupare, quæ cõtẽplationi totæ vacant, animamq; propriam orandi meditandiq; exercitijs perpetuò excolunt. nam, vt quid dignius eſt, & excellentius accendere, quàm dumtaxat collucere, ita maius, in alios, quæ contemplatione priuata collegeris, publicè effundere, quàm vni contemplationi rerum diuinarum intendere. Cùm igitur mulierum religiones & familiæ ad docendum prædicandumque minimè ſint inſtitutæ, ea profectò ceteris erit ſublimior, quæ ad docentibus prædicantibuſque, veris illis Eccleſiæ propugnatoribus ac defenſoribus, per orationis ac ſeuerioris vitæ præſidia ſuccurrendum fuerit excitata: cùm id ceteris longè ſit perfectius, quod ad id, quod eſt perfectiſſimum, accedit propiùs. Nulla verò monialium habere familia finem ſublimiorem poteſt, quàm ſi propter Eccleſiæ Catholicæ conſeruationem protectionemque, nec non animarum ſalutem procurandam continenter orationi, ieiunio, aliiſq; corporis auſteritatibus vacet. quarum in exercitationum vſu vnum hoc ſpectant, vt & Chriſti fideles ad Chriſtiani nominis & vocationis ſuæ præſcriptum vitam inſtituant, & infideles ad procreatoris ſui cognitionem pertingant; cùm omnium ex ſentẽtia id S. Gregorij dictum ſit veriſſimum, non eſſe animarum zelo Deo holocauſtum acceptius. Vnde & hoc neceſſariò ſequitur, quod inſtituti huius ſectatricibus ſemper inſculptum ſit oportet, numquam ſe, etſi grauiſſimos aſperitatum rigores vſurpent, diutiſſimè precationi vacent, Pſalmorum cantui ſedulò intendant, denique quàm perfectiſſimè exequantur, quæ religioſiſſimas atque optimas agere moniales par eſt, vniuerſas vocationis tamen ſuæ partes, & quæ ab ipſis Deus optimus maximus exigit, adimpleſſe, niſi ſingulari quodam ſtudio & propoſito orationes, ieiunia, & rigores, de quibus meminimus, eum ad ſcopum dirigant, vt in eorum illa prouentum & adiumentum cedant, qui in Eccleſiæ palæſtra nauiter deſudant, & pro Omnipotentis Dei gloria, gregiſque eius vniuerſi incolumitate, ſalute, incremento generosè decertant, in eorum denique, qui totos ſe & impensè ſaluti & procurationi animarum deuouerunt. Hinc quod alijs fortè monialibus facere ſufficeret, hiſce minimè eſt ſatis, & quod ad perfectionem aſſequendam ſufficere aliæ forſitan exiſtimabunt, eo ipſæ contentæ eſſe minimè poſſunt, ſi modò ſummum perfectionis ad apicem pertingere velint; quòd à primario vocationis & religionis ſuæ propoſito ac fine declinarent. Gaudeo quoque non mediocriter hæc à me hoc eſſe loco conſcripta; nam quotieſcumque hoc à quopiam legetur, poſt mortem id ipſe quodammodo inclamabo, vti iam id viuens inclamo. Sibi verò familiæ huius ſectatrices, hæc dum legant, perſuadeant,

Intelligendum hoc de ijs quæ et à ſimul cõtẽplationi vacant, & nõ ſoli prædicationi.

*Hom. 12. in Ezech.*

Ad quid obligẽtur filiæ B. M. Tereſę.

Dei-

Deiparam Virginem Mariam, quæ horum eſt monaſteriorum mater, nec non B. Ioſephum, qui pater, ac B. Matrem Tereſam de Ieſu illorum fundatricem, efflagitare ac deſiderare, vt hæcce in illis doctrina diuulgetur. Sanè ſi illius diligenter ſcripta euoluerint, haud dubiè comperient, quidquid à me hactenus quoad has Religioſas dictum eſt, & pòſt etiam ſuo dicetur loco, aliud non eſſe, quàm quod B. ipſa Mater illis maximè in mandatis dedit. Adeò vt hæc ipſa, de quibus modò agim⁹, poſtquā hanc in rem complura, & ea quidem ſalutaria & perutilia ca. 3. libri de Via ad perfectionem B. Mater attuliſſet, his tandem verbis concludat: *Fixum ac ſtatutum vobis ſit, ſi orationes, vota, corporis caſtigationes, ac ieiunia demum veſtra non eum ad finem, quem dixi, referantur, non facere vos aut adimplere ea, ob quæ hocce vos Dominus in loco congregauit; ipſum verò Dominum per id, quod eſt venerans, precor, ne veſtra hæc ſinat vnquam memoria elabi.*

## CAPVT II.

### *PRIMAM ORDINIS REGVLAM SVO IN monaſterio obſeruari Tereſa iubet: quidnam illa contineatur; & quænam ei ipſa adiunxerit.*

TEreſa igitur, vt ſublimem illum, quem ſpectabat, finem conſequeretur, itaque in via Domini filiæ ſe ſuæ gererent, vt illarum preces magnarum in diuino conſpectu virium eſſent, & magnæ energiæ; decreuit & ſtatuit, vt primigenia illa regula ac forma, quam priſci Patres, qui religioſorum in morem in monte Carmelo viuere primùm incepere, obſeruarunt, in ſuo hoc monaſterio ad vnguem ſeruaretur. Quoniam verò ea illius erat auſteritas & rigor, vt Pontificum eam indultis ad mitiorem redigi formam oportuerit, ideoque à primæuo ea feruore contentioneque permultum degenerarit; viſum ei fuit pretium operæ ſe facturam, ſi priſtinam illam ſeueritatem denuò ad vſum reuocaret, ac de B. Maria Virgine optimè ſe merituram, ſi religionem illam, quæ ipſius eſt ſingillatim nomini ac cultui deuota, ad primum inſtituti vigorem reduceret, talemque in eamdem vitæ duritiem, pietatem, ſanctitatemque poſtliminio inueheret, qualem priſci illi & ſancti Eremitæ maiorum ætate coluerunt. Hanc primùm regulam Patriarcha Hieroſolymorum Albertus in ordinem digeſſit, & ad vſum reuocauit; quam dein Innocentius IV. Pontifex quinto Pontificatus ſui anno confirmauit, correxit, & meliorem in formam redegit, anno à partu Virgineo poſt millenum ducenteſimum duodequadrageſimo, ipſis Kalend. Septembr. Hæc, præter vulgaria illa, quæ omni-

Albert⁹ Patriarcha Hieroſolym. regulam Carmelitarum condidit. Quo ea confirmata ſit anno.



Digitized by Google

omnibus Religioſorum Congregationibus communia ſunt, puta, quemdam è ſuo numero conſtituere, cui omnes pareant, tribus ſolennibus ſe caſtitatis, paupertatis, & obedientiæ votis Deo deuouere, ſtatuto tempore taciturnitatem ac ſilentium ſeruare; in his, quæ ſequuntur, ab alijs inſtitutis peculiariter diſtinguitur: Suis in cubiculis aut non procul inde Fratres in lege Domini die ac nocte meditantor, inque oratione, niſi honeſtis debitiſque diſtineantur exercitijs, aſsiduò vigilanto. A die Exaltatæ cruci ſacro, qui in 14. Septembris diem incurrit, ad vſque ferias Paſchales, ieiunanto; niſi aut morbo aut legitima aliqua occaſione impediantur. Carnem numquam deguſtanto, niſi id morborum exigat violentia. Continuò aliquod manuale opus, cui diligenter incumbant, exercento. Statutum porrò Tereſa ieiunium, & à carne abſtinentiam ad litteram exactiſsimè ſeruari voluit: vti & ſilentium ſummo in rigore iam inde à Completorij officio pridie peracto, vſque dum poſtridie prima recitetur. Ipſum quoque reliquis per diem horis accuratè cuſtodiri volebat, etſi nõ adeò ſtrictè, atq; horis deſignatis; præterquam fortè à prandio & cœna, quo ipſum tempore Præpoſita relaxare poterit, vt per horam ſcilicet moniales honeſtè inuicem recreentur. Præceptum verò de diurna nocturnaque in lege Domini meditatione, ac de exercitio manuum, hoc ipſa ritu ſuis in Congregationibus ſtatuit ſeruari: vt nimirum poſt nonam horam veſpertinam Matutinum officium perſoluatur; quo penſo decurſo, per quartam horæ partem animi quæque ſui latebras, diurnas actiones examinando excutiat, & myſterij poſtera luce meditandi materiam perlegat; ita tamen, vt ad vſque vndecimam, aut circiter hæc omnia extendantur; tum ſigno dato, quæque cubitum concedat. Ineunte vere, hora quinta è ſomno ſurgant, inde ad ſextam vſque meditationi inſiſtant: hibernis verò diebus ſexta lectum deſerant, ad ſeptimam in oratione permaneant. Qua peracta ſtatim ſacrarum penſum horarum perſoluant, antequam ſacro Miſſæ myſterio interſint. Operis verò manualis nomine nullum operoſum aut induſtrium intelligi voluit, ſed ſimplex ac quietum, puta nere, ac ſimilia mulierum exercitia, quibus operantis mens non ita diſtrahatur, quò minùs interim pij aliquid ruminare liberè poſsit. Noluit adhæc vllum monialibus penſum præſtitui, ne dum plus nimio operi intentæ, ac de penſo decurrendo ſollicitæ ſunt, in oratione mens diuagetur alior ſum diſtracta. Nec verò in ergaſterio communi, pro aliarum Monacharum more, ſed in ſuo quaſque operari voluit cubiculo, ne cuipiam hoc pacto ſilentij violandi daretur occaſio, aut mentis ad Deum liberè ſuſtollendæ præriperetur oportunitas. Paulò ante prandium ſignum dari iuſsit ad exacti eatenus diei horas coram Deo examinandas. Hora poſt meridiem ſecũda Veſperarum officium decurri; quibus perſolutis aliquid è libro quopiam ſpirituali coram omnibus ad horã vſq; tertiam legĩ: hoc item tempus, ſi cui ita videatur, orationi poterit impendi.

Carmelitarum regula.

Ieiunium.

Silentium.

Matutinarũ tempus.

Dormiendi hora.

Opus manuum.

Examẽ ante prandium.

Veſperæ.

pendi.

pendi. Inde ad cubiculum vnaquæque ſe conferat, donec Completorij ſignum detur; poſt Completorium horam integram orationi incumbatur. Ipſo etiam recreationis tempore manuali operi intendere ſuas volebat. Tã porrò exactè paupertatem coli volebat, vt nulli, quod apud alias nonnullas Monachas obtinet, vllum prouentum annuum ſineret, ſed omnia eſſe communia præciperet, & cuiq; quod ei opus foret, ſuppeditari, æquè veſtem ac reliqua, quæ ad vſum neceſſariũ requirentur; ne de vlla hoc in genere re ſolicitæ ſint, aut anxiè laborent, vel ſuis à parentibus, notiſq; quid horum exigant: ita namque grauia præcauentur incommoda, atq; ingens tentationibus Satanicis ianua obſtruitur. Nihil verò cuiquam ſeu in victu, ſeu veſtitu præcipuum aut proprium permittebat, ne arcam, non ſcriniolũ quidem: quin imò, ſi quam Superiores alicuius reculæ notarent nimiũ amore teneri, tam libri, quàm cubiculi, vel alterius rei cuiuſpiam, hanc illi ab his auferri. Habitum ipſis præſcripſit paupertati, quam ipſa imprimis adamabat, maximè conſentaneũ, eumque è panno rudi & aſpero, ac natiui laneiq; coloris, nulla tinctura imbuto, cuius manicas voluit eſſe anguſtas, & illas eiuſdem tam infernè quàm supernè latitudinis; illum non ſinuoſum, non rotundum, non antrorſum, quàm retro longiorem, at in talos vſque demiſſum. Scapulare ex eodem conſtare iubet panno, quatuor digitis veſte interiori breuius. Pallium albũ, quod indutæ chorum adibunt, ſimili ſit etiam è panno, & eiuſdem cũ Scapulari longitudinis, quod lignea supernè committat fibula. His omnibus in veſtib. quàm poſſet minimum adhiberi voluit materiæ, quo ſint anguſtiores. Tunicas interiores eſſe voluit laneas leuidenſas, vittas cannabinas, aut è lino ſecundario ac ſpiſſiori, ſine vlla plica, quas nigrum cooperiat ac vile velamen; quod ſolæ geſtent Religioſæ, non verò laicæ aut nouitiæ. Calceamenta è ſparto vult eſſe aut funib. contexta. Lectus non lana ſit, non pluma, ſed palea ſuffultus; ſtragula verò interiora, vti & ceruical, lanea, at ſuperiora, & lodices è panno rudi ac nautico. In veſte aut lecti inſtrumento nihil appareat coloratum, ne minima quidem faſciola. Suffartam pellibus nulla veſtem habeat; at ſi quæ ob neceſſitatem ſuffartã indiguerit, rudiori illam materia farciri permiſit. Denique inſigni cum prudentia, quod in cæteris fœminarum familijs inſtitutum laudabiliter erat, id ipſa accuratè diſpiciebat, atque ex ijs, quod ſuæ commodum videretur, omiſsis communibus, deriuabat. Valliſoleti Diſcalceatarum cœnobium, à B. Virgine de Pietate denominatum, (eſt id Ordinis S. Franciſci, inſigni regularũ obſeruantia ac religione illuſtre) ingreſſa; menſarũ tenuitatem, ſingularem victus frugalitatem ac paupertatẽ, aliaq; ſingularia notauit, atq; in ſuam illa deinde familiam tranſtulit. Principio quidem conſultum videbatur, nullas laicas, aut operum domeſticorum adminiſtras admittere, ſed ſorores ipſas ac Religioſas alternatim culinæ, aliaque domeſtica obire officia; ſed poſtea id viſum mutare, quòd

Habitus.

Lectus.

Menſæ.

Domeſtica officia à ſororib peragẽ non vult.

Excalceatæ nō ſunt ſubditæ ſolis Fratribꝰ ſui Ordinis.

quòd tanto corporis labore ſpiritum diceret obrui ac ſuffocari. Ne id quidem in alijs monialibus viſum imitari, vt ſolis ſui inſtituti Fratribus ſubeſſent, ſolis his illas aut verbo diuino paſcendi, aut in Confeſsione audiendi ius eſſet; quin omnibus loqui, & aures dare ijs conceſsit, quos ad animarum ſuarum regimen directionemque noſſent aptiores, & cum his ipſis de interiorib. rebus ſuis, nulla præſente aut conſcia, liberè conferre. Cenſebat enim ijs, quibus nulla aliunde accederet conſolatio, quæque per orationis ac mortificationis iter, tot offendiculis ac tentationibus obnoxium, aſsiduè incederent, quàm maximè concedi oportere, vt cum illis communicarent viris, quibus ſe totas aperiendo aliquatenus in ſpiritu iuuentur, atque illuſtrentur, ne qua fortè in re Satana illudente decipiantur. Vnde & ſæpenumero ipſis ſuadebat, vt ſemper viros doctos, atque in ſpiritualibus rebus verſatiſsimos conſulerent. Ipſo namque vſu experientiaq; nouerat, quantum ab illorum congreſſu colloquioq; animabus bonum, &, ſecùs ſi fieret, quantum inde diſpendium accederet. Monialium quoque exiguum eſſe ſtatuit numerum, vt hoc maiori inter ſe vnione & caritate iungerentur, minori verò confuſioni paterent: vltra quartumdecimum eum extendi nolebat, comprehenſis ſub eodem etiam tribus laicis & miniſtrantibus. poſtquam verò, vt ſuæ annuo cenſu dotarentur domus, adducta eſt, ne tum quidem vigeſimum excedi voluit, rurſus tres illas adiutrices eodem includendo. Aliarum porrò familiarum moniales ſua recipi vetuit, ne quidem de Carmelitarum Mitigatorum & Gaudentium. Quòd autem hoc permagni referat, & illud ipſe quàm exactiſsimè ſeruari velim, ob multas, quas experientia quotidiana docuit rationes, hoc ipſe loco producam, quod alterius cuiuſdam inſtituti Monachæ, in Excalceatarum admitti poſcenti, Tereſa perſcripſit. Hanc ipſe epiſtolam illius manu penitus exaratam vidi in hæc verba:

Tereſa ſuis permittit, vt cū viris doctis cōferāt.

Religioſarū cur exiguū eſſe vellet numerum.

Ordinum aliorum profeſſas ſuo recipi prohibuit.

*Quoad primarium litterarum tuarum caput tibi morem gerere nullatenus poſſum: quòd in familiam noſtram, me petente, ſtatutum introductum ſit, ne qua ex alio Ordine Monialis ad haſce ſe domos transferat: tanta enim fuit & eſt huc tranſire volentium multitudo, vt, quamquam gauderemus non mediocriter aliquam harum admittere, plurima tamen, quæ hinc ſequerentur incommoda, impediant, quò minus rei huic ianuam aperiam. Quare paucis ſic habeas velim; id fieri penitus non poſſe, & hocce meum tibi in hoc gratificandi deſiderium nonniſi moleſtiam & pœnam mihi gignere.*

Quales Ordini ſuo idoneas B. M. iudicaret.

Id autem ante omnia cautum voluit, vt quotquot in Ordinem cooptarentur, orandi imprimis ſtudio tenerētur, ad ſummā perfectionem aſpirarent mundique contemptum, bonæ eſſent valetudinis, ingenio pollerent, & ſeptimū ac decimum ætatis annum attigiſſent. Si quæ autem prædictis animę ornata eſſet dotibus (quam & præmiſſo examine diligenter vult explorari, accurateque à ſuperioribus inquiri; num eas, quas exigit, dotes habeat)



Digitized by Google

beat) tametſi nullam temporalem adferret, non eam propterea ab Ordine vult excludi; (quod & ipſa numquam non obſeruauit) inque admittendo nullum emolumenti atque opum, ſed ſolius probitatis perſonæque qualitatis iubet intuitum haberi: vt vbique manifeſtum fiat, eius, ad quam voto ſe obſtrinxerunt, amore ſe paupertatis teneri, & ſpem in Dominum conieciſſe, ſemperque præ oculis habere, non opibus ſeſe terrenis, ſed fiducia ac perfectione, & in ſolo Deo ſpe & confidentia ſuſtentari debere. Clauſtrum ſuis eſſe arctiſsimum voluit, & quàm poteſt haberi maximum: adeò vt nonniſi rariſsimè cancellos in allocutorio aperiri, & ſine velo Monachas loqui permittat, & non aliter, quàm vbi Patres, Fratres, aut alij boni exempli, ac ſpirituales ad loquendum acceſſerint; & in hac detectione magis ædificationem ac fructum ſpiritualem, quàm vanam recreationem leuitatemque ſpectari velit. Cum conſanguineis agere ſuas voluit quàm rariſsimè, nec alios ad interuiſendum admitti, quàm quales deſcripſimus: alijs verò, & qui nonniſi confabulandi, deque vanis rebus agendi cauſa accedunt, aditum omnem interdicit. Nouitijs liberam alloquendi quoslibet facit copiam, quò liberè declarent, num placeat, & iuxta animi ſententiam ipſa ſit religio; quæ ſi diſpliceat, quamprimùm egrediendi poteſtatem concedit. Quò verò ab omni humana ſuas conſolatione ac colloquio magis auocabat, eò maiorem ad diuinam familiaritatem comparandam ipſis libertatem indulgebat. Nam præter eximiam, ac magni faciendam illam libertatem, quam ad audiendas Conciones, & noxas aperiendas, & cum viris ſpiritualibus quibuſque communicandum ſuis Beatam Matrem dediſſe nuper diximus, vnde magnum ad animas bonum, & conſolationis præſidium, & maxima verborum diuinorum pabuli abundantia deriuatur; vt taceam quoque liberum mortificationis cùm publicæ, tùm priuatæ, quæ non exigua eſt, vſum, vltra ſingulares auſteritates, tam eas, quæ ſingulis ex inſtituti legibus præſcriptæ ſunt, quàm quæ ab vnaquaque ad libitum frequenter, permiſſu tamen Superioris & Confeſſarij, ſuſcipiuntur; & admirabile illud humilitatis exercitium, dum ſingulis errata ſua hebdomadis in Capitulo palàm enuntiant, in quo altera alteri inſigni cum caritatis argumento auxilio eſt, edicendo etiam ea, quæ ipſæ non commiſerunt (quibus omnibus mirum in modum ſpiritus vigor corroboratur, ac gaudio interno repletur;) non modò ſuis ipſa licentiam & poteſtatem fecit, ſed & præcepto iuſsit, omnibus Dominicis & feſtis diebus, quibus aliqua Saluatoris noſtri Iesv Christi, ac Deiparæ matris recoluntur myſteria, die item BB. Ioſephi & Alberti, feria item quinta in cœna Domini, ſacroſanctas Euchariſtiæ epulas adire, nec non diebus omnibus, quibus prudentis Confeſſarij arbitrium id expedire iudicauerit, accedente tamen pace ac venia ſuperioris. Has omnes ipſa leges digeſsit & decreuit, accepta in hoc per diploma Pij IV. Pontificis, 16. Kalend. Auguſti

Pauperes ſine dote volebat admitti.

Clauſtrum.

Nouitiæ.

Communicationes Diſcalceatis permiſſæ.

Mortificationes & pœnitētiæ.

Binæ culpas ſuas aperiūt; atque ideò, q̄ nihil admiſit, ſe ēt accuſat, quod ambæ ſimul errata communiter aperiant.

Frequentem ſuis cōmunionem indicit.

Pius IV. illi⁹ approbat regulam.

guſti, anno huius ſæculi LV. conceſſum poteſtate: qui Summus Antiſtes cùm per hoc conceſsiſſet, aliquas vt conſtitutiones ac decreta conciperet, eadem pòſt etiam digeſta nihil moratus maximo conſenſu approbauit. Quæ etiam deinde etiamnum ſuperſtite B. Matre, eadem Apoſtolica fuerunt auctoritate Compluti in quodam Patrum Excalceatorum conuentu, in Quadrageſimali ieiunio, anno LXXXI. indicto, per Ioannem de las Cueuas Ordinis S. Dominici, ad hoc ſingillatim negotium à Summo Pontifice delectum, & P. Hieronymum Gratianum à Matre DEI, eorumdem Excalceatorum Prouincialem, ipſoſque Definitores confirmata. Has ipſas ſeptennio pòſt ſanctiones ſingillatim, facta ſingulorum capitibus illarum præfixorum titulorum mentione, ſua probauit auctoritate Reuerendiſsimus Dominus Cæſar Specianus Epiſcopus Nouarienſis, Sixti V. Pontificis Maximi in Hiſpaniam legatus, Madriti 6. Idus Octobris, atque in perpetuum confirmauit; quin & edicto vetuit, ne aut Generalis eiuſdem Ordinis Vicarius, aut eius Conſultores in ijs quidquam vel mutare, reuocare, vel aliquatenus derogare temerè præſumant, & hanc ipſam mutationem, reuocationem, derogationemque irritam fore decreuit. Quam ob cauſam perpetuos harum ſanctionum iudices, conſeruatores, ac protectores eſſe iuſsit Archiepiſcopos Toletanum & Hiſpalenſem, nec non Epiſcopum Abulenſem. Ex dictis hactenus euidenter colligi licet; Primò, quàm hoc ſit inſtitutum ſublime & perfectum; quia religionis alicuius prærogatiuam & perfectionem (vti iam antè dicere memini) in eo ſitam ſanctus Doctor Thomas aſſerit, quòd primò ſublimiorem alijs ſibi ſcopum ac finem præfixum habeat; deinde quòd conſtitutiones ac media ad hunc conſequendum finem conuenientiora in eadem ſint ſtabilita. De finis ſublimitate ac dignitate ſuperiori egimus capite; admirabilis verò mediorum huc tendentium excellentia & congruentia ex ijs, quæ hactenus præſenti ſumus capite proſecuti, erui poteſt. Secundò, hiſce è conſtitutionibus ac legibus, etſi de Beatæ Matris Tereſæ ſanctitate nihil aliud aut hactenus dictum eſſet, aut poſthac dicendum, illius & prudentiam, & admirabilem ſapientiam, & ingenij ſublimitatem, & perfectionis magnitudinem quàm manifeſtiſsimè pateſcere: nam, vt de Sancto Benedicto Gregorius Pontifex aſſerit, qui eius & vitam, & vitæ rationes exactius ſcire voluerit, illius conſtitutiones euoluat, & conſideret; neque enim tam ſancta mulier aliter docere poteſt, quàm vixerat.

Cõfirmatur eadem.

Vicari⁹ Generalis Ordinis regulis nihil derogare poteſt.

B. Tereſæ colligi poteſt ſanctitas & excellentia ex ipſi⁹ conſtitutionib. *Lib. 2. Dial. c. 40.*

CA-

## CAPVT III.

### *MONASTERIVM SVVM NVLLO VVLT stabiliri censu, sed ex oblatis fidelium eleemosynisque viuere.*

AT nondum hic finis est eius, quam suis in monasterijs DEI ancilla Teresa voluit elucere, perfectionis, cùm primaria ad eius complementum pars, paupertas, inquam, deesse videatur: quam adeò seruari ipsa exactam à suis voluit, nulla vt annua in eadem vnquam induci vectigalia, censusasśignari nullos, sed solis piorum subsidijs viuere suas iuberet. Ab initio quidem non ea Beatæ Matris erat mens, vti è verbis illius primo libri huius capite à me allatis clarè patet euenti, quin imò eadem certis dotanda prouentibus censebat, ne qua temporalium suis rerum cura incumberet: donec, cùm Toleti ageret, è colloquio congressuque beatæ illius mulieris, eiusdem secum Ordinis, quæ Complutense Excalceatarum cœnobium fundauit, didicit, si modò primæua Carmelitarum regula institutioque seruaretur, redditibus annuis penitus carendum esse. Hoc quamquam B. Matri mirè probabatur, &, si sui solius dumtaxat habenda fuisset ratio, ita iam tum haud dubiè statuisset: verebatur tamen, ne aut aliter ei peritiores consulerent, aut, si non eadem alijs, quæ sibi dederat, Dominus paupertatis desideria sanctimonialibus fortè inspiraret, in hoc sibi ipsæ statu minimè satisfacientes, longè alia spectarent, ipsaque rerum necessariarum penuria magnæ fieret (vti in cœnobijs nonnullis videre fas fuit) distractionis occasio. Quamobrem, ne in tanti ponderis negotio grauiter erraret, doctiorum virorum & Confessorum suorum consulendo sententiam petijt. Vnanimi quidem omnes consensu permultis ei suadere rationibus sunt conati, quod ipsa spectabat, minimè expedire, ac consentaneum videri: attamen, cùm & ex regulæ præscripto pauperiem obseruandam, ac longè hanc maiorem perfectionem cerneret inuoluere, illorum vt sententiæ accederet, haud facilè à se ipsa impetrare potuit. Quamquam verò interdum illorum cedere rationibus debere videbatur, cùm tamen Redemptorem Iesum sua in cruce inopem & nudum ex altera parte videret, animũ ipsa suum inducere ad stabiles possessiones admittendas non facilè poterat. Hinc ijs aiebat, ad non sequendam vocationẽ suam, & Iesu Christi Domini nostri summa perfectione consilia nõ amplectenda, vlla se Theologię placita sensaq; nolle admittere. Denique, antequam Toleto ipsa abiret, Aloisiã de la Cerda à Piæ memoriæ Petro de Alcantara interuisi contigit. hunc igitur per occasionem B. Mater cùm cõuenisset, & super re, quam agitabat, consuluisset, illius accedente consilio, firmiter cum animo suo statuit census omnes excludere, nulliusque posthac quoad hanc controuersiam sententiam

*Cur Teresa monasteriorum suorum paupertatẽ non planè probaret.*

*Teresa ad redditus admittendos induci non potest.*

*Cõsilio F. Petri de Alcãtara eosdem repudiat.*

tentiam explorare. Cùm deinde quadam vice enixè illam in precibus Deo commendaret, inſignem paſſa raptum, in eodem ab ipſo audijt: *Monaſterium tuum, chariſſima, nullis cenſibus dota: id namque & Patris mei, & mea eſt voluntas, ipſe tibi preſtò futurus ſum.* Aliàs miris paupertatem modis apud ipſam deprædicauit, & magnam certis in prouentibus conſiſtere dixit confuſionem; quin imò nihil illis oportunitatum ad vitam neceſſariarum defore ſpopondit, qui ſibi ſincerè & ex animo ſeruirent. Placuit hæc illi reſponſio, atque adeò ſatisfecit, vt, cùm è corrogata collataque viuere ſtipe iam penitus animo ſederet, omnes iam mundi facultates & theſauros ſibi poſsidere videretur. Quamquam verò iam tota in ſententiam hanc tranſierat, poſtea tamen nonnihil in aliam viſa eſt nutare, etſi nondum prorſus propenderet. Quòd enim non mediocriter metueret, ne, Abulenſibus ſumma opum vi connitentibus, vt inchoata monaſterij molimina euaneſcerent, in ſuum tota rei domeſticæ moles caput prorueret, ſi ex eleemoſynis ſuas viuere oportuiſſet; viſum illi fuit tum quidem vectigal ſtabile admittere, quod deinde rebus compoſitis ac tranquillatis haud difficili negotio abijceret. Nocte autem eius diei, qua tale à ſe pactum ineundum eſſet, cùm iam orationi inſiſteret, apparuit illi Dominus, dicens: *Id pacti genus inire noli, filia: ſi enim ſemel redditus annuos poſſidere cœperis, eos non ita facilè poſt poteris repudiare.* Vt verò de hac Dei voluntate ſecurior ac certior eſſet, eadem ipſa nocte, qui haud ita pridem è viuis exceſſerat, B. Memoriæ Petrus de Alcantara illi ſeſe exhibuit: qui etiam morti iam proximus, comperto quæ tota vrbe iam hoc nomine eſſent turbę, quę commotio, ad ipſam perſcripſerat, & in mandatis ſingillatim dederat, ne vllos quoquo modo cenſus admitteret: hoc enim pacto fore, vt omnibus ex animi ſententia, & prout optabat, rebus confectis, ſuperior tandem euaderet. Ingenti porrò tunc virum ſanctum gloria circumdatum vidit, licèt vultu ad ſeueritatem ac rigorem nonnihil compoſito (quem tamen aliàs, cùm iam aliquoties illi viſus eſſet, non prætulerat) iteratoque ſuadentem audijt, ne redditibus inducendis vllo modo conſentiret: petentemque qui fieret, cur ſibi benè ſuadenti ac conſulenti credere cunctaretur? Hiſce dictis repentè ex oculis euanuit. Poſtera luce Franciſcum Salzedium hac de cauſa adijt, vt quidquid de certa ſtabilienda poſſeſsione agitaretur, ſe diſſuadente penitus concideret: qui etiam piæ Matri morem geſsit. Nec verò hæc antè quieuit, quàm Apoſtolicum obtinuiſſet diploma, quo hæc inops & redditibus deſtituta vita confirmabatur; quibus tandem controuerſiæ huic finis eſt impoſitus. Nec vnas modò, ſed & binas ſuper eadem re impetrauit litteras; quas hiſce oculis vidi. Primas Illuſtriſsimus Rainutius tit. Sancti Angeli Cardinalis deſtinarat, anno Domini M. D. LXII. in quem tertius Pij Quarti Pontificatus annus incidit: quibus, accepta ex ore Pontificis poteſtate, ſanctimonialibus S. Ioſe-

Paupertatē Deus dilaudat.

Impedit Dominus, ne poſſeſſiones admittat.

Petr⁹ de Alcantara B. Matri apparet.

B. Mater duo à Pontifice obtinuit diplomata, quibus vita ſine redditibus cōfirmatur.

S. Ioſephi Abulæ facultatem ſine redditibus, ſed collatitia viuendi ſtipe impertit. Alteras idem Papa, tertio pòſt anno, XVI. Kal. Auguſti conceſſit, quibus & antè datum de conſtruendo monaſterio diploma confirmauit, & de eleemoſynis oblatis viuendi, Epiſcopoque Abulenſi ſeſe ſummittendi copia facta, iiſdem omnibus gaudere iuſſit fauoribus ac priuilegijs, quibus reliquæ eiuſdem Ordinis familiæ gaudent. Aliquot verò pòſt annis mentem mutauit, non ſuo quidem ad id iudicio propendens, ſed virorum doctiſſimorum, atque in rebus ſpiritus verſatiſſimorum, identidem monentium conſilio verbiſque efficaciſſimis, ad hanc mutationem, ac præſertim Dominici Bannezij adducta. Cùm enim ſancta Tridentina Synodus monaſteria cenſibus annuis ſtabiliri expediens & conſentaneum iudicaſſet, ac de ſanctimonialium præſertim congregationibus id intelligi oportere; nefas videri & indignum, ipſam Concilio, quod à Spiritu ſancto directum & illuſtratum erat, plus velle ſapere. Fas etiam credere eſt (tametſi de rei veritate vſque adeò mihi certò non conſtet) ipſummet Redemptorem Chriſtum illi, vt ſeruorum ſuorum conſilijs acquieſceret, in mandatis dediſſe, & hoc ipſam quàm libentiſſimè eſſe amplexam, vt quæ Deo eiuſque miniſtris perquam diligentiſſimè pareret, illorumq; ſententia ac voluntate numquam non ſuam poſteriorem duceret. Non tamen propterea reuelationibus illius, quaſi minùs conſtantibus ſibique inuicem conſentientibus, minor adhibenda fides eſt; quin imò inſignis hic Dei apparet, primū ſic, deinde ſecus ſuadentis prouidētia. Si enim ſuum non ante monaſteriū Tereſa fundaſſet, quàm certus illi fuiſſet in perpetuum cenſus attributus, nulla eius vmquam perficiendi ſpes extitiſſet, quòd ne minima quidem illius habendi ratio affulgeret; & rem hanc antè euulgatā oportuiſſet: qua ſanè iam cognita, tam Prouincialis ſingillatim, quàm vniuerſa ſimul ciuitas totis ei obſtitiſſent viribus. hoc verò non fundato, dē reliquis, quæ facili deinde negotio, non exſpectato, vt cenſus aſſignaretur, fundabantur, fundandis nulla cuipiam penitus ſpes fuiſſet; etenim ſi exſpectato fuiſſet opus, numquam vllum fundatum eſſet; nam, qui annuum redituum vectigal attribueret nullus erat. Adhæc, cùm tot deinde conſtruenda cœnobia eſſent, quia hæc ipſa Deus ad tot animarum magna in iiſdem perfectione ac religione viuentium ſalutem reſeruarat; haud facilè, cùm imbelles mulieres eſſent, tamq; arcto concluſę clauſtro, nullo annuo habito cenſu, cōſtitiſſent, vel ſi fortè conſtitiſſent, à magna illa perfectione & integritate, qua modò vigent, non mediocriter degeneraſſent. Adeò vt illud initio perneceſſariū fuerit, hoc verò ſucceſſu tēporis non minùs viſū ſit expedire. Addo, ex ipſo quoq; vſu manifeſtè ſatis iā patere, tāetſi annuę aſſignatæ ijs ſint poſſeſſiones, eam tamen, quam in ijs deſideres perfectionē, integram & inuiolatam perſtitiſſe, ſimul & inſignem quamdam in ſingulis elucere pauperiem; cùm nullam prorſus ſanctimonialium inuenire ſit, cui aliquid quotannis pen-

Doctiorum conſilio inducta mentem mutat, quoad reditus.

Concilium Tridentinū permittit ſanctimonialibus redditus annuos.

Prouidentia Dei conſulētis primò non viuere de cenſibus, ac deinde eoſdem cōcedentis.

dendum, vti in cœnobijs nonnullis fieri conſueuit, aut pecuniarum quippiam, aut veſtem, imò ne condimenta quidem aut tragemata priuatim poſſidere conceſſum ſit: ſed omnibus neceſſaria abunde ex ijs, quæ domi fuerint, ſuppeditantur, prout cuique expedire ſuperior cenſuerit. Vnde fit, vt nec à parentibus aut conſanguineis dependeant, nec amicitias iniſe cum externis neceſſe ſit, aut familiaritates alienas contrahere, quò ſibi de neceſſarijs proſpiciant. Hæc igitur quam dixi experientia beatam Matrem non parum ad hoc faciendum impulit. Franciſcus ergo Salzedius, cognito monaſterio annuos licere prouentus poſſidere, à morte ſua ex teſtamenti tabulis centum ac triginta frumenti ſextarios, nec non triginta aureos de prato quodam quotãnis deducendos, vti & lignoſas quaſdã mõtis partes ipſi vltrò obtulit. Hos deinde cẽſus ipſemet Dominus adauxit piorũ corda emouẽs, & operi huic adeò ſuo mirabile pòſt incrementum addidit.

## CAPVT IV.

*MONASTERII FVNDATIONE IAM CONSTITVTA, permagnam tum intus, tum foris Tereſa commotionis procellam experitur.*

IAM ad cœptam monaſterij noui fundationem, quam hactenus ſepoſuimus, redeamus. Tereſa itaque gaudio exultare, & ſeſe ipſa præ inſolita mentis lætitia vix capere, viſo & vota ſua, &(quod pluris longè ipſa ducebat) Saluatoris noſtri promiſſa executioni mandata, tum nouum vrbi templum acceſſiſſe, in quod Venerabile Altaris Sacramentum ritè illatum eſſet, & hoc ipſum templum ſuo protectori Ioſepho eſſe dedicatum, à quo nullum aliud Abula nomen traheret: tum verò, quòd quatuor illis puellis orphanis, quæ ſe adeò ſeriò atque vltrò in Saluatoris noſtri brachia fidentes coniecerant, abundè proſpectum iam eſſe perſpiceret. Maximum verò in animo gaudium ſentiebat, diuinam erga ſe miſericordiam conſiderans, quòd ſua eſſet opera & inſtrumento ad opus adeò arduum auſpicandum vti dignatus: hinc ob conſolationem introrſum exundantem ſui velut impos erat, ac profunda quodammodo & alta in oratione continenter verſabatur. Interim autem dum præ lætitia geſtit animus voluptatibus diuinis delibutus, veteranus ille generis humani hoſtis, inuidia ac dolore tumens, tacitus vndequaque occaſionem explorabat, vt, facta ſibi à Deo opt. max. poteſtate, quam poterat vindictam de illa ſumeret, à qua tantam ſibi irrogari iniuriam cernebat. Equidem illum cenſeam (ſi illi ſit modò à ſupremo rerum libratore Deo ad hoc facta poteſtas) ad diuinum tribunal vltrò citroq; commeaſſe ſæpiùs, ſicut feciſſe conſtat, cùm patientem Iob exagitauit, quò ſibi plena in hanc Dei famulam poteſtas

ſtas

ſtas fieret ſæuiendi. Quam igitur illam manere crucem iam antè Dominus prædixerat, paulatim propior accedebat: nam omnibus, quę nuper commemorauimus, iam ex voto abſolutis, poſt tres quatuorve horas plenam Satanæ Deus facultatē illius quoad poſſet ſuis exagitādę artibus dedit. Tanta is ergo cogitationum ingruentium varietate, atque inanium terriculorum turbine mentem occupat, & eam generoſæ virgini afflat triſtitiam, vt, quæ antè lęta adeò & hilaris in Domino exultans plauſerat, iam prorſus alia videretur, ſeque ipſa aduerſus impetum oppugnantis tueri ratione non valeret. Secum igitur reputās metuere cœpit, ne fortè in hac monaſterij noui erectione in debitam Prælato ſuo ac maioribus obedientiam peccarit, ne recèns admiſſæ moniales tantam auſteritatem non ferrent, denique ne neceſſaria alimentorum ipſas deficerent ſubſidia. Deinde cogitare animo inſtitit, quis ad hoc ipſam opus aggrediendum perpuliſſet, cùm ſanctum adeò haberet in quo agebat monaſterium; num ad in tam concluſo reſtrictoque viuendum loco ſibi vires ſufficerent, tam grauibus, quibus indies opprimebatur, morbis afflictæ, quanam ipſa ratione tantam ſubire vitæ auſteritatem & rigorem poſſet. Recurrebat identidem bonam ſe reliquiſſe domum, in qua & cubiculum haberet, & ſocias ad mentem ſuam factas; &, quas in nouo hoc habitura eſſet, non ita fortaſſis ad placitum futuras; adhæc, fortè diabolicum hoc ad animæ qua fruebatur pacem & quietem interturbandam commētum eſſe, qua ſi careret, nullam commodè ipſa poſthac peragere orationem poſſet: quarum duarum rerum ſi iacturam faceret, ſalutis contingere poſſe vt forſitan faceret. Hoſtis ergo cùm ſpiſſas vnico momento animæ tenebras offunderet, tanta ſpiritus caligine opplebatur, vt ad pauxillum luminis admittēdum ne minima quidem patere rima videretur. Ita nāq; omnia, cùm quæ ſibi à Domino quoad monaſterij cōſtructionem dicta erant, quæ item ab eodem promiſſa, tum quæ in horum confirmationem à varijs Dei ſeruis acceperat conſilia, & quæ illi Deus hactenus exhibuerat mirabilia, denique pacem mentis, tranquillitatem ac gaudium, quod antè paulò perſenſerat, & quidquid demum illi opitulari hic poterat, tum obliuioni tradiderat, quaſi nihil horum omnium vel audiſſet, vel percepiſſet. Hoc temporis momento vix vllum ipſa toto vitæ tempore paſſa eſt aut triſtius, aut acerbius, quia hac in deſolatione eius coniecturare videbatur anima, quanta ſe adhuc ærumnarum tempeſtas maneret. Ceterùm per denſam hanc offuſamque caliginem pauxillum illi lucis, radiolumq; ſubtenuem Pater luminū ſuboriri fecit. hoc irradiāte ilicò vidit, quis tantarum ſua eſſet in anima tenebrarum, quis caliginis cauſa, qui mendacibus illis terriculamētis vnum hoc moliebatur, vt panico pauore conſternatam animam à cœptis inſtitutiſq; moliminibus abduceret. hac in luce oculos in ea, quæ antè cogitare cōſueuerat, & in ea, quæ Deo quàm perfectiſſimè ſeruiendi, proque nominis illius gloria patiendi hacte-

Tentatio & obſcuritas ingens mētē B. M. inſedit

Google

hactenus in ſe ſenſerat deſideria, reflexit. His alijſque id genus cogitationibus factum eſt, vt quæcumque animo occurrerent incommoda, quæcumque aduerſa, generoſa mente perfringere, calcandoque intrepidè tranſgredi ſtatueret, quò Deo fieret vicinior. Cumque magnam dein in ſe ipſa contradictionem obluctationemque perſentiſceret, magno eam mentis robore & conſtantia ſuperauit, & coram auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento proſtrata ſupplex, omni ſe ratione enixuram ſpopondit, vt ſibi ad nouum ſuum tranſeundi monaſterium poteſtas fieret, & quidem quàm citiſſimè, vt primùm eius tuta conſcientia perficiendi commoda ſe daret occaſio; ſimul etiam eam, quæ ritè modò obſeruatur, reſtrictionem clauſtrumque ſe ſeruaturam Deo eſt pollicita. Qua ex animo facta ſponſione ingens menti oborta lux eſt, & ſerenitas, & verſutus tenebrarum princeps ilicò ſe ſubduxit, tantumque præcordijs ex ijs quæ fecerat voueratque innatum eſt gaudium, toto vt vitæ tempore ipſum ſit experta.

*Tereſa Deo vouet ad ſuum ſe monaſterium redituram.*

Mox igitur vt in vulgus emanauit, monaſterium hoc perfectum eſſe, ciues pariter omnes in Dei laudes prorupere: ſed breue id fuit gaudium: nã rem omnẽ non multò pòſt cacodæmon inuertit, & primarijs ciuiũ perſuaſit, vt niſi inchoati rebus monaſterij remoram obſtaculumque obijcerent, toti inde ciuitati extrema pernicies & interitꝰ ſequeretur. hinc paſſim indignari ac peruicaciter ſtomachari populus, & ſiniſtris actus rumoribus quaquauerſus tumultuari. Tereſa verò ſecura cùm ageret, vtpote concitationis per opidum motæ penitus inſcia, & pauxillum à prandio capere quietis conſtituiſſet, quòd ſuperiorem noctem inſomnem traxiſſet, multiſque antè diebus ac noctibus nullam ſibi à laboribus quietem indulſiſſet; minimè illi licuit eſſe ſecura, nec ſomnum pacificè carpere. Vt enim in Incarnationis cœnobio, ac reliqua deinceps ciuitate cognitum eſt, quod matutino peractũ erat tẽpore, non exiguus vtrobiq; oriri tumultus cœptus eſt: hinc illam loci Antiſtita quamprimum ad ſe euocauit: Vt Superioris ſuæ iuſſa vidit Tereſa, ilicò deſerens omnia, ad priſtinum cœnobium, vale quatuor ſuis nouitijs, maximo mœrore proſtratis, dicto, redijt. Redemptoris ergo Ieſu & glorioſi illius nutritij Ioſephi ſupplex opem depoſcens, ſibi vt adeſſent, & earum ad gregem breui ſoſpitem ſe reducerent, Vrſulam de Sanctis tantiſper cæteris præfecit. Iam ſe credebat in carcerem compingendam, & miris modis diuexandam: hinc cum magno aduerſa pro Dei nomine patiendi deſiderio abibat, ſimul & gaudens, quòd tam commoda ferendi triſtia ſe modò obtuliſſet occaſio. Vt Præpoſitæ in conſpectum venit, facti rationem ſui apud illam vt potuit reddidit, & placidis eam iam antè commotam verbis nonnihil ſerenauit. In eam autem ambæ venere ſententiam, vt Angelum de Salazar Prouinciæ vniuerſæ Præpoſitum euocandum, & rem omnem ad ipſius arbitrium referendam pariter conſerent, vt quod ipſe re perſpecta ſtatuiſſet, id demum ratum eſſet. Prouincialis vero ad-

*Diabolus excitat motus ob monaſterium.*

*Tereſa pati aduerſa optat.*

adfuit, Tereſam coram ſe ſiſtere iubet, vt apud ſe facti ſui rationem redderet. Referre pòſt ipſa non rarò ſolebat, ſe tum, cùm hoc tribunal adeundum ſibi foret, tãto lætitiæ interioris ſenſu delibutam fuiſſe, quòd aliquid Chriſti cauſa ſibi aduerſi ferendum eſſe cerneret, vix vt à riſu ſibi temperaret, & qua gaudium ac riſum hunc coram iudice atque arbitro hoc ratione diſſimularet, penitus neſciret. Multa quidem & grauia in illam piacula coram Prouinciali Moniales depromebant; quam propterea ipſe acerbiùs perſtrinxit: ſubdebant ipſæ faces increpanti, inſtigando, & delictum aggrauando: ipſa econtrà veniam ſupplex petens, dignis vt in ſe pœnis animaduerterent, ſuggerebat: neu quidquam in ſui defenſionem afferebat, quod firmiter ſecum ipſa ſtatuiſſet nulla ſeſe ratione purgando defendere. Quo viſo Prouincialis edicit, ſuam vt cauſam coram Monialibus omnibus tueretur, ac pro ſe reſponderet. Fecit id ipſa magna animi tranquillitate ac pace (nam hactenus nec minimùm mutata aut turbata fuerat) vt quod deinde obijcerent, neu Prouinciali, neu Monialibus occurreret. Inde omnem illi clariùs rem aperuit, productiſque rationibus adeò ſatisfecit, vt, ciuitate pacata, plenam ſe illi daturum mox ad cœptum redeundi monaſterium ſpoponderit veniam. Iam quidem Incarnationis Monachæ & Carmelitanus Ordo quieſcebat; cæterùm non minus concitata ac turbata omnis erat multitudo, quàm ſi ingens illi derepentè accidiſſet calamitas, cui ilicò toto eſſet conatu occurrendum. Ac præterquam, quòd varia hinc inde in compitis ac triuijs ſpargerentur, & liberè de hoc quiſque negotio paſſim loqueretur; ecce triduo pòſt cùm Vrbis Præfectus, Primores & Rectores, ac nonnulli de Capitulo, tum poſtridie primaria Ordinum Religioſorum capita, Magiſtratus, eruditi, ac reliqua populi multitudo vnum in locum de rei ſumma deliberaturi conuenerunt, quaſi iamiam extrema opido immineret pernicies. hoc in conuentu magna contentione & ardore hoc ſuper negotio, necnon ſumma malorum, quæ hoc è monaſterio in ciuitatem redundatura videbantur, exaggeratione diſceptatum eſt. In eam tandem pariter omnes iuere ſententiam, quòd magnum è domicilij huius fundatione malum ciuitati eſſet ac damnum acceſſurum, ipſum impediendum, & ſublato inde Euchariſtiæ Sacramento, euertendum videri. Nemo non rem hanc cordi habebat, itaque in eam ſeriò incumbebatur, vt niſi Dominicus Bannezius, ex Ordine D. Dominici, S. Theol. Magiſter, & eiuſdem modò in Academia Salmantina Profeſſor primarius, vniuerſis viriliter eſſet obluctatus, quæ in Senatu decreta erant, ilicò opere eſſent executi. qui quamquam auctor & ſuaſor extiterat, ne ſine annuo id monaſterium poſſeſſionum cenſu conderetur; reip. primoribus modò palã dicere non eſt veritus, non eſſe in tãti momenti negotio tam præcipiti vtendum conſilio aut deliberatione, ſed

Tereſæ in patiendo gaudium.

Defendere ſe Tereſa nō vult.

Commotio orta ob monaſterium Abulenſe.

Dominicus Bannezius impedit ne monaſteriū deſtruatur.



Digitized by Google

maturiùs ipſum ponderandum videri: numquam ad hoc ipſum exequendum vllam temporis occaſionem defuturam: adhæc Epiſcopi partes eſſe, de eodē diſceptare, aliaq; in hãc rem complura ea prudentiæ ſignificatione in medium attulit, vt, quod in conuentibus adeò præcipitanter & leuiter decretum erat, quò minùs opere ciues ipſi exequerentur, ſua ſolus ipſe auctoritate impediuerit. Ingens interim toto paſſim opido motionis exoritur procella, & nullo non loco hac de re ſermo pro vario cuiuſque iudicio miſcetur, quo æquè Tereſæ atque omnium quoquo modo huc cooperantium nomina in compitis traducebantur. Ad Incarnationis & Prouincialem varij vltrò citroque commeabant, ſparſos in populum rumores, & quidquid inaudiebant nuntiantes. Satanas quoque ſuis hic partibus minimè defuit, ſed acres vndiquaque faces miſcebat & incendia, ne quoquo modo res componeretur, quin potius quam iam concitarat in populo, procella indies increſceret & validiùs ingrueret. Ipſa interim Mater minimè ad inſtar Ionæ in carina nauis dormitabat ſegneſcens, ſed ex intimis cordis penetralibus ad Dominum clamabat, tantaque animi etiam tranquillitate perfruebatur, etſi quæcumque dicerentur pernoſſet, perinde ac ſi nihil penitus diceretur. Indicio ſit, quòd poſtridie quàm illa ciuium conuenticula indicta eſſent, ad Guiomaram de Vlloa, Tauri tum agentem, rem omnem, quæ per vrbem agitabatur, perſcripſit, ac tum, cùm de opere demoliendo conſentiens omnium Abulenſium erat ſermo, illi in mandatis dedit, ſibi vt ſacris dicundis librum deſtinatum, & campanulam, qua opus inprimis habebat, mitteret. Recurrebat nihilominus identidem tentator, ipſamque miris torquebat modis, ſimul etiam occaſionem ingerebat metuendi, ne cœptum tandem opus euerteretur. Quadam igitur vice hancce ob rem contriſtatæ & afflictæ Redemptor Ieſus, qui ſemper ad conſolandum illi erat proximus, apparens ait: *An omnipotentem me eſſe ignoras? quid igitur metuis? vt certiſſimum habeto, numquam hoc monaſterium diſſoluendum, quæ tibi ſum pollicitus, reipſâ præſtabo.* Interim ciues ac magiſtratus, quibus hæc adeò res cordi erat, omni in eam contentione ferebantur. Præfectus quoque loci, viſo neminem omnino ſeſe opponere, & iam rem confectam & perfectam eſſe ratus, ad neomonaſterium abit, ac quatuor illis Religioſis edicit, ilicò vt foras prodirent; ſin minùs, oſtia ſe violenter perrupturum. Illæ inſigni mentis cum conſtantia reſpondent, non dubitare ſe, quin qui ipſas hoc loco collocarat, cùm neceſſe & opportunum fuerit, etiam ediceret, vt egrederentur: nihil illi ſecum eſſe negotij, nec ad forum eius ſe ſpectare, cùm ſuum ipſæ Præſulem & Superiorem haberent. His auditis, cùm Præfectus moderatiùs ſe geſſit, tum nemo aſſeclarum eius intemperantiùs quid auſus fuit moliri; ſed omnes re infecta, vnde venerant, abiere. Viſum illis ergo longè

Tereſæ tranquillitas in turbata ciuitate.

Promittit illi Dominus monaſterium nõ diſſoluendũ.

fore

fore ſatius violentia abſtinere, & omnem iure rem proſequi. hinc ſtatim in vtramque partem varia interrogata & reſponſa deprompta ſunt. Præfectus & Magiſtratus quòd actionem mouebant; hinc nullus omnino in ciuitate vel cauſidicorum vel ſcribarum repertus eſt, qui Tereſæ negotium tueri ac patrocinari vellet. Quocirca P. Iulianus ab Auila, Mariæ de ſancto Ioſepho frater, Præfecto vrbis ſupplicem offerre libellum, aliaque iudiciorum propria actitare coactus fuit. quòd enim Clericus eſſet ac Dei honoris ſtudioſus, ac neminem metueret, vltrò citroque cum litteris reſponſiſque ad Incarnationis commeabat, & eius opera induſtriaque ſuam Tereſa cauſam propugnabat. hinc eum interdum cauſidici, interdum tabellionis ſuſtinere perſonam oportebat. Monaſterij verò nomine ad Regium fuit tribunal appellatum, à quo, in fauorem monialium, miſſus eſt Abulam Commiſſarius, qui in negotium ſedulò accurateque inquireret. Non defuit ſuo hic vtraque pars officio; nam cùm in rem monaſterij, tum etiam aduerſus eam multa vtrimque ſcripta ſunt & examinata. Iam cœpta plena & formata lis erat: iam ſuo in curiam nomine actores reſpublica deſtinarat, quales & ſuo monaſterium mittere oportebat, niſi cauſa cadere vellet. Sed nemo eodem eius voluit nomine proficiſci, & , quod actoribus perſolueretur, deerat argentum: quare quò ſe verteret, Tereſa neſciebat. Accedebat ad hoc, quòd, abſente Prouinciali, ſummum illi quoad hoc negotium Antiſtita ſilentium ac quietem indixiſſet. Vndique ergo anguſtijs oppreſſa (quòd Superioris ſui reluctari præcepto nollet) ad ſolitum ſuum rebus in afflictis aſylum, Deum videlicet confugit, & ait: *Non mea hæc, Domine, domus eſt, ſed tui vnius in gratiam condita: quamobrem, cùm iam eius nemo tutelam protectionemq; ſuſcipiat, tuum eſt abſolutum illius patronum defenſoremq; agere.* Quo dicto tanta mentem illius oppleuit lætitia, tanta conſolatio, quaſi à ſe omnes omnino mortales ſtetiſſent, & rem, vt planè & ex animi confectam ſententia, habuit.

Lis intentata ob monaſterium.

## CAPVT V.

***QVAM DIVTVRNA ILLA FVERIT CONTRADICTIO. Tereſa ad nouum venit monaſterium: turbæ componuntur, & mirifice omnes erga domum hanc affici incipiunt.***

VIx dies aliquot interceſſerant, quin ad oculum omnibus pateret, quanti ſtabilis in Deum fiducia ac ſpes eſſent ponderis:



Digitized by Google

ſtatim namque pij aliquot viri rem cordi habere ac promouere cœperunt; quos inter fuit Magiſter Daça, Franciſcus Salzedius, Conſaluus Aranda, magnæ ſacerdos apud Abulenſes & alios quoslibet ob eximium virtutum ſtudium auctoritatis ac nominis. Non minori hi in rem conatu ac contentione incubuerunt, quàm ſi propriam actitaſſent, quòd hanc Dei eſſe cauſam cernerent: Aranda etiam Madritum ad curiam Tereſæ nomine eſt profectus. Iam frequentiſſimus denuo Abulæ conuentus Optimatum ac ciuium celebrabatur, cui etiam Daça ab Epiſcopo delegatus interfuit. hic ille omnibus monaſterium euertendum diſſoluendumque cenſentibus intrepidè ſe ſolus oppoſuit, & tum quidem, id ne fieret, inſigni ſua prudentia impediuit: ſed pòſt rurſus omnes quo poterant conatu ac ſtudio in illius demolitionem incubuere. Semeſtre circiter hæc tenuit exagitationis tempeſtas, qua durante illam haud dubiè beata Mater portauit crucem, quam humeris illius impendere iam antè Dominus prædixerat: à qua nec illi immunes fuere ſerui DEI, qui nauos rei inchoatæ defenſores ac patronos ſeſe præbebant. Vt non dicere immeritò beata Mater poſſet (quod pòſt ipſa mihi modicè ſubridendo, de hac re ſermo cùm incidiſſet, ait) voluiſſe ſe initio, vt die Apoſtolo Bartholomæo ſacro hocce monaſterium fundaretur, vt ſe ille protegeret, & à maligno ſpiritu tueretur: omnes namque omnino, tartaro laxato, ad ſeſe exagitandam cacodæmonas emiſſos videri.

*Inſignis cōtra monaſteriū perſecutio exoritur.*

Quam autem interim quatuor illæ tirunculæ vitæ rationem inirent, hæc fuit: Antiſtiti Abulenſi beata Tereſa monaſterium hoc, vti & pijs illis viris) qui negotium illius agebant, commendarat. ſuis hi minimè partibus defuere, dum ancillis Chriſti de ſacrificante, ac Sacramenta miniſtrante proſpiciunt, nec raró ipſas illimet interuiſunt, atque vt in inchoatæ vitæ ratione pergerent, verbis ardentiſſimis animos addunt. Daça præſertim, cui ad id ſuas ſingillatim Epiſcopus vices delegarat, vtque ſedulò rem hanc curaret, iniunxerat, in ſpiritualibus ad ipſas exhortationibus habendis, orationiſque ac vitæ totius ratione à ſingulis exigenda erat aſſiduus & nauus. Errata palam ipſæ inuicem enuntiabant, in quo etiam alteri altera magna amoris ſignificatione auxilio erat. Huic quoque pœnitentias ac mortificationes corporis indicenti omnes quàm exactiſſimè morem gerebant. In choro Officium beatæ Mariæ Virginis dumtaxat decurrebant, quòd maiores Breuiarij horas ex Ordinis præſcripto recitandi rationem à quo ediſcerent, non haberent, nec antè eas vſurpare cœperint, quàm ad ipſas ſe Tereſa poſtea referret.

*Primarum nouitiarum viuendi ratio.*

Interea horrenda illa tempeſtas aſſiduis B. Tereſæ eiuſque filiarum orationibus ac pijs exercitijs diſpulſa paulatim deſæuire quidē cœpit: ſed, ecce, aliunde inopinus quidam turbo inſurrexit, qui aliquam malaciam ſpon-

Digitized by Google

ſpondere videbatur, ſed quæ nondum penitus detumuerant vndæ, nec ſubſiderant, rurſus illo flante attolli præter opinionem atque inflari cœpere. Nam vir quidam pius bono impulſus zelo ſuaſit, vt eruditorum arbitrio res omnis committeretur, vt, quod illi arbitrati eſſent arbitrium, eo partes ſtarent. Hæc optima quidem diſsidij componendi ratio videbatur, & nonnullis etiam B. Matris defenſoribus ac patronis probabatur: ſed eam ipſa penitus improbabat, quòd vniuerſam propè ſibi vrbem aduerſari non ignoraret; quare maximis eam conniti viribus oportuit, vt hæcce arbitratio reſcinderetur. Eodem porrò tempore Abulam, Deo dirigente, venit Petrus Ioannezius, quem ob præſentem dumtaxat neceſsitatem tum potiſſimum Abulam duxiſſe diuina prouidentia videbatur, quòd nulla eum Abulam negotia vocarent. hic tamdiu ibidem eſt commoratus, quamdiu ad multorum componendos animos opus eſſe videbatur; &, quòd auctoritate cùm ob litterarum eruditionem, tum ſanctimoniam vitæ comparatę apud pleroſque ciuium valeret, multos in ſuam facilè ſententiam pertraxit. Abula verò cùm receſsiſſet, qua potuit ratione (ac præſertim Epiſcopi Mendozij, quem quatuor illæ tirunculæ totis ad huius cauſæ promotionem viribus incitabant, operâ) apud Prouincialem Carmelitarum egit, vt Tereſæ de IESV copiam ad nouum S. Ioſephi monaſterium tranſeundi, ſuaſque edocendi regendique filias in Chriſto genitas faceret. Is quidem tum rerum erat ſtatus, vt hæc tam citò impetrari facultas penitus non poſſe videretur: tandem tamen votorum ipſa compos facta eſt. Ergo anno ſæculi huius ſexageſimo & tertio ſub medium ſolennium Quadrageſimæ ieiuniorum tempus, gaudio & lætitia exultans, facultate ac benedictione à Superioribus accepta, ad nouas filias ſuas illius continenter aduentum precibus à ſummo efflagitantes numine tranſijt; à quibus proinde maxima geſtientis animi ſignificatione fuit excepta, vti frequentibus antè erat lacrymis ac ſuſpirijs expetita. Factâ illi inſuper poteſtate aliquas ex Incarnationis cœnobio Moniales ſecum ducendi, ducem ſecutæ ſunt Anna de S. Ioanne, Anna ab Angelis, Maria Iſabella, & Iſabella demum de S. Paulo B. Matris conſobrina, quæ quidem ad annos aliquot in Incarnationis commorata ſacrum iam habitum ibidem aſſumpſerat, ſed ſolennia nuncupare diſtulerat vota, quò eadem in S. Ioſephi, Tereſam ſecuta, conciperet. Ex hiſce vnam in cęterarum delegit caput ac Præpoſitam, Annam de Sancto Ioanne, (quòd id ipſa onus à ſeſe excuteret) illius verò Vicariam Annam ab Angelis conſtituit. Verùm Antiſtes æquum eſſe ratus illam alijs præeſſe, quæ omnium reapſe mater erat, ac magiſtra, Tereſæ munus id concredidit, tametſi longè illi foret ſubeſſe & parere acceptius, quàm præeſſe. quocirca ne Superiorum aduerſari iuſsis videretur, regendi eam partes accipere oportuit. Peramanter & beneuolè quidem à ſuis B. Mater fuit monialibus excepta, multò tamen eam amiciùs & benigniùs cœleſtis ſponſus habuit, à

B. Mater obtinet facultatē ad ſuum tranſeundi monaſteriū.

Tereſa eſſe Prępoſita detrectat, ſed Annæ de S. Ioanne id munus concredidit.

Antiſtes Tereſam Præpoſitam cōſtituit.

Domin' Tereſæ coronã imponit.

quo ſe, cùm extra ſenſus raperetur, ea ipſa die inſigni cum gratulatione excipi, & pretioſiſsimo diademate redimiri conſpexit; qui illi imméſas etiam viſus eſt gratias agere, quòd ſuę eſſet matri hoc in opere tantos per labores gratificata. Alia etiam die, cùm, Completorij officio perſoluto, Dei famulæ omnes in choro precibus inſiſterent, Deiparam vidit matrem miro ſplendore nitentem, & gloria, candidoq; amictam pallio, quo cunctas ex ordine moniales viſa eſt complecti ac protegere. Eodem quoq; tempore Deo reuelante cognouit, ad quàm celſum gloriæ gradum monaſterij illius ſanctimoniales eſſent euehendæ.

B. Virgo Religioſas in ſuam protectionem accipit.

Erga ipſum porrò haud ita mox vniuerſa mirè affici ciuitas cœpit, & illius paulatim ſectatrices numero augeri: Deo namq; corda tangente, ita repente omnium mutata voluntas, vt quos antè acerrimos expertę erant aduerſarios, iam beneuolentiſsimos experirentur fautores, ac munificentiſſimos adiutores, & iã laudarent & deprædicarent, quod ante vellicaſſent. Paulatim quoq; à litigando diſceptandoq; ceſſatum eſt, cùm iam nemo nõ euidens eſſe diceret, opus hoc à Deo proficiſci, vt quod, nequidquam frendentibus & obluctantibus aduerſarijs, quotidianis ſemper incrementis medias per aduerſitatum procellas auxiſſet. Nec verò pòſt ardens hic affectus refrixit, cùm longè ſecùs ſe rem habere optimus quiſque perſpiceret, quàm ſibi principio perſuaſerat: viſo pręſertim, quæ quantaq; ab hoc monaſterio bona profluxerint, quantumq; illud diuini nominis gloriam atque honorem promouerit. Et ſanè ea illius hactenus fuerunt incrementa, vt nouena fermè abhinc ſexennio aureorum in chori, ſacellorum lateralium ac dom' fabricam, nullo tamen inde à domeſticis ære alieno contracto, inſumpta ſint millia. Vnde manifeſtè patet, diuinarum id manuum opus eſſe, & reipſa iam Deum oſtendere, quod antè B. Matri perobſcurè dixerat, *Ingredere, prout potes: videbis enim, quænam ipſe facturus ſim.*

Dominici Bannezij elogium.

Omni eo, quo in S. Ioſephi B. Mater eſt commorata tempore, quinquẽnio ſcil. (vt ſuo infrà ſignificabo loco) cum Dominico Bannezio, S. Theologiæ Magiſtro, perfrequenter egit, dum nimirum non eruditionem modò ac doctrinam (quo ille, ob doctiſsimos in lucem editos libros, nomine & hactenus claruit, & poſthac clarebit) ſed & inſignem diſcretioné, ac prudentiam, necnon eximium pietatis ac religionis ſpiritum cœlitus illi cerneret communicata. Ex illius ipſa directione ac gubernatione tota pendebat, ſuaque cum illo cùm exteriora domus, tum interiora mentis negotia integrè communicabat; vnde non vulgarem & ſibi & ſuis frugem ipſa cepit. Turbis ergo compoſitis extemplò varias ad hocce cœnobium cogere virgines Redemptor inſtituit, quæ B. Matri in opere hoc Dominico auxiliares manus attulere: inter quas facilè fuit princeps Maria Ocampia, B. Tereſæ patruelis, quæ miram ſuo huc ingreſſu (incidit is in diem, quo S. Ioannes ante portam Latinam oleo iniectus colitur, ſeſquianno circiter à cõdito

dito

dito monaſterio) notis omnibus & pietatem & ſtuporem mouit. Quã illa huc contulit dotem, eâ & debitum quoddam annuum, quod iam monaſterium cõtraxerat, diſſolutum eſt, & ſolitarias quaſdam Tereſa conſtrui iuſſit receptaculorum cellulas, in quibus collecta in ſe mẽte orationi monIales vacarent quietiùs. his eas appingi iuſsit imagines, quæ in intuentib. pios animorum excitarent motus; nec aliud ab illius patre argentum, quàm hũc in vſum poſtulauit. Proximè ſequente Septembri alia Tereſę patruelis loco huic nomen dedit, Maria de Auila, Alfonſi Aluarij de Auila (qui quòd generis claritatem virtutum ſplendore & ornamentis magis nobilitaret, Sancti cognomẽtum inuenit) filia. Venit illa quaſi de mundo proculcato triumphum agens, egregiè ornata, byſſo auroq; operta, & quibuſlibet elegãtijs condecorata, vniuerſa nobiliũ ac procerum ſtipante caterua (quòd primarios ciuitatis ſanguinis neceſsitudine attingeret) hos illa omnes inuſitato ſtupore compleuit, quòd vnica paternarum eſſet opum hæres (vtpote proles vnica) & haud ita multò antè tam de ſe ſublimia præſumpſiſſet, vt quæcumq; illi offerrentur matrimonia, vt ſe indigna reijceret. Hanc non ita pridem in manu potenti & valida Dominus tetigerat: hinc, cùm multos in mentis afflictione & lacrymis anxia hæſiſſet dies, cum vocante Deo luctata, & hinc ille ipſam ad Religionis quietem ſeuocaret, & huic ipſa illinc obniteretur trahenti, tandem ſe victam faſſa victas manus dedit, & monaſticen profiteri decreuit. Ac tum quidem tantã ipſa in animo experta quietem & tranquillitatem eſt, perinde ac ſi tota vita hoc ipſa votum deſiderimque habuiſſet. Principio grauiſsimas quidem variorum aduerſitates, & oblocutionum obtrectationes paſſa eſt, ſed eam mentis prætulit virgo generoſitatem, vt ipſę etiam aduerſantium calumniæ voluptatem illi ac gaudium cauſarentur. Non lõgo poſt admiſsionem temporis interuallo publicè in templum producta eſt, omnibus mundum redolentibus veſtibus depoſitis, ac vili ſpiſſoq; panno, quæ antè byſſo auroq; radianti fulgere ſolebat, induta, & S. Hieronymi cognomine patrij ac gentilicij loco donata. Quo illa ſchemate nonnullos ad pietatem, alios ad commiſerationem ſui excitauit, eam iam pauperem conſpicatos & humilem, quam paulò antè comptam ornatamque conſpexerant. Hæc vti Deo ſeſe ex animo deuouit, ita & quidquid poſsidebat, illi quàm libentiſsimè detulit: cuius argento ſacello cuidam annuus attributus eſt redditus, & templi ſunt limites dilatati. Multis illa deinde annis monaſterio huic cum poteſtate præfuit, & etiamnum preeſt. Per idem quoque tempus eidem cœnobio annumerata eſt Mater Iſabella de S. Dominico, de qua ſuus erit poſtea loquendi locus, vt quæ ad Ordinis incrementum dein mirificè profuit: nec non aliæ complures, quarum domus hæc acceſsione paulatim cœpit adimpleri.

CA-

# CAPVT VI.

## *QVID IN SVO B. MATER EGERIT MONAſterio: quæ aliorum ab ipſa pòſt fundandorum monaſteriorum fuerit occaſio. ad hoc ampliſſimas ipſa ab Ordinis Vicario Generali litteras accipit.*

QVæ ſcripta ſunt à me hactenus, eius commentarium quodammodo dicas libri, quo ſuam B. Mater eſt vitam ex parte complexa; quibus equidem plurima, ab ipſa ibi ſtudio & data opera ſuppreſſa, euulgaui. Idipſum iam deinceps ſum in libro, quo ſuorum ipſa domiciliorum fundationes comprehendit, facturus. Iam B. Tereſa in tenui ſuo, ſi ſæculi rationibus rem libres, pauperculoque, ſed magno coram Deo, ac donis cœleſtibus opulento monaſterio, incredibili pace, & animi tranquillitate perfruens, agebat. Nam tempeſtatibus illis ſuperioribus compoſitis, Beatæ Matri, vt pauliſper requieſceret, clemens Deus indulſerat; quin ipſas Ieruſalem filias animæ eius dilectus adiurarat, ne eam antè excitarent, aut placidum illius ſomnum interturbarent, quàm ipſamet vellet. Iam quoque ſibi maximæ in voluptatis agere paradiſo videbatur, & ſanctas illas animas, inter quas verſabatur, vt Angelos quoſdam ſuſpiciebat. Nec verò id mirum erat ipſam ſentire, cùm ipſemet Dominus illi in oratione verſanti, hanc ſibi eſſe domum paradiſum quemdam voluptatis, dicere non dubitarit. Iam tredecim vniuerſum erant (quem ipſa numerum cupiebat) & quidem ſanctimoniales in choro cantantes; nondum enim ea tempeſtate adminiſtrarum adlegendarum vſus increbuerat. Et licèt inopia premerentur, ſtipem non corrogabant, ſed non petentibus vltrò de omnibus neceſſarijs Dominus proſpiciebat. quæ ſi interdum tamen deeſſe contingebat, tum demùm beatiſsimas ſeſe atque optimè ſecum agi putabant. tam parùm enim omnes de temporalibus rebus laborabant, vt ne ipſa vmquam B. Mater, etſi Præpoſita, & cui ex officio hæc curare incumbebat, de his animo ſolicita eſſet. Sed orationis omnes ad vnam ſtudio tenebantur, cui quò quietiùs vacarent, latebras & ſolitudinem ſectabantur. Compellationes, tametſi à conſanguineis intimiſq; factæ, graues ipſis accidebant & moleſtæ. Vigebat mira in ſingulis parentia, mundiq; deſpectus, ſimul & ſanctæ paupertatis ſtudium & amor. In illud verò tota cogitatione ferebantur, vt, quænam Deo magis ac perfectiùs placendi eſſet ratio, adinuenirent. Noua etiam quotidie B. Matris anima à dilecto chariſmata, ac fauores incredibiles de cœlo accipiebat, & quotidianis incrementis proficiebat in melius. vnde fiebat, vt & illius ſodales, obuijs ac frequentibus illius cùm exem-

*Primarũ B. Matris filiarũ perfectio.*

Digitized by Google

exemplis, tum ſermonibus, & congreſſu aſsiduo animatæ, diuino paulatim amore vehementiùs inardeſcerent, & excelſa Dei cauſa opera aggredi inſigni mentis promptitudine deſiderarent, quòd ſuis ipſa dux ac magiſtra in omnibus ſemper antecederet, adinſtar aquilæ prouocantis ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitantis, vt volantem ſequantur matrem. Verarum ſolidarumque ipſas virtutum exercitio aſsiduè iubebat inſiſtere; è quibus quantus animabus fructus accederet, quanta commoda quotidie, nemo non videbat. Illarum hic aliqua ſpecimina producam. Contigit in menſa ante Beatam Matrem cucumerem paruulum, atque introrſum putredine ſcatentem apponi. huncque ipſa, euocata ad ſe ex omnibus illa, quę reliquis ingenij dexteritate excellere videbatur, maioribuſque animi iuxtà ac corporis dotibus donata erat, Matre Maria à Sancto Baptiſta, cuius diſsimulanter facere periculum obedientiæ volebat, in exiguo illo, quem domi habebant, horto terræ inſeri iubet. Maria nihil cunctata, iuſſumque vlteriùs non examinans, petit, erectumne, an verò in latus iacentem telluri cucumerem committeret? Tereſa iacentem ſeri iubente, illicò ipſa hortum adit, mandata factura, nequaquam ſecum ipſa diſceptans, anteane ſiccandum illius, nec ne foret ſemen; ſed cœca obedientia in mandatum ruens. Ab ea ſe autem ait dubitatione adeò tum remotam fuiſſe, vt etiamnum hodie eadem animi ſit ſimplicitate, itaque ſibi fieri debere perſuadeat. Alteri cuipiam ſex ſeptemve vno ſimul tempore peragenda imperabat, & talia quidem imperia, quorum vnius executio alterius impediebat: hæc tamen ipſa, ne verbo quidem ſecùs ſentiens, gratanter admittebat, ſe omnibus rata, cùm à ſuperiore eadem iniungerentur, haud difficulter poſſe ſimul ſatisfacere. Si verò ſingillatim omnes primarum illarum, imò etiã earum, quæ hodie ibidem degunt, monialium dicendo perſequi virtutes vellem, nouum de illis ſolis concinnare volumen opus foret. Vnum tamen penitus admirabile nefas fuerit ſilendo prætermittere, quod B. Matri per idem tempus contigit, in quo & ſuam alicuius è filiabus fides etiam laudis partem habeat neceſſe eſt. Coemerant moniales non ita pridem aream quamdam domui ſuæ vicinam. habebat hæc puteum altiſsimum, ſed hic aquam adeò inſipidam ac putiſcentem, vt ne ipſis quidem aquandis ſufficeret animalibus. Hanc per occultos ac ſubterraneos tuberum meatus in quamdam monaſterij areolam deriuare B. Mater volebat, eam rata, ſi profluens fieret, potabilem reddi poſſe: ſed quoniam maxima putei erat altitudo, fieri non poſſe videbatur, vt in aream hæc deriuaretur. Aduocat ergo aquileges, alioſque rei aquariæ peritos; quibus inſanire, & argentum profundere caſſo labore velle viſa, quod tamen illi tum quidem nimis erat quàm exiguum. Suas deinde in concilium adhibet: quarum vna, Maria ſcilicet illa à S. Ioanne Baptiſta nomen ſortita, tentandam foſsionem ſuaſit. hoc illa conſilium hac, quam viua efficaxque in Deum fiducia ſuggeſsit,

*Deut.* 32.

Religioſæ cuiuſdam ſimplicitas.

Obedientia ſingularis.

ratione conſtabiliuit: Virum, inquit, Dominus nobis dabit, qui aquam aliunde afferendo nobis procuret, ſimul etiam cibum, quo eum alamus; igitur viliori pretio domi eam noſtræ daret, vnde mihi vero fit ſimile, hanc ipſum nobis non denegaturum. Ratio hæc, quæ ſapientibus & prudentibus ſæculi huius riſum fortaſſe moueat, ita B. Matri ſatisfecit, vtpotè fiducia plenę, & altioribus quàm ſoleat mundus, res omnes rationibus libranti; vt eam extemplò & approbarit, & executioni mandari præceperit, renitente licèt peritiſsimo aquilege, qui tum fortè aderat, & fruſtra rem hanc ſuſcipi afferente; tum quòd aqua planè deſiperet, tum quòd poſt ſumptum omnem ac ſudorem, nonniſi tenuiſsimâ in monaſterium venulâ per meatus illos tubales fluxura videretur. Aquæductum igitur effodi Tereſa pręcipit, nec fefellit euentus; nam per meatum hunc tam ſapida decurrit vnda, vt qui guſtarent, fontanæ nihil eam aſſererent concedere; & guſtatam in potum adhiberent. Ipſe etiam, qui puteum antè viderat Antiſtes Mendozius, aquæductum hic parari potuiſſe ſummopere miratus, multos eamdem guſtaturos ſecum huc adduxit, rei prodigioſæ teſtes futuros. Hæc inde aqua fons Mariæ de S. Ioanne Baptiſta dici cœptus eſt, & octennio eoq; amplius potum monialibus dedit, quamdiu ſcilicet is neceſſarius videbatur, qui deinde etiam non ſine prodigio fluere deſijt. Cùm enim tum limpidiſsimum in horti irrigationẽ à ciuitate ipſa puteum obtinuiſſent (quòd prior ductus nonniſi in poſtica domus area prorumperet) hæc aquam dare vena ceſſauit. Aequum enim erat ceſſare prodigia, cùm naturæ opera ſufficerent. etſi enim hactenus numquam planè defecerit, ab illo tamen tempore præſentem vſque in diem nonniſi ſubtiliſsima fluit venula; quod peritorum antè fuerat iudicium, plus deduci per venam poſſe negantium. Eiſdem diebus aliud accidit, quod pleriſque etiam prodigij ſimile viſum eſt. Ingentes domus inchoatæ erant anguſtiæ, eiuſque dilatandę nulla ſuppetebat, niſi fortè vicinis coemptis ædibus, ratio. at illas dominus nullo dicebat ære ſe viuo redimibiles, nec inde ſe niſi mortuum emigraturum. adeò ſcilicet caram domum ſuam habebat, quòd amœnus eam hortus recrearet, quem occultus quidam aquæductus irrigabat, quam è ponte foſſarum ciuitatis, nemine prorſus à tot annis conſcio, deriuabat. At poſtquam de domo diuendenda cum ipſo agi cœptum eſt, res tandem patuit. quare vena aquæ à republica interciſa, omne illius erga hortum ſtudium & amor refrixit: neque enim aliter eum, quàm hoc aquæ meatu irriguum facere poterat. Inde & domus illum capere cœpit nauſea, vt monaſterio eam venundare iam graue non duceret. huius acceſsione illius ampliata ac producta ſunt pomeria.

Religioſarũ fides.

Aquam bonam è putido puteo elicit.

Nullum vmquam hoc Tereſa tempus quietius, nullos experta dies eſt tranquilliores: vt quæ iam reipſa & vſu experiebatur, quàm à diabolo afflati, & menti obiecti pauores, quibus in perangusta illa domo optata perfrui

Vani timores à diabolo ſuggeſti.

Digitized by Google

frui quiete ſe nõ poſſe videbatur, vtpote, quibus in alio monaſterio aſſueuerat ſodalibus, iam carens, inanes & mendaces eſſent. Et iam demum peruidebat, quantam quietis ſuæ feciſſet iacturam, ſi aures inuido præbuiſſet tentatori, & quàm ſe præſenti exponant periculo, qui hiſce timoribus cõſternati, & arma abijcientes, animum deſpondent. Sed animi magnitudo, & quod in corde eius æſtuabat diuini amoris incendium, nullam ipſi quietę quietem indulgebant. Ingens namque animarum quoquo modo iuuandarum deſiderium ac zelus continenter ad alia atque alia piam illius mentem exſtimulabat. Plura quidem, quæ hanc in cauſam ageret, non habebat; non tamen propterea maiora ſemper animo agitare ac moliri identidem ceſſabat. Cùm enim tam eximias in filiabus ſuis virtutes, & generoſitatem non vulgarem perſpiceret, ſibi non poterat non perſuadere, quin ob maius aliquod bonum ac commodum tantis cœlitus illæ chariſmatibus donarentur. Se quoq; ipſa eſſe viri dicebat perſimilem ingentem poſsidentis theſaurum, & in omnes eumdem diſpertiri optantis, ſed cui arctè colligatę ſint manus, ne cui ipſum communicet. Quocirca cùm aliud non poſſet, ad hoc ſaltem pia ipſam rapuere deſideria, vt continentes pro incremento augmentoque Eccleſiæ Chriſtianæ funderet preces, & ad hoc ipſum in ſe imitandum ſuas ſectatrices exſtimularet, & qua poterat ope animarum in ipſis excitare zelum & amorem ſatageret. Inter hæc quadriennium, vti nuper indicaui, elapſum eſt; cùm, iam quinto labente anno, Alfonſus Maldonatus Excalceatus, Ordinis Minorum, qui paucis abhinc dieb. ex India in Hiſpaniam redierat, Tereſam conuenit, &, quot in remotis illis regionib. ſalutarem doctrinam propinantium defectu animæ perpetuum ruerent in interitũ, triſti ſanè & lugubri narratione commemorauit. Recreauit piam Matrem ardens in viro religioſiſsimo ad animas proximorum adiuuandas flamma, vtpote quæ eâdem flagrabat: vnde ſancta quadam æmulari Alfonſum cœpit inuidia, quòd ſuos illi quidem animæ exerere & proferre ardores, proximum ad meliora colloquijs inſtigando, & quoquo modo adiuuando liceret, ſibi verò id illicitum eſſe ſciret. Audito igitur infinitas doctrinæ defectu animas peſſum ire, tantum animo concepit dolorem, luctum tantum, vt ſe propè ipſa continere entheo præ ardore mentis nõ poſſet. quamobrem inſolitis æſtuans ignibus, extemplò in ſolitarium quemdã receſſum (quales in horto domeſtico nonnullos ſuis conſtruxerat) ſe abdidit, vt ibidẽ maiori in quiete mentẽ colligeret. hic lacrymas oculis, ac gemitus corde imo exciens, ad ſummũ animarũ procreatorẽ inceſſanter queritabunda clamabat, aliquã ſibi vt rationẽ ſuggereret, qua vel ad vnius ſalutẽ animæ poſſet cooperari, cũ tot cacodæmon ſibi illarum vindicaret myriadas, &, cùm alia ipſis auxiliari via ſibi non liceret, ſuæ huc ſaltem lacrymæ vim aliquam conferrent & opem. Hic illi ardor continua orandi erat materia, donec nocte quadam in oratione vigilanti, qua ſolitus erat

Zel. animarum in B. Tereſa.



Digitized by Google

forma, ſe illi ſpectandum Redemptor magna amoris ſignificatione dedit, & per ſpeciem conſolantis hæc illi verba loquutus eſt: *Exſpecta pauliſper, cariſſima, & mira videbis.* Hæc verba intimis illius inſculpta medullis hæſere, vt ſua eadem è memoria delere non poſſet. Recurrebat namque identidem animo, ecquænam hæc tandem mira eſſent, & quonam pacto euentura. Sed nihil dum eruere cogitando poterat, hoc vnum dumtaxat certum erat, certiſsimò, quæ ſibi à Domino prædicta erant, aliquando euentura, quamquam quo id modo futurum eſſet, haud intelligeret. Paucis pòſt diebus id demum cœpit cognoſcere: cùm oportunum nimirum iam tempus erat, quo fulgentiſsima illa lucerna, quam intra exiguas ſeptorum monaſterij illius anguſtias cóclusãm quodammodo & coarctatam Dominus cõtinebat, magis exereretur, & vndiquaque rutilos fulgoris ſui radios diffundendo illuminaret omnes, qui in domo Dei, id eſt, Eccleſia verſarentur. Quam ob cauſam, Deo ſtatuente ac dirigente, factum, vt non in Hiſpaniam modò, ſed Abulam quoque delatus ſit Reuerendus admodum Pater Ioannes Baptiſta Rubeus, Rauennas, Carmelitarum Ordinis Præpoſitus Generalis. à nulla hominum id contigiſſe memoria quiſquam meminerat; nec deinceps etiam viſum eſt: Quòd Generales Ordinis huius Magiſtri in Italia, ac potiſsimum Romæ ſemper agere ſoleant. Tereſę, quam tum quidem latebat, quidnam diuina moliretur Sapientia, longè acceptius fuiſſet, ſi is Abulam non veniſſet. Verebatur namque, ne, quòd non Ordinis ſuperioribus, ſed ciuitatis Antiſtiti obedientiam addixiſſet, ipſe ſeciùs id interpretatus, atque ſtomachans, ſe ad Incarnationis reuerti denuò compelleret. Non mediocriter noua hæc illam tranſmigratio affeciſſet, neque aliam ſanè ob cauſam, quàm quòd primæuæ regulæ rigorem cœptamque auſteritatis, paupertatis, ac coarctationis, quam tanto animi geſtientis ſenſu hic iam ſeruari videbat, exercitationem ſibi priori in loco interdicendam præuideret. Abulam ergo Rubeus cùm appuliſſet, conſcientiæ ſinceritate freta Tereſa, cùm nec in debitum Præpoſitis honorem deliquiſſet, nec præter Domini ac ſanctiſsimæ eius Matris gloriam quidquam hocce in opere ſpectaſſet, ſe minimè ſubduxit, neve, Adæ peccantis exemplo, latebram petijt, quòd neutiquam offendiſſet; ſed hunc ipſa, vt venire ad D. Ioſephi ne grauaretur, verbis officioſiſsimis inuitauit. Quò cùm veniſſet, exactam non huius modò fundationis, ſed vitæ etiam ferè vniuerſæ apud illum rationem reddidit, eo mentis ſinceræ candore, & genuina veritate, perinde ac ſi Deo, cuius ille vices gerebat, hæc reddenda ratio fuiſſet. Hinc ipſa cauſæ æquitate ac iuſtitia nitebatur, illinc etiam æquiſsimus erat iudex, & religionis promouendæ pietatiſque ſtudioſiſsimus: Deus adhæc in defendentis & actricis corde & lingua reſidebat. Ea namque partes ſuas gratia, eloquentia, rationumque momentis adeò efficacibus eſt tutata, vt magnopere Generalis eam conſolatus, animos ad maiora addiderit, fide

*Carmelitarum Generalem Abulã deſtinat Deus.*

*Gen. 3.*

inſuper

Digitized by Google

inſuper data, inde iuſſu illam ſuo minimè egredi cogendam. Cùm videret autem viuum naſcentis Ordinis ſui hocce in monaſterio exemplar, & primogeniam ſine exceptione ac mitigatione vlla hic regulam obſeruari (quod nullo alio in cœnobio fieri norat) & ingenti ipſam animarum Chriſto aſſerendarum deſiderio ſuccenſam; mirificè nouo hoc eſt ſpectaculo recreatus, ſimul & ex animo hancce rem & perfici, & indies prouehi longiùs optauit. Quapropter ampliſſimam illi, datis ad hoc litteris, poteſtatem fecit plura hinc inde paulatim, ſicubi poſſet, condendi monaſteria; quin etiam obedientiæ præcepto iniunxit, vt quàm poſſet plurima erigeret; Prouinciales verò, ſi qui fortè remoram pijs machinationibus inijcerent, grauiſſimis eſſe voluit pœnis obnoxios. Iam tum igitur B. Mater videre mira illa cœpit, quorum in viſione nupera Dominus mentionem fecerat. hactenus namque hoc vnum tantùm ſpectarat, vt quietè ſibi ſuo in monaſterio agere liceret; & ne in mentem venerat quidem aliorum erigendorum domiciliorum facultatem à Superioribus expoſcere. Etſi verò non ignoraret, quàm res nummaria atque Optimatum beneuolentia ad monaſteriorum conſtructionem eſſet peropportuna (quod vtrumque illi deerat) cùm tamen generoſa eſſet mentis ad ardua excelſaque perficienda conſtantia, & ardentiſſimo diuinæ gloriæ prouehendæ, animarumque ſalutis procurandæ ſtudio æſtuaret, maximaque in Deum fiducia niteretur; ſimul etiam perſpecto, quàm propenſa Generalis eſſet Vicarij, vt plura id genus moliretur cœnobia, voluntas ac nutus; eadem iam conſtructa ac parata ſibi videre videbatur, hæcque mira illa augurabatur fore, quæ ſibi aliàs per viſum Dominus ſpoponderat. Ipſe etiam Generalis aduerſus calumniantium virulentiam, & obtrectationem omni in re eam tutabatur, eiq; quà poterat, varijs in caſibus gratificabatur, & quoties per grauiorum negotiorum quietem licebat, ipſam familiariter conuiſebat, de rebus ſpiritus, & ad Ordinis totius regimen gubernationemque ſpectantibus cum illa amicè conferens: hinc tanto ferri in eam amore cœpit, vt quoties de ipſa loquendi daretur occaſio, ſuam dicere filiam non dubitaret: donec tandem Romam retrò, vnde venerat, reuertit.

Tereſam is conſolatur.

Litteras illi dat ad plura excitanda monaſteria.

## CAPVT VII.

*DE EXCALCEATORVM MONASTERIIS CONſtruendis agere Tereſa incipit: Secundum Metinæ Campi Excalceatis monialibus erectura monaſterium Abulâ digreditur.*

QVæ viſura erat magnalia, ac mira, non monialium Excalceatarum dumtaxat propagationem & incrementum indicabant, ſed Carmelita-



Digitized by Google

litarum Excalceatorum etiam per ipſam fundationem initiaque Altiſſimus moliebatur. quod nouum adeò & inuſitatum in fœmina, vt, iam inde ab Eccleſiæ primordijs ſimile vix vmquam vidiſſe contigerit. Hoc ergo res tranſacta modo. Reuerendiſſimus Abulenſium Præſul Aluarus Mendozius pro ſingulari ſuo erga omnes Deum in ſumma perfectione ſequi ſatagentes ſtudio, Carmelitanorum Præpoſitum Generalem, antequam inde abitum moliretur, rogarat, ſua vt in diœceſi quædam viris primum regulæ rigorem ſeruare cupientibus conſtruendi cœnobia facultatem daret. Forſitan id ipſi primùm in mentem venit, vel (vti equidem cenſeo, & mecum aliquot ſummæ auctoritatis moniales, quæ per id tempus in monaſterio illo viuebant) nonniſi beata Matre antè ſuggerente id propoſuit. Quod cùm & alij ab illo ſummoperè contenderent, morem quidem piæ ipſorum poſtulationi P. Generalis gerere volebat; ſed aliquam ſuo in Ordine contradictionem difficultatemque reperiens, tum quidem minimè id concedendum cenſuit. Non enim Epiſcopo, ſed ancillæ id ſuæ Dominus opus reſeruarat. Haud multò ergo pòſt tempore agitare animo ipſa cœpit, perneceſſarium videri, cùm monialium eſſent congregationes, etiam virorum quædam, qui idem & inſtitutum & vitæ genus profiterentur, excitari domicilia, vt hoc & ipſi pacto ſuo in vigore permanerent. Hoc ipſa cùm negotium Deo in oratione accuratè commendaſſet, Generali id Præpoſito iam Romam abeùnti per epiſtolam ſignificauit, pluribus illi, quæ ex hac monaſteriorum Carmelitarum Diſcalceatorum erectione ſequerentur commoda, perſcribens; ac nefas videri, vt ob ea, quæ hoc in opere prima fronte ſe oſtenderent incommoda & difficultates, adeò diuinæ gloriæ promouendæ idoneum deſtinatumque propoſitum intermitteretur. Redditæ hæ Vicario Generali Valentiæ ſunt litteræ, harum ea fuit vis, quòd gratiam & vim ſermonis illi Dominus communicaſſet, vt haud difficulter, quæ efflagitabat, ſit conſecuta, & duorum monaſteriorum excitandorum ab ipſo ſcripto facultatem impetrarit. Vniuerſum tamen negotium Prouincialis, tam eius, qui modò munus obibat, quàm qui eodem nuper defunctus erat, arbitrio poteſtatique commiſit. Arduum quidem id ac difficile videbatur, at cùm, quod omnium cenſebatur grauiſſimum, iam ex voto B. Mater confectum cerneret, ſtatim etiam reliqua pari conficienda facilitate ſperabat. Nec fefellit eam euétus. Epiſcop⁹ enim ſua rem auctoritate prouehere aggreſſus, & cordi habens quàm maximè, vtriuſq; Prouincialis & aſſenſum & approbationem impetrauit. Auxit ea res pię Matris gaudium, ſed auxit & ſolicitudinem: cùm ex omnibus ſui inſtituti Fratribus, quos quidem nouerat, neminem inueniret, qui, vt ad nouum hũc rigorem à mitiori tranſiret regula, vellet animũ adijcere, nedum qui è mundanis hominibus primus ſancto inauditoq; operi huic principium dãdo viam alijs huc ſterne-

Epiſcopus Abulenſis Generalem Carmelitarum conuenit, vt primæ Regulæ obſeruantiã ſeruaturis viris erigerentur monaſteria.

Scripſit ad P. Generalẽ Tereſa quoad virorum monaſteriorum erectionem.



Digitized by Google

neret. Deerat & domus, & nulla eius habendę ratio ad manum erat: ſolas habebat ad hoc facultatis litteras, & vehemens rei deſiderium, nec non infractam quamdam mentis generoſitatem, & conſtantem in Deum fiduciam, qua nixa ſperabat, qui vnum dederat Dominus, etiam alterum haud illubenter conceſſurum. Quocirca maximo feruoris ſenſu illi ſupplicabat, vt, ſi videretur, vel vnum vſpiam ſuo excitaret arbitrio, qui operis fundamentum & initium iaceret. Hæc dum animo aſſiduè volutat, mentem illi Dominus ad noua monialibus, ad Abulenſis exemplum ſcilicet, cœnobia conſtruenda inijcit. conſultum ergo illi videbatur à Metina Campi (opidum id erat vicinum ac locuples) exordium operis ſumere. Mouit huc illam fortaſſe non parum, quod Balthazar Aluarius, Societatis noſtræ Sacerdos, quo magiſtro tantum ipſa olim in ſpiritus palæſtra profecerat; illa tempeſtate Collegio Metinenſi cum poteſtate præeſſet. Quoniam autem Patribus Societatis perfamiliaris ac ſtudioſa erat, Aluario quam à Generali ſuo acceperat facultatem perſcripſit; ſimul obſecrans, vt Metinenſi ab Abbate loci Domino monaſterij ibidem fundandi facultatem expoſcat. nam litteris Vicarij Generalis ſigillo munitis inſtructa, nulla præter Ordinarij locorum conſenſum nutumque re alia opus habebat. Hiſce cum litteris Iulianum de Auila, ſacris in monaſterio ſuo dicundis Præpoſitum, de quo iam antè locuti, & pòſt etiam locuturi ſumus, (quòd beatæ Matris ad nonnullas fundandas domos abeuntis & comes & adiutor fuerit) Metinam deſtinat. non tam facilè quidem, ac ſperabatur, res conficienda, & facultas obtinenda videbatur, eò quòd ſine annuis ſtabilibuſque monaſterium hoc fundandum eſſet prouentibus; attamen qua potuit Iulianus contentione apud Abbatem, necnon Aluarius enixus eſt, vt nonnulla iam veniæ impetrandæ ſpes affulgeret. Verùm antè, Senatus accedente auctoritate inquiſitum eſt, & ſcripto committi iuſſum, ecquæ illo ex monaſterio in ciuitatem eſſent commoda, quæ bona prouentura. Iulianus id cum laude ſufficienterque præſtitit, variorum fide dignorum etiam teſtimonijs productis. Inter Eccleſiaſticos quidem teſtes, præcipui Collegij noſtri Patres cenſebantur: cùm enim beatam Matrem & noſſent & diligerent, ſcirentque quantum Dei id gloriæ promouendæ momentum afferret, ſi illo in opido id genus cœnobij conſtrueretur, ſuum non grauatè teſtimonium ferebant. Inter laicos, primarios è Magiſtratu viros in teſtes adduxerat, nec non de primarijs ciuibus nonnullos. Quindecim in his conſumpti erãt dies, cùm veniâ, vti optauerat, ab Abbate conceſſa, ſuadente Tereſa, domum è præcipuis ciuitatis, vt ibidem monaſterij initia ponerentur, haud procul à D. Auguſtini cœnobio, 150. aureorũ, in ſingulos annos perſoluendorum, pretio conduxit. Interea & aliam tunc B. M. rei conficiendæ rationẽ præter priorẽ illã, non contemnendã inierat.

Car-

Carmelitis Metinenſibus præerat ea tempeſtate Antonius Heredius, quem & Salmantiæ olim in ſtudijs,& poſtea Abulę Carmelitarũ Præpoſitũ noui. Hunc Tereſa per epiſtolam commonuit,ſibi vt Metinæ domũ coemeret.Matronam igitur is,quam nouerat,hac ſuper re conuenit,& domum ab ea, nullo exacto,qui fideiuberet, cùm de pretio inter ipſos conueniſſet, emit.Erat hæc commodo ſatis vrbis loco, in via,quam ſancti Iacobi dicunt, & ea ipſa eſt, in qua modò morantur: ſed potiſſima illius ſemiruta pars ruinam iam agebat,vnde & habitari commodè non poterat. vnde aliàs neceſſe fuit,vt Iulian.interim ædes conduceret,dum illæ inſtaurarẽtur. Placuit & harum conductio, & illarum coemptio B.Matri, etſi quo & locatori & venditrici ſatisfaceret,obolum non haberet: placuit tamen; quia & magnitudine animi eximia,& mira in Deum erat fiducia. Adauxerat hanc non mediocriter perſpecta iam toties paterna illius ſingulis in difficultatibus,in quas, dum primum erigeretur monaſterium, inciderat, protectio & auxilium. hinc de pecunia ne hilum laborabat,nec illius defectu,eorum quæ conceperat,quidquam intermittendum verebatur. quamobrem neceſſe erat eum, qui reliqua curarat hactenus, etiam pecuniaria modò ſubſidia ſubmittere, quòd B. Matri etiam in viaticum & commeatum neceſſaria deeſſet,& ad commodato accipiendum, auctoritas aut fides. Sed,quoniam cœleſtem huic, vti non defuerat hactenus, operi deeſſe largitorem minimè par erat; ecce tibi, dum Tereſa ſecum de pecuniæ comparandæ rationibus deliberat,honeſtiſſima quædam virgo, quæ, quòd tertiuſdecimus completus monialium iam eſſet numerus, in ſancti Ioſephi cooptari pro voto non potuerat; cognito de alio iam conſtruendo cœnobio agi,in illud ipſum ſupplex admitti poſtulat,& aliquod vltrò in illius erectionem & ædificium,quod habebat argentum offert. Hanc igitur Tereſa voti fecit compotem,nempe primam omnium,quæ hoc Metinę vitæ genus iniere. nomen huic Iſabella de Ieſu. ſed tam tenues illius erant facultates, vt quæ emptæ erant ædes, eiſdem redimi non poſſent, conductionis dumtaxat pretio perſoluendo ſatis futuræ. Hac Tereſa peculiolâ inſtructa itineri ſe non minori promptitudine dedit,multos tamen ſecum trahens comites,quos alere oportebat, quàm ſi ingentes ſecum conuexiſſet theſauros. Duas è ſancti Ioſephi,& quatuor ex Incarnationis aſſumptas ſodales ſecum duxit:facultatem namque Superiores illi fecerant, quæcumque inde egredi vellet, in ſuam illas familiã trãſcribendi. E S.Ioſephi prodiere Maria à S.Ioanne Baptiſta,B.Matris cognata,de qua multa iã ſuprà dicere memini, & Anna ab Angelis Præpoſitæ Vicaria:ex Incarnationis autem Agnes de Tapia,quæ poſtea à Ieſu cognomentum aſſumpſit, & hodie Palentiæ Priorem agit; deinde Anna de Tapia,eiuſdem ſoror,quæ ab Incarnatione pòſt appellata eſt;& per multos annos Salmantinis,ac deinde Metinenſibus monialibus fuit Præpoſita:erant ambæ B.Matris patrueles. Adhæc Iſabella



Digitized by Google

Arias, quæ, cùm Valliſoletanum domicilium erigeretur, eidem à Tereſa præfecta eſt: ſanctiori autem pro gentili nomine aſſumpto, à Cruce cognomen eſt mutuata. quarta denique Tereſa Queſadia. Harum poſtremæ duæ etiamnum priſtinum, quem in Incarnationis aſſumpſerant, habitum geſtabant: quem priores duæ iam exuerant, quòd paucis ante diebus cum Matre Tereſa ad ſancti Ioſephi conceſſiſſent. Ægrè à ſe reliquæ piam auelli matrem, quæ remanebant Abulæ, ferebant, quòd ſingularis amoris ſenſu nulla non erga eam raperetur, & maximæ felicitatis in numero poſuiſſet, ſi matrem abeuntem comitari licuiſſet. Ante verò quàm in viam ſe daret, eas, vti matrem decebat amantiſſimam, ex parte voluit conſolari, de domo & horto, quo imprimis opus habebant, ipſis proſpiciens: vnde, cùm rei nummariæ tum penuria laboraret, alienum nouies mille regalium æs contraxit, Dominum confidens de pecunia, quâ ipſum diſſolueretur, proſpecturum. Nec ſpes beatam Matrem fefellit. neque enim poſt multum temporis interuallum, ipſo haud dubiè corda mouente, lectæ aliquot virgines, à re nummaria optimè inſtructæ, nec non Deo famulandi ſtudio incenſæ, in ordinem vt allegerentur, ſummis precibus inſtiterunt. Quod profectò, eo præſertim tempore, permagni faciendum eſt, cùm ſcilicet, Tereſa iam abſente, monaſterium ipſius funditus interiturum & æmuli crederent, & pij metuerent. Paulò antè ſuum quàm iter ingrederetur, in ſolitaria quadam domus illius cellula, in qua ad columnam vinctus flagella impiorum excipiens depictus Redemptor conſpicitur, magno ipſum pietatis ſenſu eſt obteſtata, vt eo in ſtatu incolume ac ſoſpes monaſterium reduci ſibi ſiſteret, in quo ipſum abiens relinqueret. Audijt verò precantem CHRISTVS, pijſque eius votis libens annuit. Inde ipſa ſingulis ſuarum, magna cum doloris ſignificatione vale dicens, hunc ſolita animi magnitudine facilè tegebat, ne quam ijs triſtitiæ occaſionem daret. Comites etiam eius inſignem mentis conſtantiam, & acre aduerſa patiendi ſtudium præ ſe omnes ferebant, hac ſe duce ſperantes quidlibet & poſſe perfringere & ſuperare. Tribus quatuorque tum ipſæ, tum tenuis, qua pauper, qua egrediebantur, domus haud ægrè carebat, ac qua opus fortè haberent Metinæ, ſupellex curribus vehebantur: pedibus alij multi comitabantur, atque inprimis Iulianus de Auila. Quinto poſt anno ab ædificato ſancti Ioſephi monaſterio, biduo ante feſtum aſſumptæ in cœlum Virgini diem, anno ſæculi currentis LXVII. hæc Metinam deducta colonia eſt. Tereſæ namque in votis erat, nouum vt cœnobium ipſo aſſumptionis Deiparæ, ad quam & quod moliebatur monaſterium, & quæ ipſum fundaturæ erãt virgines, ſpectabant, die, fauſto omine habitari inciperet. Non potuit clam ciuibus hæc fieri aliò digreſſio, neque etiam abeuntes ſuum ſupprimere abitum ſtudebant; quòd ſe credebant ad rem, quæ

Domum illi ſpõdet Chriſtus tali in ſtatu ſe abſente futurã, in quali relinquebat

iam confecta erat, abire. Vt ergo primùm in vulgus ea innotuit, grauiter toto paſſim opido tumultuari cœptum. Erant, qui Tereſam vt fatuam ridebant; alij, quem res adeò temeraria & importuna habitura eſſet exitum, taciti ſecum exſpectabant; qui verò eius rebus ſtudebant, multis ab hoc ipſam conſilio verbis diuertere, magnis propoſitis difficultatibus ſatagebant. Sed generoſum Tereſæ animum adeò hæc non deiecerunt, vt ea ne quidem difficultatum nomine digna cenſeret. nam quod alij vt periculoſum & anceps habebant, id generoſa virgo ita ducebat facile, vt planè perſuaſum haberet, quæ ordiretur, felici proſperoque exitu terminanda. Ipſe quoque Antiſtes Mendoſius prorſus hoc fieri non poſſe cenſebat; Tereſæ tamen id indicare noluit, neu à propoſito eam deterrere, ne quem illi, quam cariſſimam habebat, mœrorem dicendo afferret. Primo Areualum peruentum eſt die, à quo cùm occidente iam ſole quarta leucæ abeſſent parte, Alfonſus Stephanius, Sacerdos religioſiſſimus, & charitatis eximiæ officijs clarus, quique pias apud fœminas commodum venientibus pararat hoſpitium, obuiam proceſſit, & Iuliano de Auila miſſas ab eo, qui Metinenſem domũ elocarat, Alfonſo Aluario litteras tradidit. his ille ſignificarat, non antè vt Abulâ diſcederent, quàm cum Patribus Auguſtinenſibus, in hac vicinia agentibus, negotium confectum eſſet. non ferebant enim hi aliud ſuo adeo vicinum cœnobium erigi. quibus cùm amicus & familiaris exiſteret, in eos nefas putabat offendere: proinde antè ſe negabat ædes conſignare in manus illarum velle, quàm boni hi Patres aſſenſum dediſſent. Idipſum & Tereſæ Stephanius priuatim ſignificauit. Non parum inopinus hic nuntius piam Matrem perculit, quæ tanto hanc in viam cum comitatu ſeſe dederat, ſummiſque deſiderabat votis, vt ipſo Deiparæ aſſumptæ feſto die, qui poſt biduum inſtabat, nouæ fundationis celebrarentur primordia. Verumtamen non idcirco generoſa animum virago contraxit, ſed, quantum in ipſa fuit, maiorem eò concepit fiduciam, ſibique firmiter perſuaſit, cùm tam maturè ac tempeſtiuè tartareus obluctaretur aduerſarius, magna inde fore vt in Deum optimum maximum gloria aliquando redundaret. Stephanium igitur hac de re iuſſit tacere, ne inopinus hic nuntius eas quas ducebat comites contriſtaret; ac nominatim duabus illis, quæ ex Incarnationis iam recenter exierant, id clàm volebat eſſe, Iſabella Arias, & Tereſa Queſadia: ceteras enim ſui cauſa nouerat certiſſimò quodlibet ærumnarum ac laborum genus quàm libentiſſimè ſubituras. Iſabella namque Arias prima fuerat ab Antiſtita tum, cùm ex Incarnationis exiret, ac grauia multorum obloquentium probra impedimentaque, quibus exitum hunc remorari conabantur, perfregerat. nam ambæ primarios quoſque in ciuitate ſanguinis neceſſitudine attingebant, genereque illuſtres erant, & refragantibus conſanguineis omnibus Tereſam ſecutæ: quare & illarum hæc potiſſimùm

*Magnanimitas Tereſæ in difficultatibus.*

cau-

Digitized by Google

cauſa angebatur. Vt in præparatum diuerſorium ventum eſt, audijt tum illuc fortè fortuna appuliſſe Dominicum Bannezium ſacræ Theologiæ Magiſtrum. Hic illam nuntius non minùs erexit, quàm prior deiecerat: illius enim conſilio, ductu auſpicijſque omnis quin ex voto ſuccederet res, minimè dubitabat. Ipſum illicò aduocat, & quid rerum ageretur, clanculò aperuit. ſpem fecit ille, breui ac facilè cum Auguſtinianis Sodalibus negotium confectum iri. At Tereſæ, quæ tantum ſecum comitum trahebat numerum, videbatque quantum omnis hic mora ſibi noceret, cùm iam vſu nimirum comperiſſet, ſuperioris fundationis difficultatibus edocta, quantæ, niſi poſſeſſio nondum conſcio populo adiretur, inde excitandæ eſſent procellæ & incendia, Bannezij ſententia minimè ſatisfecit. Magnam noctis partem agitando examinandoque, quæ decreuerat, cùm traduxiſſet, ecce poſtridie manè Antonius de Heredia, Carmelitarum Superior, appulit, illam dicens domum, quam ipſe coemerat, vtcumque commodam videri, & propylæum ſanctiſſimo exponendo Sacramento, ad cohoneſtandum additis periſtromatis, peridoneum habere. Placuit hoc beatæ Matri conſilium, quòd minus ad hoc temporis requireretur. Viſum eſt igitur, vt Agnes de Ieſu, & Anna de Incarnatione ejuſdem germana, nec non Iſabella Arias, & Tereſa Queſadia in proximo ſubſiſterent oppido, cui Villanoua de Azerale nomen eſt, & vbi Vincentius de Ahumada, Agnetis de Ieſu & Annæ de Incarnatione frater Curionis partes agebat. huc eos is de quo egimus, Alfonſus Stephanius deduxit. Sed quindenis hauddum hic moratæ erant diebus, cùm Metinam eas Tereſa euocauit. Apud ipſam verò remanſit dumtaxat Maria de ſancto Ioanne Baptiſta & Anna de Angelis: cum quibus etiam Olmedum, vbi tum Antiſtes Abulenſis agebat, ſtatuit concedere; quòd hoc in itinere illa habitaret matrona, quæ ædes, ad quas properabant, vendidiſſet. Hanc Tereſa cùm conueniſſet, impetrauit ab ea litteras, quibus, qui in ædibus agebat œconomus & prouiſor, confeſtim ſe ſubducere, monialibuſque eas cedere iubebatur. Huic inſuper illa in mandatis dedit, vt, ſi opus fore videret, eos qui domi erant tapetes, atque è cæruleo damaſceno panno ſtragula Tereſæ conſignaret, quod ſanè conſilium diuinitùs illi fuiſſe inſpiratum, docebunt ſequentia.



Digitized by Google

## CAPVT VIII.

### *METINAM APPELLIT TERESA, ET MONAsterium titulo sancti Iosephi ibidem excitat.*

EADEM ergo vespera Olmedium cùm peruenissent, peramanter benigneque ab Episcopo Abulensi exceptæ sunt; at diutiùs hic beata Mater noluit commorari, ne, quam iam in manibus habere se putabat, occasio elaberetur. Rhedam illi, qua commodius ac decentius suis cum monialibus veheretur, instrui iussit Antistes, additque qui eas comitaretur sacerdotem domesticum. Vnde & eadem die in peruigilio scilicet Assumptionis sanctissimæ Matris in cœlum, Metinam Campi intempesta & concubia nocte aduectæ sunt. Iulianus de Auila paulò antè iam præcesserat, & Carmelitas sanctæ Annæ de proximo Teresæ aduentu certiores reddiderat, & quid hac ipsa nocte exequi decreuisset. Præpararunt hi ergo sacrum ad mysteria celebranda apparatum, & omne altaris instrumentum. Haud multò post subsecuta est cum suis Mater, vtque minori res strepitu ac tumultu perageretur, ante eiusdem monasterij ianuam exscensionem fecerunt. Nec mora, ipse Heredius, & duo alij Religiosi, nec non duo illi sacerdotes, & moniales suos in humeros sumpsere, quę ad ea quę diximus necessaria erant. Vrgebat eos beata Mater magna ceteros animositate & constantia præcedens; generosum scilicet imitata ducem ad magni momenti expeditionem cum lecta militum manu pergentem, quæ vt feliciter succedat, priùs ea executioni mandata sit oportet, quàm qui eamdem aggressuri sunt, ab hoste detecti. Extra vrbis iam properabant muros, & eo quidem noctis tempore, quo tauri, quorum postridie assumptionis exhibenda erant spectacula, incunabulis includebantur. itaque crebrò obuios alios atque alios habebant: quod per obscuras noctis tenebras incedentes non mediocriter etiam angebat. longè verò is angor fuisset maior, si in ministros publicos & lictores incidissent: ea namque cum sarcinis de nocte itantium erat species, perinde ac si templum aliquod expilassent. Varij occurrentium (vt fit) erant hac de re sermones, dum Religiosos, Sacerdotes & mulieres sera viderent nocte simul conuasatis rebus raptim incedere: quisque pro eo, ac sentiebat, liberè loquebatur, accedente prǣsertim ea, quam opaca ad similem verborum licentiam dare nox solet, libertate. at, quoniam de publicis apparitoribus non erant, neutiquam euntes remorabantur. Illi miro in silentio gressus ingeminare, rectaque ad designatum locum properare. quò cùm peruentum iam esset, eiusdem custodem altùm vtramque in aurem dormientem, ac nihil minus opinantem elato clamore excitant. hic cùm moras in surgendo traheret, illi ingeminato clamore per-

Teresa de nocte Metinam venit.

perurgent, ingredi geſtientes dum ſcilicet à quoquam videri de nocte nolunt, ac metuunt, ne quod longiori è mora ipſis damnum accideret. Ergo lecto ſe cuſtos proripit, fores aperit; & dominæ lectis litteris rem omnem imperatam ex ordine exequitur. Læti ergo omnes in aream quamdam domeſticam admittūtur, quam circumſpiciens Tereſa, videt hinc inde collapſos parietes; etſi, cùm iam luceſceret, longè illorum ruina maior & vaſtior apparebat, quam per tenebras pia Mater videre non potuerat.

Locus, in quem Venerandum Altaris Sacramentum inferendum erat, terra oppletus erat, quam egeri antè oportebat: dein adeò hic cœli patebat iniurijs, tecto hinc hianti ac rimoſo, vt Altari inſtruendo, atque Euchariſtiæ decenter collocandę prorſus eum ineptum B. Mater iudicaret. Parietes incruſtati non erant; iiſque penitus conueſtiendis tegendiſque nihil ad manum erat; tres enim dumtaxat ſecum tapetes habebant, qui ad locum ſatis capacem inſternendum totum minimè ſufficiebant. Quid agerent, ignorabant, quòd neceſſaria omnia deeſſent. Cæterùm heræ ſuæ periſtromata domus cuſtos, vti & ſtragula lecti è damaſceno cæruleo, vti ſuis ipſa deſignarat litteris, B. Matri obtulit. quod illam oblatum & ſodales reliquas non mediocri compleuit lætitia. Iam affigendis ſuſpendendiſq; periſtromatis deerant claui, & his coemendis pecunia, importuna quoq; ad emendum erat hora, quod ipſas magis etiam cruciabat. Cùm enim noctis ſub cō-ticinium ad Carmelitarum cœnobium B. Mater appuliſſet, ac reliquo deinde tempore & iter egiſſet, & cætera, quæ commemorauimus, feciſſet, noctes quoque per Auguſti dies vtcumque breues ſint; facilè quis colligat, non multum ipſis ad auroram potuiſſe ſpatij ſupereſſe. Per omnes ædium parietes ſedulò clauis conquiſitis, Sacerdotes ac Religioſi veſtibulum informe veſtire tapetibus, Moniales certatim terram egerere, pro ſe quiſque feſtinant. Inter hæc otioſa B. Mater non quieſcebat, ſed hiſce in rebus inter primos apparebat, cùm huic nauiter operi incumbens, tum alijs diligentia atque acri ſtudio prælucens. Antequam verò luceſceret, Abbatem loci Ordinarium imprimis opus videbatur præmonere, vt bona illius cum venia tabellio quiſpiam tabulas conficeret, hoc Abbatis cum facultate & auctoritate monaſterium erigi, fidem facturas, ne quis poſtea vlli contradicendi impediendique eſſet locus. Confeſtim ergo tabellionem adeunt, & Abbate mandante, ſurgere, vnaq; cum ipſis pergere iubent. His ex voto confectis, vt primum dies eluxit, ſigno ea quam ſecum ſumpſerant nola dato ad prima audienda hocce in loco ſacra populum cōuocant. Omnes ea res vicinos admiratione compleuit, nec non vniuerſos, ad quorum aures ea peruenit, quòd eo, quod veſperam inter & auroram interuallum eſt, ciuitatem monaſterio auctiorem factam cernerent. Quid ad hæc dicerent, non habebant; ſtupore dumtaxat perculſi; alter alterum defixi intuebantur. Extemplò tanta huc populi confluxit multitudo, vt ſacellum extemporaneum eam

omnem non caperet, ac necesse fuerit, interim dum sacra celebrarētur mysteria, & sacrosanctum Eucharistiæ ferculum proponeretur, inde se Moniales subducere. at, quò se converterent, nesciebant; quòd & reliqua domus malè materiata, diruta propè & solo afflicta iaceret, ipsa quoq; Augustissimi Dominici corporis theca sub dio in platea penè consisteret. Sed hac est ratione necessitati consultum. Erant è regione altaris gradus scalares, quibus ad porticum quamdam, quæ sola reliqua in domo ruinæ supererat, ascendebatur. Has cùm monachæ subijssent, illorum ianuam occludunt, perque eiusdem rimulam ipsa sacrorum spectarunt mysteria. Hi gradus & chori, & allocutorij, & exedræ confessionalis vicem supplebant. Porrò sanctissimo Christi corpore huc illato, & sacrorum solennijs peractis, iam reipsa loci adita erat possessio, itaque monasterium Metinense à S. Iosepho itidem denominatum (nam ab eodem, quo Abulense, id Tutelari B. Mater voluit nominari) ipso euectæ in cœlos ab Angelis Deiparæ Matri die sacro, 18. Kalend. Septembris, anno septimo supra sexagesimum fundatum est. Sanè si, vt propositum modò mihi est hancce exarare historiam, ita in eadem prosequēda, facinori adeò excelso, ipsum laudibus celebraturus, inhærere & vellem, & id præstare pro rei dignitate possem; egregia se mihi hic & commoda eloquentiæ meæ exerendæ ostentandæve offerret occasio, & patentissimus, in quo liberè exspatiarer, campus aperiretur. Modò namque eximiam eius extollere possem prudentiam, cuius adminiculo vel vnius id diei ipsa perfecit spatio, quod ne pluribus quidē alij vel exercitatissimi dexterrimiq; perfecissent: modò generosam fidei eiusdem constantiam, quam tot subuertere obstacula, tot subruere impedimēta nequiuerunt: modò etiam animi celsitudinem, qua tam heroicum & virile est opus aggressa, & ad finem vsq; feliciter citiùs perduxit, quàm alius quispiam, ipsum num vel fieri posset, animo agitasset. Durum hic taceo laborem itineris, quem, ne minima corpori indulta quiete, suscipere non dubitauit: taceo quòd nullo dum ad seram vsque noctem sumpto cibo ac ieiuna iter inierit, atque ipsum etiam pedestre, & properum, omnis defatigationis expers; & quidem sarcinulis toto itinere onusta mulier, iam tertium & quinquagesimum ætatis annum egressa; denique malè affecto & parum firmo corpore: tum quòd cibi omnis & somni hìc fuerit immemor; solo Dei gloriæ quæritandæ studio incensa, quodq; per illam ipse exorsus erat opus, id perficere summopere desiderans: adhæc quòd, etsi varijs distineretur negotijs, illorum ita numquam multitudine obrueretur, vt ijs velut immersa, singulis pro eo atque oportebat, vacare non posset: tum quòd nullum vmquam prætulerit metum; deniq; quòd priuata è domo ac semiruta trium dumtaxat horarum spatio tanta tamque frequenti in ciuitate monasterium, ipsis etiam ciuibus rei non antè conscijs, quàm suis rem confectam oculis cernerent, construxerit. Fertur Iulius Cæsar, cùm quinto post-

poſtquam in Pontum perueniſſet die, vnico Pharnacem eiuſdem regem prælio debellaſſet; hoc ſignis ſuis inſcripſiſſe belli quàm celerrimè confecti teſtimonium, *Veni, vidi, vici.* quantò id B. Mater Tereſa de Ieſu potiùs vſurpet quæ non quinto, ſed ſecundo poſtquam Abulâ egreſſa eſſet die, etiã priùs quàm Metinam oculis videret (nox namque impedimento erat) exiguis illis, quas ductabat copiolis, non quatuor, ſed trium horarum ſpatio, tam illuſtre & heroicum facinus patrauit, & inclytam adeò retulit victoriam? Quàm benignis ipſam propitijſq; iam inde è cœlo à Chriſto Domino oculis conſpectam eſſe credere fas eſt, quamque illum meritò de Tereſa ſua pronuntiare potuiſſe, *Inueni mulierem ſecundùm cor meum, quæ faciet omnes voluntates meas*? Hinc cùm deinceps ipſe illam Salomonis dubitantis interrogationem, *Mulierem fortem quis inueniet?* in mentem reuoco; congruè mihi apteque illi reſpondere poſſe videor, in ſancta hac Matre ſibi Dominum id genus mulierem quæſiſſe, & inueniſſe: meritoque de illa proinde dici poſſe, *Procul & de vltimis finibus precium eius.*

*Sueton. in vita c. 35. & 37.*

*Prou. vlt.*

## CAPVT IX.

### *GRAVI HAVD MVLTO POST TENTATIONE Tereſa exagitatur. Metinenſes Excalceatæ domum mutant; & quam antè incoluerant, perſoluto iam pretio coemptam inſtaurant & concinnant.*

IDipſum nunc Tereſę in monaſterij Metinenſis erectione contigit, quod iam olim in Abulenſis. Etenim incredibile tum ipſa in animo gaudium ſentiēte ac voluptatem, cùm quòd nouum ciuitati acceſſiſſe iam perſpiceret templum, in quo pretioſum Venerabilis Euchariſtiæ pignus aſſeruaretur, tum quòd omnia ex voto & animi ſententia nemine prorſus ſeſe opponente confecta iam cerneret; plenam cacodæmoni poteſtatem Altiſſimus in Tereſam fecit, quò ſancta hæc anima omni ratione exerceretur, & nullo non in aduerſitatis camino probaretur: pauliſper ipſe igitur ſeſe ſubduxit, certamen deſuper contemplaturus, cuius hæc fuere præludia. Sacris Miſſarum iam abſolutis per feneſtrã Tereſa in ſubiectam domus aream deſpexit, cuius aliquib. in locis muros penitus in terram prolapſos vidit, atq; ita quidē proſtratos, vt nonniſi compluriũ dierũ erigi attolliq; operã poſſe viderentur. Deinde, ſanctiſſimum Altaris Sacramentum ſub dio propè expoſitum eſſe conſpicata, angi animo ac inſolito ſecum ipſa modo contriſtari cœpit. quòd enim ea temporum eſſet, ob nefariam perditorum hæreticorum audaciam ac licentiam iniquitas, ſubuereri pia Mater cœpit, ne qui fortè occulti inter exteros & alienigenas hæretici laterent, qui hiero-

Tereſæ afflictio poſt hoc erectũ monaſterium.

hierothecam impiè surriperent, & indignis sacrum Angelorũ panem modis irreuerenterq; tractarent. Hac spiritus tartareus in Teresã subingressus est ianua, simul & vniuersas, quas, qui maximè ob illius Metinam aduẽtum in surgendo insanierant, obijcere potuissent difficultates, menti illius præsentes, ac velut viuas obiecit: quas etiam, vti & solet, & nouit, in immẽsum auxit, è musca effingens elephantem; inde tetram intellectui offudit caliginem, nec non vniuersarum, quas à Domino acceperat, gratiarum ingentem illi obliuionem indidit; atque vt penitus eam deijceret & prosterneret, propriam vilitatem dumtaxat, impotentiam, imbecillitatemque quàm viuacissimis quodammodo pictam coloribus ob oculos mentis obiecit, imò etiam longè se minùs esse vt crederet, illi omni contentione persuadere conabatur: ita denique eius mentem turbauit, & inobscurauit, vt vlteriùs se posse progredi omninò desperaret. Iam suos ad comites, quos Incarnationis cœnobio elicuerat, oculos conuertebat, secum ipsa reputans, quanta omnium sodalium & consanguineorum contradictione & inuidia inde essent egressę, ac præsertim duæ illarum; quàm verò indecens ac turpe foret, easdẽ remittere. Ad hæc graui hoc ipsum sub initiũ à se errore admisso, vlteriùs sibi alijs in fundationib. progrediendi nullam rationem suppeditaturam. Ex quo fieret, vt, quidquid hactenus è Domino reuelante se audiuisse crederet, pręstigiarum, fraudis & illusionis diabolicę loco habendum esse videretur: inde verò consequi, se etiam hactenus fœdo in errore & fraude quoad vitæ rationem & institutum versatam. Incredibilem hæc porrò cogitatio dolorem animo illius pariebat, simul & metum: quo metuebat videlicet, ne non hac fortè vice solùm illi diabolus illusisset, sed etiam hactenus in reliqua vitæ serie sibi ab eodem esset veteratore ac fraudis architecto impositum. Et sanè non possum (& mecum omnes, quotquot hæc legunt) non magnopere mirari, animam Deo adeò caram, quæque tot tàmque euidentibus iam dudum testimonijs secura esse poterat, non esse vt vel minimum timeret, tanta formidine ac metu percelli. Quàm porrò id nouum & insolens, tam spissas ibi modò videre tenebras, vbi tanta semper antè fulserat lux, sol adeò rutilus; & ipsam, quæ paulò antè tam intrepida ac secura nitebat, in tantum modò deijci, atque animo frangi? At, qui incrementa decrementaque gratiarum, quæ in Sanctorum contingere animis nonnumquam solent, cognouerit, insignemque Dei notarit prouidentiam, qui hac in illis vicissitudine alternatim ludere vult; partim vt clariùs perspiciant, quasnam præsente & auxiliante Deo vires possideant, quã verò illo absente opemq; subtrahente ac sibi relicti sint imbecilles & languidi; partim verò vt hinc eius, à quo robur accipiunt, magnitudinem potentiamque, & illinc vilitatem suam meliùs agnoscant; hacque cognitione prælucente ad alia maiora illustrioraque charismata & fauores, quibus eos accumulare decreuit, accipienda disponantur; hanc mirari varietatem ac vicissi-

*De' suos interdũ exercet, vt se agnoscant.*

viciſsitudinem deſinet. Quis crederet, eumdem eſſe Paulum, qui dicebat: *Certus ſum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro:* & qui alio loco de ſe ſcribit: *Non volumus vos ignorare, fratres, de tribulatione noſtra, quæ facta eſt in Aſia: quoniam ſupra modum grauati ſumus ſupra virtutem, ita vt tæderet nos etiam viuere. Sed ipſi in nobiſmetipſis reſponſum mortis habuimus, vt non ſimus fidentes in nobis, ſed in Deo, qui ſuſcitat mortuos.* Vnus & idem vtrumque ſcribit Paulus: ſed priora ſcribit, Deum præſentem habens, poſteriora verò ſolus, ac ſibi relictus. *Rom. 8.* *2. Cor. 1.*

Hæc igitur Tereſa animo tum quidem voluebat; quamquam cuncta diſſimulabat interea apud ſuas, & dolorem anxietatemque corde premebat, ne noua hac ad priorem deſolatione accedente ipſas opprimeret. Hęc B. Matrem anguſtia ad pomeridianum vſque tempus tenuit, quoad quidem à Balthazare Aluario ſubmiſſus Pater, eam inuiſeret, qui mentem proſtratam verbis erexit, & mœrentem eſt animum conſolatus. Ab hoc ſibi de laxioribus ædibus proſpici petijt, in quibus commodiùs haberent, quòd in his, quas modò incolerent, in publico quodammodo diuerſarentur; de illarum pretio nihil dum eſſet ſolicitus. Magna ſunt cura ac ſtudio huiuſmodi tota ciuitate ædes conquiſitæ. Sed fruſtra; cùm enim Metina tum habitatoribus eſſet frequens, & mercatoribus abundaret opulentis, nullæ vel maximo pretio redimibiles fuere. Hæc dum fiunt, Tereſa interdiu ingentibus curis atque anxia ſolicitudine emoriebatur, noctu verò etiam maiore: ſingulis quippe noctibus cuſtodes adhiberi oportebat, qui hierothecam aſſeruarent, vt in feria VI. maioris hebdomadæ in Eccleſia fieri conſueuit. A ſe ipſa tamen impetrare ne tum quidem potuit, vt vigilantibus vigilijs non vigilaret: verita enim, ne excubitoribus fortè dormitantibus, pretioſum hoc ſibi pignus auferretur, identidem de nocte ſurgebat, vt per feneſtram, num vigilarent, diſpiceret, in quo fulgens per eos fortè dies Luna illi ancillabatur. Octo iam tranſierant dies, cùm Blaſius de Metina, mercator probus & honeſtus, qui haud procul ab æde principe capacem ſatis & amplam domum habebat, in duas eam partes habitationi commodas diſtinxit; in quarum ipſe vnam cum vniuerſa re familiari tranſijt; ſuperiorem verò illius parte vnà cum atrio vicino deaurato, & amplo ſatis, quod templi vicem int ꞏm ſuppleret, donec eæ, quas coemerant, ædes munirentur, monialibus ceſsit. Tum demum Tereſę reddita priſtina mẽtis ſerenitas ac quies; quòd in hac, ad quam tranſierant, domo maiori agerent in ſolitudine & clauſtro, & iam ſacras canere horas quietẽ inceperint. In eodem S. Iacobi vico, in quo domus, quæ inſtaurabatur, ſita erat, honeſta quædam & locuples commorabatur vidua, diuinis obſequijs addictiſsima, & eximiæ in egenos caritatis officijs ſpe- *Angebatur Tereſa, ne SS. Euchariſtiæ Sacramentũ ſurriperetur.*

Helena de Quiroga Metinense fundat monasterium.

ctabilis, (Helenæ de Quiroga erat ei nomen) quæ audito, quantum diuinam Teresa gloriam promouere satageret, ipsam adijt, vtque quamprimum sacellum aliquod Venerabili Eucharistiæ decenter asseruandæ exci-taretur, pecuniarium se subsidium allaturam spopondit, nec non in munimentum ac fabricam domus, in qua moniales à populo sequestratæ suis officijs quietiùs vacarent. Hoc comparato subsidio, admouere manum operi aggressa est Teresa, quod accurata sua diligentia, & eximia caritate Antonius Heredius Carmelitarum Prior mirum in modum prouexit, dum nimirum asiduè operas, coràm opus inspectando vrget, & maturarent hortatur. Ex quo factum est, vt vix bimestri ita instaurata sint omnia, vt eôdem redire Monialibus licuerit. Non deerant alij, qui vitæ necessarias oportunitates insigni pietate summitterent; sed cæteris Helena frequentiùs & copiosiùs. Nihil porrò hac illi in Dei seruas liberalitate deperijt, quin hanc longè copiosiori fœnore inauctam illi æquissimus omnium remunerator Deus rependit: primò namque de filiabus illius vnam, Hieronymam de Incarnatione eamdem in familiam cooptauit, in qua & multis olim, & nunc etiam non paucioribus illam accumulat gratijs. Deinde verò ipsammet Helenam, iam ab omni liberorum ac rei familiaris cura omninò expeditam, in eamdem, in quam olim filiam, domum transscripsit: in qua non vulgarem sanè & sibi ipsa bonorum collegit messem, & omnibus, quotquot eam nouimus, & cum ipsa tractauimus, eximiæ religionis exempla præbet: quæ hoc ipso, quo hæc commentamur tempore, Toletano domicilio præposita est, in quod vnà cum filia destinata est. hæc sacrâ iam assumptâ veste, Helena de IESV vocitatur. Vbi ad hoc domicilium rediere, ita iam ipsum restauratum erat, vt commodè satis ad annos aliquot in eodem sint commoratæ. Deus autem non hæc nutu suo modò prouexit principia, sed argentum quoque postea, quo venditrici satis tandem fieret, submisit. Vnde factum, vt in meliorem longè pòst formam & commodiorem transierit, & aliquot aureorum millibus illius impensa steterit. Porrò Teresa, etsi pecunia nulla suppetebat, non idcircò à necessarijs comparandis desistebat: nam simul ac aliquid perfectum esset, excitabat ilicò quosdam DEVS, qui sumptum præstarent, vt euidens nimirum fieret, à diuina opus hoc dextra proficisci, quantaq; illorum esse debeat fiducia ac securitas, qui Dei, eiusque sanctissimæ Matris cultui gloriæque amplificandæ sese totos & seriò deuouerunt. Quocirca nouos semper nihil diffidens in hunc Domini hortum Beata Mater surculos inserebat, eas omnes, quæ hisce conuenire initijs videbantur, & quas Dominus huc euocaret, haud grauatè adscribendo: in quas tam singularia interdum cœlitus ipse effundebat gratiarum dona, vt ijs visis non mediocriter Dei ancilla obstupesceret. Huc porrò ipsas inprimis inuitabāt primarum illarum virginum exempla: vnde fiebat, vt non minùs hæ quàm illæ ad Abulensiū sese institu-

Teresa sine pecunia necessaria domui curabat, & Deus illam procurabat.

institutum ac normam componerent, & permagni omnes à multitudine ac ciuibus vulgò fierent. Nec verò hic ærumnarum & laborum B. Matris fuit finis: nam & ipsa, & quas Abula aduexerat, comites dierum aliquot inualetudine prostratæ decubuerunt. Quoniam autem in huius fundationis historia enarranda iam versor, eius mihi rei in mentem hic venit, quam legisse aliàs memini, ipsius B. Matris exaratam manu, vti ex ijs, quæ dicta sunt hactenus, æquus lector videat, quàm ipsa fuerit à Domino benedicta. Quodam tempore cùm in Malagonio monasterio sacram adijsset synaxeos mensam, Redemptorem Iesum præsentem vidit, sibi tum inter alia mandantem, vt cœnobiorum suorum fundationes scripto cõsignaret. Hic cùm ipsa mente ac cogitatione volueret, quare in Metinensis erectione domus sibi nihil penitus (quod in alijs facere solebat) Deus aperuisset; confestim ab illo audiuit: *Quid amplius declarari tibi vis, cùm illa Metinensis fundatio non sine prodigio perfecta sit?*

## CAPVT X.

### *EXCALCEATORVM CARMELITARVM erectionem vrget: offertur illi domus Vallisoleti, in qua monasterium fundet. Complutense Excalceatarum cœnobium adit.*

DVM in Teresæ rebus promouendis Deus seriò incumbit, ipsa eadem in Dei vicissim negotijs perurgendis sedulitate ac studio collaborare non cessabat: quanquam nec prima illa ipsa pro suis habebat, nec eum, quem illis impendebat laborem, impendisset, nisi ad Dei eadem gloriam referri comperisset. Igitur cùm iam omnia, quæ in Metinensi excitanda domo occurrerant difficultatum incommoda, victrix exhausisset, & nulla iam amplius restarent subeunda, neu arduum aliquod se offerret opus, in quod accuratè se pro diuini nominis gloria totam impenderet; generosus illius quiescere non poterat animus, sibique insignem aliquam occasionem & opus auebat dari, in quod neruos omnes & curas posset intendere. Visum illi est igitur, non parum in Dei cessurum gloriam, si Excalceati etiam exsurgerent Monachi, qui eamdem, quam Monachę, vitę rationem inirent; cumque (vti in loco demonstrauimus) neminem haberet, quem ad hoc primum institutum perduceret, Antonium Heredium hac super re clàm conuenire, suique animi illi sensa aperire constituit, exploratura nimirum, quidnam hic sibi quoad postulata consuleret. Teresæ mẽtem vt Heredius perspexit, incredibili perfundi cœpit gaudio, &, Deo introrsum adspirãte, hoc sibi perplacere, ac primũ, qui institutũ hoc auspicaretur, fore se respõdit. Hæc quidem B. Mater verba parui pendit: quamquam

Excalceatos fũdare Monachos Teresa contẽdit.

Antoni⁹ Heredius ſeſe offert, vt Carmelitarum Excalceatorũ per ipſum ordo initium habeat.

quam enim eum & virum bonum, & religione, ſtudio, ac ſolitudine monaſtica ſingularem fuiſſe hactenus non ignorabat; delicatioris illi tamen naturæ, nec ad auſteritates factus, & qui ſubeundus erat, quemque ipſa in eodem ſeruari imprimis cupiebat, rigori ſeueritatique vitæ ad finem vſque continenter ferendæ impar videbatur. Atque vt animo id ſentiebat, ſic & illi coràm aperire minimè dubitabat. Cui ille, iam dudùm ſe, DEO ſuggerente, ad vitam aſperiorem aſpiraſſe, & idcircò Carthuſienſium exinde inſtitutum amplecti in animo habuiſſe. Placuere Tereſæ viri generoſitas & rationes, quas afferebat; penitus tamen huc ipſa non propendit, & nihil dum publicè illum auſpicari volebat, niſi priuatim, & in vmbra quodammodo ſui antè feciſſet periculum. Permagni quippe intereſſe videbat, illuſtris ædificij huius ſpiritualis ſolidum ac ſtabile fundamentum locari. Suaſit ergo, vt rei huius tantiſper conſilium intentionemque ſuſpenderet, dum priuatos intra parietes, & velut in ludo gymnaſtico aſſueſceret agere, quæ pòſt, voto obſtrictum, continenter eum ſeruare oportebat. Fuit illud huic Dei famulo velut tirocinium; cuius probatio & legitima fuit & integra, quia annua. Interim verò dum ſe ipſe domi probaret, illius etiam facere DEVS periculum, & longè exactius voluit, vt qui tanti erat operis futurus principium & fundamentum. Multis namque illum maleuolorum verberari permiſit calumnijs, frequentibus exagitari laboribus & perſecutionibus: è quibus omnibus adeò viriliter & nauiter emerſit, tantaque inde cumulatus eſt in animo fruge, vt melius atque exercitatius optari non poſſet ad futuram profeſsionem tirocinium. quod B. Matri longè accidit gratiſsimum. Per idem DEVS tempus alium eiuſdem inſtituti religioſum, Ioannem à Cruce, adoleſcentem Salmanticæ tum litteris operam dantem, eòdem perduxit. De cuius probitate ac religione ſocius eiuſdem luculentum reddidit apud B. Matrem teſtimonium. Hunc ipſamet conuenit, exploratura num huic is inſtituto idoneus videretur. Placuit is ita B. Matri, vt iam tum hunc illi quod moliebatur monaſterio initum optaret. Quod cùm & DEO videretur, commoda rei huius perficiendæ ſeſe tum dedit occaſio. Cùm enim ſermones varios inter ſe miſcerent, & ſuam Ioannes aperiendo mentem, de Carthuſienſi inſtituto aſſumendo ſe iam conſtituiſſe diceret; ilicò & ſuam Tereſa, & quid animo agitaret, declarans, rogat, non antè ad nouum illud inſtitutum amplectendum animum adijceret, quàm aliquod ipſa monaſterium conſtituiſſet; & hoc ipſum illi longè futurum vtilius. Si enim ad maiorem perfectionem aſpiraret; in maiorem DEI gloriam, ac multò fore certius, ſi in prima, ad quam à DEO vocatus erat, ſeſe religione perficeret, quàm in alia quapiam. fidem adoleſcens dedit, modò diutiùs æquo illius monaſterij erectio non differretur. Recreabant læta hæc piam Matrem initia, quòd duos iam viuos reperiſſet lapides in domus, quã dilectiſsimo

Tirocinium annuũ Antonij Heredij.

S. Ioannes à Cruce ſecũdus Excalceatus.

ſponſo

ſponſo ſuo conſtruere decreuerat, fundamento collocandos, etſi Antonius ſatis vſquequaque illi non faceret. quocirca non omnino diſplicuit, rem trahi ac differri; tum verò, quòd deeſſet locus ad inſtituendum idoneus. Eodem quoque tempore, quatuor nempe aut quinque antè menſibus, quàm ad Malagonenſe fundandum monaſterium (de quo proximè loquemur) abiret; ad illam adoleſcens genere nobilis, Deo ducente, acceſſit, etſi quod inde ſibi eſſet bonum ſecuturum, ipſe tum ignoraret. Beatæ Matri hic, ſi modò Valliſoleti erigere monaſterium vellet, domum, quam ibi habebat, vnà cum horto ſatis amplo & commodo, qui latè patentem etiam complecteretur vineam, annexo obtulit. Nec ficta aut inanis hęc fuit oblatio, cùm ſua ipſe ſponte huc propenderet, & vltroneo ex animo proficiſceretur, etſi alioquin ingentis domus eſſet pretij. Voluit autem quamprimum illius poſſeſſionem adiri: permagni quippe illius intererat, rem vrgeri, ac periculum erat in mora, etſi id tum quidem ipſe neſciret. Adoleſcenti huic nomen erat Bernardinus de Mendoſa, Comitis de Ribadauia filius, & Aluari Mendoſij Epiſcopi Abulenſis, & Mariæ Mendoſiæ frater. Hic cùm Abulæ apud germanum Antiſtitem ageret, ſæpè cum monialibus Excalceatis egerat, & quæ ab ijs acceperat, conſilijs ac monitis permultum profecerat. Erat is peculiari in Tereſam affectu ac ſtudio, quin illius etiam monachas colebat & in oculis gerebat, illarumque ſacrario ſacerdotalem apparatum è ſerico villoſo, nec non pluuiale & antependium altaris eſt elargitus. Hoc ex amore natum illi domus huius ipſæ donandæ deſiderium. hæc à flumine Vlmorum dicebatur, & in ea, vtpote ſuburbana, iam olim Commendator Maior Cobos recreare animum, & à curis grauioribus relaxare ſolebat. His de rebus Abulæ, etiam antequam Metinenſis domus excitaretur, agi cœptum: hinc apud beatam Matrem cùm per Olmedum illam fundatura proficiſceretur, tam Bernardinus ipſe, quàm pater eius, Comes de Ribadauia inſtabant, vt ad Valliſoletanam priùs fundandam animum adijceret.

Bernardinus Mendoſius fundator monaſterij Valliſoletani.

Metinenſibus ergo rebus conſtitutis, Maria Mendoſia Vbedam cum fratre Bernardino conceſſura, Tereſam etiam atque etiam rogauit, ſecum Complutum vſque venire ne grauaretur, quò alioquin etiam ipſa Mater, rei, quam pòſt narrabimus, conficiendæ cauſa properare intenderat. Hoc in itinere hanc ſuam Bernardinus, datis ea de re ſignatiſque tabulis, donationem ratam eſſe iuſſit. Tereſa illis digreſſis, Compluti ſubſtitit. Etſi verò ipſa locum hunc conſtruendo cœnobio parùm idoneum eſſe cerneret, quòd quarta circiter leucæ parte vrbe diſtaret; perſpecta tamen donantis pietate ac ſinceritate voluntatis, tum verò, quòd ſuburbani loci illius poſſeſſione ſemel adita, facilè inde in ciuitatem ſe commigraturam præſagiret; oblatum admiſit, eò ſeſe conferendi, ac monaſterij in vrbe adeò frequenti & illuſtri, quæque inde non mediocre commodum caperet, fundandi.

dandi animo: etsi, vt paulò pòst videbimus, non id ea, qua sperabatur, confici celeritate potuerit. Causa ergo itineris Complutensis B. Matri fuit hæc: Rogarat illam aliquoties, & quidem summis precibus Eleonora Mascarenia, nobilissima iuxtà ac religiosissima fœmina, vt Excalceatas Complutenses coràm propriam sui Ordinis formulam atque instituta edoceret, & quæ corrigenda conformandaque censeret, suo ea iudicio arbitrioque tolleret: idipsum quoque petierat quàm ardentissimè B. Mater Maria de Iesu, quam iam olim, vt primo diximus libro, hoc vt monasterium construeret, Deipara Mater per visum admonuit. Bimestri, eoque ampliùs, Compluti hæsit; vnde, confectis rebus, & nonnullis, quæ pernecessaria ad directionem eius videbantur, institutis, Toletum, atque inde Malagonem, vt proximo prosequemur capite, concessit.

Teresa Compluti Excalceatas edocet.

## CAPVT XI.

### *TERTIVM IN MVNICIPIO MALAGONE A sancto Iosepho denominatum Teresa excitat Monialibus Excalceatis monasterium.*

QVi felicem secundumque rerum suarum habere voluerit euentum, Altissimo easdem arbitro concredat, huius verò ipse vicissim negotia quàm potest diligentissimè promoueat: diuina namque illius maiestas omnipotentem manum suam admouebit, ac longè quàm sperare forsan ausit, plura præstabit. Teresæ ita contigisse iam videbimus: cùm enim maiori ipsa Dei gloriæ quærendæ omni studio incumberet, & accuratè studeret, hic monasteriorum illius fundationes cordi habebat, & illi quodammodo vltrò obtrudebat. Iam pauci ab oblato domicilio Vallisoletano elapsi erant menses, cùm vltrò Malagonem vt abiret, nouum eodem loco monasterium excitaturi rogata est, oblatis quin etiam omnibus ad hanc fundationem necessarijs. Hunc illi nuntium misit illustrissima matrona Aloisia de la Cerda Ducis Metinæ Cœli soror, cuius in ædibus Toleti multos hæsisse B. Matrem dies iam suprà quintodecimo libri superioris capite commemorauimus. Hæc namque, pro singulari sua pietate, & in rem Christianam affectu, cognito Teresæ alia fundandi monasteria factam esse à Superioribus cōpiam, illamque vsu familiari iam nosset, & mirificè erga eamdē afficeretur; summis ipsam precib. vrgere aggressa est, ad se Malagonē vt excurreret, cœnobiū sui instituti sodalib. exædificatura. Etsi verò pijs huius matronæ desiderijs facere satis Teresa perciperet; distulit tñ, ac fundationē admittere detrectauit. præuidebat enim, cùm exiguū id esset opidulū, necessariò annuis id domicilium stabiliendū prouentibus, quò vitæ necessaria subsidia compararentur; à quibus ipsa tamen maximoperè abhorrebat. Hac cum viris eruditis, vti solebat, si quādo dis-

Aloisia de la Cerda fundatrix monasterij Malagonensis.

difficultas ſe aliqua offerebat, de re communicabat, ac nominatim cũ Dominico Bannezio, qui beatæ Matri tum à confeſſionibus erat. Viſum illis, ſine piaculo hanc intermitti fundationem non poſſe: ac, cùm ſacri Concilij Tridentini auctoritate monaſterijs certi ſtabileſque cenſus concedantur, nefas videri hanc ob cauſam illius erectionem cœnobij omittere, in quo de Dei honore tam inſigniter promouendo ageretur. Tereſa igitur, quæ è virorum eruditorum ſemper cõſilio pendebat, ſuum verò nuſquam ipſa ſequebatur; ipſum, etſi perinuita, quòd id Aloiſia efflictim efflagitaret, admiſit. Huic Aloiſia, quæ ad vitam neceſſaria erant, quàm abundantiſſimè, ſingulos in annos prouentura, attribuit. In eam namque ſemper beata Mater ſententiam propendit, vt vel nullis monaſteria ſua cenſibus dotanda cenſeret, vel ſi admittendi fortè eſſent, ij ſufficerent, ne à quoquam vitæ neceſſaria emendicare moniales cogerentur. Fundationis tabulis iam in rei teſtimonium confectis, nonnullas Abula euocauit Moniales, quæ Malagonenſis initia cœnobij ponerent: ac domus Metinenſis præfectura Agneti de Ieſu commiſſa, eiuſque Vicaria conſtituta Anna de Incarnatione, quas ex Incarnationis egreſſas cœnobio, & cum beata Matre Metinam ad domus primordia conſtituenda aduectas diximus; Annam de Angelis, Mariam de S. Sacramento (quæ deinde morbis & ſenio grauis, inſignis patientiæ & religionis editis documentis Albæ deceſſit) nec non Mariam Magdalenam, Iſabellam de Ieſu, denique Iſabellam de ſancto Ioſepho Malagonem ſecum duxit: quarum vltimæ quatuor Incarnationis in monaſterio aliquando vixerant. Sub media verni temporis ieiunia anno huius ſeculi duodeſeptuageſimo, Toletum, vbi eam Aloiſia præſtolabatur, pertranſijt, Malagonem petens. Huius in familia cùm verſaretur, præ ea qua erat animi demiſſione, acceptas à Deo gratias ſupprimere quoad eius fieri poterat, ſatagebat; ſed eaſdem, quòd in ſuam illæ gloriam tenderent, Deus in lucem voluit proferre. Bis namque, alijs adſtantibus & inſpectantibus, mentis paſſa eſt exceſſum, quem ne ipſa celare quidem potuit. Vt diſcedendi Toleto commodum fuit tempus, vnà cum illis Aloiſia Malagonem petijt. quò cùm peruentum eſſet, octiduo, eoque amplius, cum ipſa in caſtello, ſecreto in loco moniales agere compulſæ ſunt, quòd nondum eſſet deſignata domus habitationis religioſæ vſibus, prout oportebat, parata. Dominica igitur Palmarum proxima hoc ritu & ordine ſuam primùm domum adiere: Vniuerſum in ſupplicantium ſpecie opidum ad arcem Aloiſię cũ effuſum accurriſſet; hoc præeunte illæ pallijs ſuis albis indutæ, & velis faciem opertę, egreſſæ, templum petiere: vnde ſacris Miſſarum ſolemnijs, ac diuini verbi prædicatione audita, ad ſuum, ſanctiſſ. Altaris Sacramẽto, & quę paulò antè ad tẽplum vſq; eas deduxerat ſupplicatione prægrediẽte, cœnobiũ perductæ ſunt, & inſigni cum pompa ac totius populi pietate ſacrum Euchariſtię pi-

*Tereſa ſufficientibus dotari cenſibus monaſteria, aut nullis volebat.*

pignus huc illatum. hunc autem in populo pietatis ſenſum excitarat pium Religioſorum hoc poſſeſſionem ſuam ritu adeuntium ſchema. Hoc igitur modo tertium eſt monaſterium, ſancto Ioſepho item dedicatum, (quòd in hunc ipſa Diuum peculiari ferretur affectu) conſtitutum. Quòd autem domus hæc haud procul à rerum venalium foro abeſſet, hinc pòſt eamdem viſum eſt, cùm meliùs paterent incommoda, commutare. Strepitus namque ac tumultus popularis, aliæque difficultates monialium quietem interturbabant. quare de alia, haud procul ab caſtello, excitanda domo placuit cum Aloiſia agere. A quo cùm nec illa conſilio abhorruiſſet, aliam eo quo beata Mater deſignarat loco, excitare, inſignis munificentiæ exemplo, non ſine magnis ſumptibus, non dubitauit. in qua, quod conditum eſt templum & monaſterium, monialium vſibus optimè conueniunt; & hæc ipſa eſt, quam etiam modò incolunt. Sed nefas fuerit ſilentio hic præterire, quod in ſecundæ domus huius fabrica, cùm propè ei faſtigium eſſet impoſitum, contigit. Hanc cùm Tereſa ſub veſperam adiſſet, iamiam huc cum monialibus transmigratura; negarunt operæ, ante ſemeſtre id perfectum opus atque habitationi commodum fore. hæc in Catharinæ virginis ac martyris peruigilio ab illis dicta ſunt. Malagonem porrò Tereſa cùm primùm pergeret, triſtes & peracerbas experta erat noctes, & iter durum: vnde tam affecto huc exhauſtoq; peruenit corpore, vt nullum ſibi eſſe in corpore cenſeret membrum, quod non grauem illi dolorem incuteret, vt lecto ſurgere præ virium imbecillitate haud poſſet. Illa nihilominus, vbi primùm illuxit, ſtrato ſe corripit, & domum viſens, comperit vera ſibi operas dixiſſe. quibus tamen illa, in feſto immaculatæ Conceptionis Deiparæ, quod in tertiumdecimum pòſt diem incidebat, huc ſe, nullas difficultates morando, tranſire dixit ſecum decreuiſſe. Quibus auditis operæ non parùm obſtupuere, remque fieri planè non poſſe iudicabant: nec verò minùs illius mirata eſt ſocia, quam adduxerat, diligentiam atque in opere perurgendo ſedulitatem, cùm ſuperiori eam nocte ægram adeò & confectam vidiſſet. Denique, re prout conſtituerat perfecta, illo quem deſignarat, B. Virginis feſto die moniales, ſolenni totius opidi vicinorumque pagorum concurſu ac feſto ritu, ac præeunte de more ſupplicatione, in qua ſanctiſſimum Domini corpus Moniales ſtipabant, in nouas ſuas tranſmigrarunt ædes. Quotidie verò, quamdiu ſtructura durauit, ſummo manè operas adibat, eaſque, vt ipſum vrgerent, identidem cohortabatur, ſimul etiam quæ facienda erant præſcribens, ipſa quoque ſordes prima ante alios euerrere ac rudera, ipſaſque ſporta die toto ſedula exportare, vt quotidie ad vndecimam noctis horam ſacrum Officij penſum perſolueret. Omnibus porrò iam peractis, ipſa Conceptionem Dei matris præcedente nocte, eadem, quæ ipſam, cùm primùm huc appulit, tenebat infirmitas, denuo membra corripuit, vt omnium propè illorum

*Tereſa ſanitatem recuperat dum monaſterium Malagone extruitur; quo perfecto iterum in morbum recidit.*

vſu

Digitized by Google

vſu priuata dolores pateretur grauiſſimos, vt nullum toto in corpore expers doloris eſſet membrum. Haud obſcurè vt videret non aliter ſe Domino miſerante à morbo ſolutam fuiſſe, quàm vt operi huic promotrix inuigilaret: quo iam demum ad faſtigium perducto, morbus poſtliminio redijt, & diebus aliquot miſeram lecto affixit. Vt primùm haberi cœpta domus eſt, dedit beata Mater operam, vt quam tantopere diligebat, paupertas ne minimùm quidem infringeretur, etſi vectigal ei cœnobio annuum eſſet contributũ, cùm id illa incommodũ euitare minimè potuiſſet. quare, quãtum in ipſa fuit, curauit, ne quid ſingulare monialium aliqua priuatim poſſideret, ſed, vt, quas decreuiſſet, Conſtitutiones integrè & ad vnguem, vti in alijs domibus paupertatem colentibus fieri ſolebat, ſeruarentur. Quoniam verò illi vſquequaque non placebat exactam hac in domo ad exemplum aliarum paupertatem non coli (quamquam ſuum hac in re aliorum doctiorum aliter conſulentium ipſa iudicio poſthabuit) conſolari ancillam ſuam Dominus, antequam inde recederet, eſt dignatus, nec non planum facere, quàm ſit demum laudabile atque vtile, proprio nos alienum iudicium ſententiamque præferre, cùm præſertim in illorum partes opinionemque gratanter concedimus, quorum dictis meritò credere nos oportet. Quadam die, cùm ab Euchariſtica ſurrexiſſet menſa, & orationi iam feruenter inſtaret, ex hac ſibi domo inſignem prouenturam gloriam Dominus illi aperuit. Quod haud multis pòſt annis reipſa videri licuit, vti illius teſtimonium propria exaratum in charta manu fidem faciet. Ait igitur: *Poſtridie diei cinerum cùm in ſancti Ioſephi Malagone viuificum Euchariſtiæ panem ſumpſiſſem, imaginaria in viſione ſe mihi ſpectandum Dominus, vti conſueuit, exhibuit: quem cùm curioſius intuerer, ſpinei ſerti loco aliam mirifici ſplendoris in capite illius vidi radiare coronam, à qua totum etiam ambiebatur, idq;, vt mihi quidem apparebat, in ipſo plagarum, quas ſpina infixerant, loco, atque, vt erga hoc ſemper myſterium mirè affecta fui, permagnam inde voluptatem hauſi, ac mecum ipſa cœpi perpendere, quantum hac ipſi corona tormentum attuliſſet, cùm id genus plagas illi inflixiſſet. cumq; hoc me maiorem in modum affligeret; tum Dominus, Non eſt, inquit, vt haſce ob plagas mei cõmiſeratione tangaris, ſed ob innumeras illas, quæ hodierna die mihi infliguntur. Petij igitur, ecquonam ipſa modo rei huic mederi poſſim, & ad omnia idcircò ſubeunda me paratiſſimam eſſe declaraui. Negauit ipſe iam quieſcendi tempus eſſe, ſed, vt in domibus condendis pergerem, eſt adhortatus, cùm animabus in iiſdem degentium ſe pacem habiturum, ac quietem ſpondens. Suaſit inſuper, vt quotquot mihi offerrentur, illas admitterem: permultas namque animas, quòd quò ſeſe recipiant non habeant, ideò minùs obſequio ſe diuino dedicare. Addidit, vt, quas exiguis in opidulis erigerem, ad huius ea exemplum erigerentur, non minùs in his quàm in alijs moniales aſſerens poſſe proficere, modò eadem, quæ in alijs obſeruantur, ſeruare non renuant. ſimul etiam pro viribus monuit contenderem, vt vnius Superioris auctoritate omnes regerentur, quin etiam operam darem, ne, ob ni-*

Paupertas obſeruata in monaſterio Malagonenſi, etſi cenſibus inſtructo.

Alieno cõſilio acquieſcere bonũ.

Dominus Tereſæ ſe exhibet.

*miam corpori necessariorum curam, interna animae pax turbaretur ac periclitaretur. Denique procuraturum se, ne quid illorum nobis vnquam deesset, spopondit.*

Bimestri aut circiter Malagonensi in cœnobio B. Mater est morata; cui cùm Annam ab Angelis praefecisset, inde demum abijt, quòd nullam ei mens quietem, ob eam quam proximè sequenti capite narrabimus rationem, identidem agitata concederet.

## CAPVT XII.

*QVARTVM CONCEPTIONI BEATISSIMAE Virginis de Monte Carmelo dicatum Teresa Vallisoleti monasterium condit. quam Deus nobili Equiti, qui domum simul & hortum hunc in vsum contribuerat, mercedem rependerit.*

IAM duo propemodum effluxerant menses, ex quo illustris ille Eques Bernardinus de Mendosa suam beatae Matri obtulit domum, & scripto donationem consignauit, vt in illa Vallisoleti monasterium suis construeret; cùm repente acri symptomate opprimitur, & adeò quidem praecipiti, vt omni linguę priuatus vsu, ne expiare quidem vitae maculas oris confessione potuerit, etsi interni ob offensum Numen doloris plurima daret argumẽta. Igitur celeriter admodum ac raptim hac è vita abripitur, Teresa procul inde agente: mors namque illum Vbedae oppresit, dum hęc Compluti versaretur; quo demum loco tristem de illius excessu nuntium accepit. Quo cùm non mediocriter angeretur, metuens, ne tartareis forsitan anima haec supplicijs excruciaretur, ideoque pro viribus supremo conditori ac iudici Deo eam commendaret; per visum illi Dominus in summo quidem salutem Bernardini discrimine versatam indicauit, at se eius misertum, quòd clementissimae Matri suae, hanc illi offerendo domum, è qua Ordinis illi dedicati Sodalibus monasterium pararetur, gratissimum obsequium praestitisset; atque hunc non antè purgatorio liberandum igne, quàm prima in eodem Deo offerretur ad altare hostia. His auditis Teresa, vt incredibili caritate praecordia eiusdem aestuabant, quiescere nequaquam poterat; quòd praesentes sibi continenter graues illos haberet cruciatus, quibus anima illa apud inferos torqueretur. Omne itaq; illi tempus nimis quàm longum videbatur, quo vrgentibus negotijs impediebatur, quò minùs Vallisoletum quantocius euolaret, & quoquo modo poterat, suum conderet monasterium. Atq; hoc

Quantũ Bernardino de Mẽdosa profuerit domum suam dedisse in vsum monasterij.

hoc in cauſa fuit, cur Malagone diutiùs non hæſerit, nec Toletum, vti quidem optabat, contenderit. Non tam citò tamen, ac quidem volebat, Valliſoletum ſe potuit conferre, quòd Abulenſe eam domicilium ſuæ curæ concreditum interuiſere neceſſariò oporteret. Ergo ad dies aliquot Abulæ ſubſtitit, vti & Metinæ, quò deinde conceſſit. Vt verò planum fiat, quanta ipſummet Dominum animarum Purgatorio detentarum capiat miſeratio, quamque ſit illi omne acceptum, quod in ipſarum ſolutionem impenditur officium; ipſe quodam tempore, cùm beatam Matrem ad ingruentes de nouo difficultates expediendas moras hinc inde videret nectere, illam inter orandum, vt feſtinè abitum maturaret, commonefacere à ſua alienum clementia non duxit, quòd acerrimis an[illegible] hæc tormentis cruciaretur. Miſerat non multò ante id tempus Iulianum [illegible] Auila Valliſoletum Mater, quò Abbatis ad hoc fundandum cœnobium facultatem impetraret. Hoc in itinere Olmedum contendit, vt hac de re Aluarum Mendoſium Abulenſem Epiſcopum ibi tum agentem conueniret, vt illius auctoritate ac gratia ſubnixus, hoc eam citiùs obtineret. Hoc Antiſtes in negotio, vti & in aliјs, quæ B. Matri occurrebant, quantum potuit ſtudij atque operæ præſtitit, vnaque cum Iuliano Ioannem Carrillium, qui ſibi tum quidem à ſecretis erat, at modò Eccleſiæ Abulenſis Theſaurarius ac Quæſtor eſt, miſit. Etſi verò impetrari facultas non niſi ægerrimè potuit, quòd cenſu ac reditu annuo monaſterium id carere deberet, & domus, è qua tum quidem conſtituendum erat, vrbe procul diſtaret; Tereſa tamen, cùm Domino Ieſu excitante, tum ſua ipſa ſponte non mediocriter incitata, prout potuit, itineri ſe non multò poſt dedit, etſi ad ipſum parum inſtructa, & IV. Idus Aug. ſæculi huius annó duodeſeptuageſimo, ipſis B. Martyri Laurentio ſacris ferijs Valliſoletum eſt ingreſſa. Huius in conſtituenda cœnobij primordia delecta eſt à B. Matre Iſabella Arias, quam alijs poſt acceſſuris tum præpoſuit, & Antonia à S. Spiritu, quam Malagone ſecum eduxerat, & Maria de Cruce, quæ de quatuor primarum fuerat numero. Ex Incarnationis verò ſubſecutæ ſunt Iuliana de ſancta Magdalena, Maria de Viſitatione cognominatæ; ad quas quinto demum pòſt menſe acceſſit Maria de ſancto Ioanne Baptiſta; quòd hanc Maria Mendoſia ſingillatim expeteret. Vt primùm ſuis domum oculis coràm inſpexit, magnoperè turbari ac dolere cœpit: etſi enim amœna & animis relaxandis accommoda foret, quòd peregregium annexum haberet hortum; iam tum tamen facilè perſpiciebat, non ſine ingentibus intolerabilibuſque ibidem ſuas poſſe commorari ſumptibus, &, quòd propter flumen ſita erat, inſalubrem fore hauddubiè videri. Sed nullum ea de re Tereſa verbum apud ſuas, ne eas fortè contriſtaret; Deoque nixa ſperabat, hunc, cùm eò ſe euocaſſet, de loco etiam, vbi commodè agerent, proſpecturum. Inter hæc ipſa fabros clanculò euocat,

Dominus Ieſus animarum purgatorio addictarũ imprimis miſeretur.



Digitized by Google

erat, muroſque iubet hinc inde reſarciri, vt vndiquaque ſolitudini parata domo, externorum acceſſus aſpectuſque arceretur. Nec interea Iuliani de Auila in facultate obtinenda ceſſabat induſtria,quę antequam cōcederetur,Dominica iam dies aderat. Verùm cùm iam Abbas eam ad ſacrum eo quem ad hoc pararant loco,offerēdum conceſſiſſet, Iulianus haud cunctandum ratus, ſacrorum primitias ibidem Deo obtulit. Qui cùm ſacroſancti Tereſam Sacramenti participem ſub ſacrum facturus accederet, in admirabilem, prout ante vel poſt Dominici corporis ſumptionem illi ſollenne erat,mentis exceſſum eam vidit abreptam. Huius cauſa fuit apparens ante diuinam Synaxin Bernardinus Mendoſius, domus hortique quem incolebant olim dominus,ore decoro,vultuque hilari ac ſplendido; qui complicatis manibus immenſas illi agebat ob acceptum per eius operam liberationis è purgatorij cruciatibus beneficium gratias. quo dicto ac facto, iam gloria donandus in Superorum lætus euolauit tabernacula. Mirifice hocce Tereſam viſum recreauit;idque eò magis,quòd dicta ſibi à Domino nuper nonniſi perfecto planè iam cœnobio adimplenda crederet, ac tum demum, primis celebratis ſacrorum ſolennijs, Bernardinum pœnis purgantibus ſoluendū.Iam aſſumptę in cęlos Virginis glorioſiſſimæ feriæ aderant, quæ in quintumdecimum eiuſdem menſis diem incidunt; cùm facultatis impetrato diplomate domus eo ritu adita eſt poſſeſſio,quo iam nuper Metinenſis,eique à Conceptione B. Virginis de monte Carmelo viſum eſt nomen imponere. Ad dies aliquot in eadem moniales diuerſatæ ſunt: quam etſi haud ita mox deſeruerint, ad aliam commigraturæ;reticulatos tamen Tereſa inibi cancellos,atq; verſatilem orbem parari iuſſit, quo perfectam clauſtri formam locus referret, perinde ac ſi longior ibidem futura eſſet commoratio.

*Bernardini Mendoſij anima Purgatorij pœnis ſoluta, Tereſæ apparet.*

Idem ſub tempus omnes ad vnum ſodales ex loci intemperie ortus morbus proſtrauit.Quo perſpecto Maria Mendoſia,non genere minùs ac facultatibus,quàm prędſtanti pietate & in egenos liberalitate conſpicua fœmina, Magni Commendatoris Cobos vxor, & Marchionis Camaraſeni mater, quòd B. Matrem longo iam vſu noſſet, (erat enim Epiſcopi Abulenſis ſoror) & eſſet in ipſam, erogandis non rarò eleemoſynis, propenſa; ſingulis neceſſaria adhiberi curationis officia imperauit. Quòd autem vitæ religioſæ vſibus domus hæc parum commoda videretur, cùm quia ab vrbe erat remotior, vt propterea non ita facilè neceſſaria vitæ trahendæ ſubſidia comparanda viderentur,tum quia inſalubris,& morbis obnoxius is locus erat; Tereſę facili ipſa negotio perſuaſit,hanc ſibi vt cederet,aliam eius ſe loco coēpturam ſpondēs. Vt dixit, fecit. Nec verò ſatis habuit domum illis ſimul & templum inſtituti apta rationibus attribuiſſe;ſed cūcta etiā neceſſaria,inſigni cū liberalitate exinde aſſiduò eis impertiri graue non duxit. In nouas haſce ædes 3. Non. Febr. anno ſeculi noſtri vndeſeptuageſi-

Digitized by Google

geſimo, ipſis D. Blaſij Epiſcopi & Martyris ferijs, idque ſolenni ſupplicantis populi ritu, & mira omnium congratulatione migratum eſt. Quæ deinde eò maiora cepit incrementa, quòd hanc in domum eæ pòſt adlectæ ſint moniales, quę mira ſanctitate claruerunt, ac de quibus multa ſcribenda forent, ſi ſuus eſſet hic locus. His peractis, allatæ haud multò pòſt ad Tereſam Toleto ſunt litteræ, vt & illuc cœnobium erectura (quod quidem ipſa iam dudũ percupiebat) concederet. Diutiùs ergo hic commorari cùm minimè licuiſſet, Iſabellam Arias, quæ pòſt à Cruce nomen eſt mutuata, monaſterio præponens, illiuſque in regimine vicariam Mariam à Sancto Ioanne Baptiſta conſtituens, Abulam ſumma celeritate contendit, inde Toletum abitura.

## CAPVT XIII.

### *QVINTVM TOLETI EXCITAT MONAſterium, à S. Ioſepho itidem cognominatum.*

PAuculis illis, quibus Abulæ Tereſa hæſit diebus, vti & illis, quibus inde Toletum profecta eſt, minimè otioſa aut iners fuit, nec animum captandis recreationibus relaxauit: Sed omni, quo potuit, ſtudio connixa eſt, vt aliquod fratribus Excalceatis excitaretur monaſterium. At quoniam continua de illis agere fundationibus ſerie animus eſt, quidquid verò ad B. Tereſam ſpectat, conglobatim & ordinatim reddere; cœptum dein vſum monialium, monaſteriorum erectione narrationis filum nolo abrumpere, donec Excalceatorum congregationibus ſuus ſit narrandi locus ac tempus. Cæterùm Toletani monaſterij fundandi hæc fuit occaſio & initium. Commorabatur Toleti vir honorabilis, ac diuini Numinis imprimis reuerens, Martinus Ramirius, negotiator induſtrius, & opulentus; qui, quia illiberis erat (nullum enim connubium inierat) ſuis ex opibus illuſtre aliquod ad poſteritatem monumentum in pios vſus excitare decreuit; atque imprimis (quò ſemper propenderat) aliquot in Eccleſia quadam parochiali Toleti Sacellanis ſacerdotia ſuis dotata cenſibus conſtituere. Hunc ergo morti iam vicinum Paulus Fernandius, Societatis IESV ſacerdos, vir doctus ac pius in primis (Tereſam hic nouerat, & illi Toleto Malagonem ad excitandum monaſterium properanti in culparum confeſſione operam dederat: quo vnico ex congreſſu ac colloquio tantam de eximia illius ſanctitate & prudentia opinionem concepit, vt hoc de ea dare teſtimonium non dubitarit: *Mater Tereſa de Ieſu magna quadam eſt fœmina, iam inde à tecto vſque ad imum, & à tecto rurſus vſque ad ſummum, imò etiam maior*) inuiſit; &, quòd Toleti Excalceatis erigi condique cœnobium cumprimis optaret, auctor fuit, vt, ſi aliquod Deo datori è ſuis obſequium pe- (Hiſpanica phraſi denotatur, magnum eſſe quępiam tã in reb. infe-)

 cunijs

riorib. & humanis, quã ſublimiori-bus & ſpiritualibus.

cunijs præſtare, ac dignum nomine ſuo monumentum ſupereſſe vellet; oblata iam commoda occaſione, Excalceatis domum ac templum conſtrui teſtamenti tabulis iuberet: quod videlicet opus in maximam aſſerebat DEI creatoris ceſſurum gloriam, & in quo quæ cogitarat ſacerdotia eadé poſſent opera fundari. Ea porrò Ramirij fuit imbecillitas, adeoq; ſe morti putabat vicinum, vt, cùm ſibi & vires, & tempus ad hęc conſtituenda neceſſaria minimè ſuffectura crederet; rem omnem fratri Alfonſo Aluario viro prudenti, nauó, religioſo, ſincero, atque in egenos profuſo commiſerit, vt hoc ille in negotio pro ſua exequeretur prudétia, quod Dei Opt. Max. gloriç obſequioq; côuenientiſsimum iudicaret. Martinum autem tum ex hac vita excedere contigit, cùm Valliſoleti Tereſa ageret: vbi etiam Pauli Fernandij, nec non Alfonſi Aluarij litteræ illi ſunt redditæ, quibus ſuum illi animum conſiliumq; ſignificarunt, eamq; Toletum, ſi hanc admittere fundationem vellet, extemplò ſe vt conferat, inuitarunt. Hanc illa ob cauſam feſtinè Valliſoleto, vti dictum eſt, diſcedens, 9. Kalend. Apriles anni vndeſeptuageſimi, pridie eius diei, qua Virgineo in vtero Verbum caro factum eſt, Toletum peruenit. Diuertit ad Aloiſiam de la Cerda Malagonẽſis domus fundatricem, à qua & perhumaniter & amanter excepta fuit, quòd ab illa in oculis ferretur. Duas ſecum ſocias duxit, Abulenſi è cœnobio euocatas, Matrem Iſabellam de S. Dominico, & Iſabellam de S. Paulo: quibus ſecretum ac priuatum confeſtim attributũ de more cubiculum, in quo ſuis, prout in monaſterio ſolebant, religioſis exercitijs ſine turba vacarent. Tereſa nihil cunctandum rata, cum Alfonſo Aluario quamprimum ſuis de rebus agere inſtituit; quem ſuas illico in partes voluntatemq; haud inuitè ſequentem pertraxit. Verùm ſecunda hæc & proſpera initia triſtioribus temperare Dominus caſib⁹ cupiens, per Alfonſi Aluarij generũ, cuius ille conſiliũ hac in re permagni faciebat, aliquam rei cœptæ difficultatem mouit. Generi ſuaſu Alfonſus multas B. Matri conditiones parum æquas, & ſtatui Religioſo diſſentaneas proponebat, in quas ipſa vt conſentiret, rogabatur. Interim tamen alia pretio elocanda ſedulò tota vrbe domus conquirebatur, vt aliqua ſaltem capiundæ poſſeſsionis fierent initia, & pedem Excalceatæ Toleti figerent. ſed irrito conatu. Tereſa inter hęc locandi domicilij ab vrbis Gubernatore ſibi facultatem fieri enixè poſtulabat. Ea namque tempeſtate Archiepiſcopum vrbs non habebat, & Archiepiſcopatũ cum poteſtate vicaria moderabatur Gomius Tellus Gironius, Licentiatus. In caſſum omnis B. Matris conatus erat. nam nullis obtineri à Præfecto ea facultas precibus poterat, etſi eam quàm ſtudioſiſsimè efflagitarent hinc Aloiſia de la Cerda, illinc Petrus Manricius, Supremi Caſtellæ Præfecti filius, & Canonicus Toletanus; qui haud multò pòſt tempore cùm Societati Ieſu ſe dicaſſet, in eadem vitam religioſam morte ſanctiori cócluſit. Etſi verò iam Gubernator quodam videretur modo mitigatus, & cœptis fauere; Archiepiſco-

Digitized by Google

piſcopalis tamen Concilij aſſeſſores conſultoreſq; ſumma contentione ſeſe opponebāt. Iam cum Alfonſo Aluario tranſigenda haud lætiorem res exitum habuit, vel ſucceſſum : nam quidquid effectū erat hacten⁹, ſimul penitus concidit, & in auras euanuit. Ergo, cùm & itineris labores, & expenſæ non vulgares, ſudor item omnis & contentio, & diuturnior temporis mora (bimeſtre namq; ipſum hoc in negotio curando tranſactum erat) fruſtra eſſent, deeſſe ſibi Tereſa vidit & argentū, & domū, & facultatem Superiorū ad ſperatam monaſterij fundationem inchoandam. Quò igitur ſe verteret, ignorabat; retro tamen, vnde abierat, re irrita reuerti pigebat. omnia ergo noua illi pœnarū materia erant. Nihil verò eam affligebat magis, quā denegata facultas Superiorū : hac namq; habita, Deo freta, reliqua ex voto ſibi ceſſura ſperabat. Non iam igitur aliorū amplius in hac impetranda operam adhibere (cōperit namq; non deeſſe, qui Præfectū ab hac re clanculò deterrerent, ſiniſtris eum de ſe ſuiſq; opinionib. opplentes) ſed per ſe rem omnē ſtatuit peragere. Quamobrē in templū ædibus Præfecti vicinū concedens, miſſo illū nuntio ad ſecum colloquendū inuitauit. Ille vt conſtituto adfuit loco, Tereſa, etſi in ſermone placida ac perbenigna, ipſe ecōtra vir princeps eſſet, & dignitate tanta conſpicuus; ſancta tamen quadā ſpiritus libertate in hæc eum verba compellauit : *Iam duo & amplius, clariſſime Domine, elapſi ſunt menſes, ex quo in hanc ipſa vrbē veni, non aut eius videndæ, aut animi remittēdi, ſed ſolius Dei gloriæ quærendæ, ac ſalutis animarū procurandæ cauſa; & eius, quod in nōnullis alijs Hiſpaniæ vrbib. diuinæ eius Maieſtati præſtiti obſequiū, id in illuſtri hac ēt vrbe, quà poſſim, præſtādi, Excalceatis videlicet monialib. primigeniam B. Virginis de monte Carmelo regulā obſeruantib. monaſteriū excitando. in quā rem ēt aliquot mecū ſodales ſumpſi. Erat hoc ſingulari doctrina, virtute ac dignitate Tua dignū aliquā miſeris hiſce fœminis in ſancto adeò propoſito ac cœpto opem afferre, eaſq;, vt in eo alacriter ꝓgrediantur, cùm hunc dignitatis Tibi Deus locū dederit, exhortari. Nullum tamen horū hactenus ipſa vidi documentū aut ſignū. tanto enim tēpore nec facultatē à Te petentiū auctoritas, nec euidētiſſima cauſæ noſtræ æquitas hanc à Te vlla ratione impetrare potuere. Eſt ſanè duriſſimū, neminē tota reperiri vrbe, qui Religioſarū, omni ope deſtitutarū, & ſolius Dei cauſâ tantā vitæ ſeueritatē, perfectionē, ſolitudinē, & adeò ſincerā à rerū mundanarū cōmercio alienationē ſectantiū patrociniū ſuſcipiat; quin ēt eos, quib. nihil horū curæ eſt, ſed ecōtra cōmodè agūt, vitæq; delicias affectātur, opus Dei gloriæ in tantū ꝓmouēdæ inſtitutū omni animi ſtudio ac contētione ſubuertere conari. Non deſunt nobis, in quib. cōmoremur, domus, ad quas ſi redierimus, nō multū ſanè amiſerimus, cū ꝗ in hoc mūdo amittamus, vix quidq̃ nobis ſit reliqui: ſed cōſideres & ꝑſpicias velim, quantū inde potiùs vrbi huic ſit acceſſurū diſpēdiū, & q̃ minimè id è re eius futurū. Si verò tuâ hæc res operâ intercidat, nec ad exitū, quē ſperabamus, ꝑducatur, q̇d in tui apud ſupremū mortaliū Iudicē Chriſtū, cui⁹ vnius cauſa & ductu huc venimus, purgationē allaturus ſis, tecū velim cogites: ꝓgnātē quippe, q̃ tūc ꝓducere queas, rationē nō video, ſi rē hāc Deo, à quo ad hāc ideò es dignitatē electus, vt oī ſtudio quidq̇d ad ipſi tēdit obſequiū, ꝓuehere ſatagas, acceptiſſimā impedias.* His

Qua Tereſa libertate Toletanum Præfectū ſit allocuta.

His alijſq; id genus rationibus, quas mira quadam verborum libertate ac generoſitate, quam tum quidem DEVS illi indidit, B. Mater in medium attulit, ita Præfectum permouit; vt, antequam templo digrederetur, facultatem obtinuerit, etſi non eam, quam volebat: hanc enim ille conditionem interpoſuit, vt nouo nollet monaſterio aut vectigal annuum, aut tutorem, fundatoremq; vllum attribui. Hæc tamen Tereſæ ita fecit ſatis, vt iam ſummam ſe votorum conſecutam iudicaret. Quam in monaſterij fundationem poſsidebat pecuniam, tribus ea quatuorve ad ſummum conſtabat aureis: ipſa tamen, donec alij conferrentur, non exſpectans, nec hos etiam aſſeruare volens, duas in tela pictas coemit imagines in altari collocádas (& hic templi futurus erat ornatus) duas item culcitas ſtramineas, ac lodicem, quæ futuri erat cœnobij ſupellex. De domo inuenienda nulla omninò ſpes erat; quæ etiam cum Alfonſo Aluario ineunda erat conuentio, iam prorſus conciderat.

Quæ Tereſæ fuerit Toleti fundandi monaſterij pecunia capitalis.

Habitabat per idem tempus Toleti negotiator induſtrius, ac religioſus, alius Alfonſus, Arula cognomento, officijs caritatis addictiſsimus. Hic Tereſæ notus erat, eique ædes ſe comparaturum ſpoponderat: at, quia ijs ipſis diebus lecto æger decumbebat, illi, prout volebat, opitulari non poterat. Sed qui numquam ei deerat Dominus, alia illi ratione, quæ cuipiam, ne in mentem quidem veniat, de domo proſpexit. Sub id tempus Toletum venit Martinus Crucius, ex cœtu Franciſcanorum, vir religione inclytus, Tereſęque adiuuandę percupidus. Verùm antequam in viam ſe daret, adoleſcentem ad illam præmiſit, Andradium cognomine, non opulentum illũ quidem, ſed cui confitenti ipſe Crucius operam dare ſolitus erat; huic in mandatis dedit, vt, quidquid illi B. Mater iniungeret, ſedulò & accuratè exequeretur. Is ergo Tereſam cùm acceſsiſſet, & promptæ quidem ſuæ voluntatis edidiſſet documentum; ſed quantum ex ipſius poterat verbis colligi, non alia ſe illi re, quàm ſemetipſo vſui auxiliove eſſe poſſe declaraſſet; ipſa (quæ illius erat gratitudo) immenſas ob pium hocce illi deſiderium gratias egit. Sed illo digreſſo, apud ſe ipſa ſubridere, multò etiam ſodales illius cœpere, ob tam inutilem ſibi à Crucio adiutorem ſubmiſſum: cùm neque ob exteriorem veſtitum videretur ad colloquium cum Excalceatis monialibus admittendus, imò nulla penitus inſtructus dote, ob quam vſui futurus videri poſſet: vt & ſubuereri Mater Iſabella de S. Dominico cœperit, ne quis ſiniſtri quid opinaretur, viſo adoleſcentem hunc laicum cum Tereſa ac ſecum colloqui. Cui lepidè Mater, Tace, obſecro, in præſens: quid enim de nobis quis, obſecro, cogitet praui, quæ pauperculis peregrinatricibus haud abſimiles videmur? Verùm cùm deinde habere ſe videret neminem, qui, prout oportebat, clàm domum ſibi cõquireret, Andradio hoc placuit negotium committere. hoc illa ſocijs conſilium cùm aperuiſſet, ridere non modicè incipientes, hoc conſultum videri negarunt, quòd ſuum

hoc

Digitized by Google

hoc pacto in vulgus emanaturum conſilium, ac penitus collapſura, quæ moliebantur opera, arbitrarentur. Parum hoc morata Tereſa, illarum flocci pendit conſilia, vt quæ altioribus & cauſis & ductu regeretur. Credebat enim, cùm à ſancto illo ſibi Andradius deſtinatus eſſet viro, non poſſe non vtilem aliquatenus fore, nec fruſtra ab illo miſſum videri. Huic igitur aduocato, & rem, quàm poterat maximè ſupprimere iuſſo, negotium conquirendarum ædium iniungit, dato in conductionis pretium, qui fideiuberet: cui rei Alfonſum Auilam animo iam tum deſtinabat. Habuit rem cordi Andradius, & poſtridie manè Tereſæ, in templo Patrum Societatis IESV ſacra Miſſarum audienti, domum ſe in vicinia reperiſſe nuntiat (quòd haud procul à Sancti Benedicti abeſſet) & illius ſe deferre claues, vt cùm alluberet, eam inſpiceret. Inſpecta placuit Beatæ Matri; vt etiam integro dein anno eamdem incoluerint. Hoc porrò ipſa non parum tum obſtupuit; quin etiam poſtea, quotieſcumque fundationis huius recordabatur, noua ſemper hoc illi ſtuporis erat occaſio, quibus Deus medijs vteretur, conſideranti; cùm, quòd trimeſtri penè ſpatio tota paſſim aſſiduoque quæritantes vrbe ditiores reperire non potuere, medio id adoleſcens hic aduena die repererit; cumque ſine vlla prorſus moleſtia monaſterium fundari potuiſſet (vti quidem poterat, ſi Alfonſo Aluario aſſenſum eſſet) hunc idcirco conatum intercidiſſe videri, vt nonniſi cum paupertate & difficultate propoſitæ fundationis opus perficeretur, ipſaque DEI in ſuas prouidentia clariùs eluceſceret. Tereſa, vt numquam tergiuerſabatur, nec vel momentum effluere ſinebat, quo, quæ neceſſaria erant, non promoueret, ad has ſe transferre ædes quàm maximè cupiebat, ac ſui monaſterij antè poſſeſsionem auſpicari, quàm in eis quidquam adaptaretur, ne quod aliunde impedimentum incideret. Tametſi hoc ipſo tempore permulti tum auctoritate, tum pietate ſpectabiles viri, à quibus identidem interuiſebatur, nonniſi temerarium dicerent aliquod ſine maiori certitudine cœnobium fundare velle, atque id perinde eſſe ac domicilium in aere locare, multis verbis aſſererent: quin imò indecens cenſerent, & indecorum conductitijs in ædibus ſacrum Altaris Sacramentum exponere; nec non alia id genus complura in medium afferrent, quæ, ſi humana res prudentia metienda foret, conſultò ſpectanda videbantur. Sed, quòd diuinâ Tereſa regeretur, parum hæc aut ipſam mouerunt, aut à propoſito vrgendo deterruerunt. quin potius magna accuratione diligentiaque ſuis domum vſibus centum illis, quos ab œconomi Aloiſiæ de la Cerda vxore mutuo ſumpſerat, argenteis, quòd quidquid Toletum attulerat nummorum, iam abſumptum eſſet, inſtruebat. Nec verò Andradij hic conquieuit induſtria, quòd gratum aliquod Deo præſtare obſequium omni contentione deſideraret, & hoc illi in negotio, ſi quam poſſet, opem afferre. Effecit itaque, vt qui eamdem incolerent domum, breui ſe inde

ſubducerent. His migrantibus, B. Matri ſignificauit, ſuam vt huc ſupellectilem conueheret. Cui renidens atq; ore blando Tereſa, Breui hoc fecerimus Andradi; vbi namque duas inuexerimus culcitas, & lodicem vnam, vniuerſum noſtrum inſtrumentum adduxerimus. Non placuit hocce ſodalibus B. Matris reſponſum, mirantibus cur huic ita ſe ſuaq; manifeſtaſſet. Verebantur enim, ne, perſpecta ipſarum paupertate, à præſtando ſibi poſthac obſequio fieret alienior. Sed ab hiſce timoribus & longè aberat B. Mater, & ipſe propter hanc cauſam Andradius ab eo, quod poterat, præſtando nequidquam deterritus eſt obſequio. quin adeò ſe nauum, ſedulumq; exhibuit, operas fabriles adducendo, & domum concinnando, vt in illius iam perfectæ videndæ deſiderio ne ipſis quidem monialibus quidquam videretur concedere.

Tereſæ paupertas.

## CAPVT XIV.

*FVNDATIO TOLETANA PERFICITVR: Magnæ, quæ deinde coortæ ſunt, difficultates enarrantur: ſed, Domino dante, mira eius facta ſunt incrementa.*

HIs ad votum conſtitutis, iam qui ad Miſſæ ſacrificium celebrandum neceſſarius videbatur apparatus, Tereſa conquiſiuit. Ergo poſt ſolis occaſum, cum quodam fabro, parua pręſonante nola, quarum eſt ad Eleuationem ſalutaris hoſtiæ in Miſſa vſus (quòd aliam non haberent) domum adeunt, eiuſdem primùm poſſeſsionem aditura. Totam eidem inſtaurandæ accommodandæq; noctem impenderunt. Sed qui in ſacrarium pararetur, locus deerat, niſi fortè atrium quoddam amplum, in quod nonniſi per domunculam vicinam, quæ etiam pretio ab ipſis conducta erat, patebat aditus. Aliquot hanc incolebant mulierculæ, quibus nihil dum hactenus dicere auſæ fuerant, ne rem ita fortè priùs propalarent, quàm ex voto eſſet confecta. Omnibus ergo iam paratis cùm primùm dieſcere inciperet, parietem quemdam interiectum demoliri orſi ſunt, vt per huius ruinam in templum deſtinatum aditus pateret. Quæ etiam tum dormiebant fœminæ, & nihil huiuſmodi cogitarant, vt primùm cuneorum auditi ſtrepitus ac fragores, conſternatæ, ilicò ſtrato ſe corripiunt, & indignabundæ ſtomachari cœperunt, vix vllis vt verbis mitigari ſedarique potuerint. Etſi verò principio alieniores ac turbatiores viderentur, pòſt tamen, viſo quod res erat, oblata præſertim illis à beata Matre pecuniola, promittente ſimul, alias ſe ipſis conquiſituram ædes, ſeſe præbuere moderatiores, nullumque exhibuere exinde negotium. Vt primùm illarum muliercularum procella con-

Digitized by Google

conquieuit, Ioannes de S. Maria Magdalena, Carmelitarum Præpoſitus, ad ſacrorum celebrandas primitias haud importunè ſeſe obtulit; ad quas ſuo monachæ tintinnabulo ſignum dedere, ſimul & rei huius in perpetuam memoriam confici, ac teſtimonium tabulas iuſſere. Hoc itaque pacto, ipſo S. Bonifacij Martyris feſto pridie Idus Maij, eodem quo diximus anno, domus huius facta ſunt principia: quam etiam ab eo, quo aliàs hactenus, D. Ioſephi nomine denominandam Beata Mater cenſuit. Hoc ipſo verò die plurimi timuerant, ne vrbs funditus interiret: quòd ita paucis antè diebus ſciolus quidam agyrta inani præſagio omnibus id propè ciuibus perſuaſiſſet. Vnde fiebat, vt multi & ſuas confeſsione noxas aperirent, & ſacras Euchariſtiæ inirent epulas, futurum præſagij euentum præſtolantes. Oratione vix conſequar, quis omnium manè fuerit Toleti, nouo hoc viſo monaſterio, ſtupor & admiratio; quis tota priuatim & publicè vrbe hac de re ſermo; & quam in pietatem plurimorum pauor tranſierit, videntium adeò non ciuitatem interiſſe abſorptam, vt etiam nouo adaucta eſſet monaſterio. Verùm ante omnes ipſa ædium domina, quæ eius erat viri vidua, qui domum illam in maioratu à Principe acceperat, vt primùm domum ſuam repentè ſe ignara in monaſterium tranſiſſe comperit, non modicè ſtomachari rem admirata: at, ſpe iniecta, illam, ſi vſibus religioſis accommoda foret, quo demum vellet pretio redimendam, turbari deſijt. Nec minus ipſi Concilij Archiepiſcopalis aſſeſſores, viſo monaſterium, cuius condendi antè negarant poteſtatem, reipſa iam coaluiſſe, indignati ſunt. Vnde, quòd Præfectus vrbe abeſſet (factâ namq; iam Tereſę cœnobij fundandi copiâ aliò eum extra ciuitatem concedere oportuerat) rem in immenſum illi augere & extollere, & tantam mulierculæ mirari ſe dicere audaciam, quòd nouum ſe inuitis ac reluctantibus monaſterium vrbi inuexiſſet. quare irati fremere, & inanes in abſentem minas iactare. At quidam de Canonicorum numero, illius ſuſcepto patrocinio, id ipſum alijs etiam eam locis feciſſe commemorabat; nec verò incredibile videri, ſine neceſſarijs ad hoc litteris id ipſam opus non inchoaſſe. Has ergo ſibi petunt exhiberi; & pauco interiecto tempore ſub excommunicationis anathemate incurrendę ſacra in eo peragi vetant officia, niſi poteſtatis factæ litteras promat. Nihil hę B. Matrem comminationes, nihil diræ perterrùere; ſed eadẽ eos, qua antè Præfectum, allocuta libertate & conſtantia, illorum ſe iuſsis ſpopõdit pariturã; etſi ijs alioquin morẽ gerere hac in re minimè obligaretur. Ergo Petrum Manriciũ obſecrat, aſſeſſores vt adeat, & quas à ſuis olim Superiorib. hunc in vſum acceperat litteras, exhibeat. Verũtamen non parũ illã angebat, quòd Præfectus, à quo non ſcripto conſignatam, ſed ore dumtaxat prolatam facultatem obtinuerat, vrbe ijs ipſis diebus abeſſet. Sed Vincentius Baronius è ſodalibus D. Dominici, cui Tereſa notiſsima erat, quiq; de huius fundatione cœnobij cũ Pręfecto aliquoties egerat, & hui' erat rei

X 2 non

non omninò neſcius, nonnullos ex Canonicis conuenit; quorum cùm opera, & aliorum etiam patronorum interceſsione, tum, quòd negotium iam confectum eſſet, factum eſt, vt Aſſeſſores mitiùs agerent. Pacifica igitur monialium erat anguſtis in ædibus commoratio, etſi rebus neceſſarijs deſtituta: nam duæ culcitæ ſtramineæ, & lodix vna vniuerſam domus conſtituebant ſupellectilem. Maior de nocte, quàm interdiu patiendi erat materia: cùm enim immite & hibernum frigus vreret, & illi pellendo lignum non ſuppeteret, culcitis incubantes, ſe, prout poterant, ſtragulis & pallijs ſpiſsioribus cooperiebant. Quin ea ipſa die, qua adita primùm domus, non alia in feſtiuum encæniorum epulum inſtructa fercula, quàm aliquot ſardæ & haleculæ. hinc non multum coqua tunc coquendo fuit diſtenta: coquinaria namque ſupellex nulla domi erat, & ne ligni quidem fruſtillum, quibus hæ aſſarentur; donec in ſacrarij angulo faſcis apparuit ligneus; quem à Domino ſubmiſſum haud inanis coniectura eſt; vndenam enim, & à quo illatus eſſet, non apparebat. Inde haud multò pòſt, cùm ouo coquendo ſartago deeſſet, hanc illas mutuo ſumere oportuit; ſalem verò ſaxo chartæ ingeſtum comminuere. Idem de rebus reliquis eſto iudicium. Nocte etiam quadam Tereſa frigore rigens cooperiri ſe à filiabus cùm petijſſet; illæ leniter inter ſeſe ridentes dicere, plura vt ſtragula frigori arcendo non requireret, cùm, quæcumque domi ſuppeterent, ſibi inſtrata eſſent, pallia inquam quotidiana. quod & Matri pòſt ſubinde riſum mouit. Non poterit, qui hanc Tereſæ paupertatem legerit, meo iudicio, non admirari, vndenam egere Toleti re quapiam ipſa potuerit, cùm opulenta illa matrona, cui erat acceptiſsima, ea in vrbe commoraretur. nec immeritò. Cùm nimirum ſuas Deus ancillas reipſà experiri, & vſu diſcere vellet, ecquænam nomine ipſius ſuſcepta paupertas bona, quas diuitias inuolueret, vt illis docentibus hoc demum diſcant, quibus illæ, eò quòd incognitæ, ſordent; factum, vt & Aloiſiam Tereſa nihil rogaret (erat enim à petendo alieniſsima) & illi ne in mentem quidem veniret, qua ancillæ Dei penuria rerum laborarent. Si illius enim fuiſſet conſcia, quàm liberaliſsimè aliquod eiuſdem ſubſidium attuliſſet; vti etiam attulit, quotieſcumque alicuius illas rei indigere comperiſſet. Videbat hæc quidem è cœlo Dominus, at ridere ſe fingebat, vt hac nimirum eas inopia diuites redderet: vnde & incredibili illæ cùm interiùs, tum exteriùs gaudij ſenſu ac voluptate perfundebantur, ſe vt ipſæ vix caperent. Inſolita autem ijs ipſis diebus Tereſæ animum gaudiorum copia pertentabat, & mirus illam adeò pietatis ardor corripiebat, quem quotidiana excitabat paupertas, vt ſuaui perpetuò in contemplatione verſari videretur. Verùm hæc rerum inopia, ne dicam opulenta copia diuturna non fuit. Alfonſus enim Aluarius, alijque liberalitate noti, longè in illas plura, quàm quidem optabant, erogarunt: rebus quippe terrenis affluentibus ſpiritus defecere voluptates, quas indigentia parie-

*Tereſæ paupertas.*

*Natum ex inopia gaudium.*

Digitized by Google

pariebat: vt hunc gaudiorum defectum vel in vultu ipſarum Tereſa legeret, inſolitæque triſtitiæ ab ipſis cauſam petens, audierit communi omnes voce dicentes: Quid faciemus, Mater, cùm iam pauperes eſſe deſierimus? Alfonſi porrò Aluarij, cùm tãtam indies & oculis & auribus ancillarũ Domini acciperet inopiam, Deo inſpirãte excitari de nouo erga eaſdẽ cœpit amor & affectus, vt cum beata Matre intermiſſum iam dudũ negotium denuo tractare velle ſe diceret. Verùm Tereſæ viſum eſt, primarium illi in ſui ſuorumque ſepulturam ſacellum cedere dumtaxat, at à reliqua illum fundationis gloria excludere, vtpote quæ iam vtcumque illius ſine ope confecta eſſet. Sed hac in re non paucos aduerſarios ac ſecùs ſuadentes habuit, nefas eſſe dicentes hoc ſingillatim illi poſteriſque ſacellum attribuere: etſi enim honeſta eſſent oriundi familia, haud tamen equeſtri & illuſtri; non defore ſcilicet tam frequenti & copioſa in ciuitate virum aliquem inſignem, cui cum honore princeps aſſignari ædicula poſſet. Et quæ illorum iam de ſacello, eadem iam antè fuerat de fundationis initijs ſententia, ne ob eam videlicet, quam iam attulimus, rationem Aluarium vt fundatorem admitteret. Sed quamquam hanc obtrectantium Tereſa oblocutionem parum morabatur, vt quæ nobilitatem generis numquam non animi bonis ac virtutibus poſteriorem duxiſſet: hac tamen de re iam antè plurimi ad præfectum vrbis retulerant, & tantum apud eum effecerant, vt, cùm ille domus copiam beatæ Matri faceret fundandæ, hanc inter ceteras conditionem interpoſuerit, vt non aliter ſcilicet hanc congregationem quàm alias alibi fundaret. Hac ergo ſuper re cùm ſecũ ipſa deliberaret, & cuinã princeps eſſet ædicula conſignanda; ecce vir quidam genere ac ſtirpe conſpicuus de proceribus Toletanis hanc ſibi præ alijs petijt attribui: vnde & longè quàm antè acriùs à beata Matre amici inſiſtebant, vt quid faciendum cenſeret, ilicò definiret. verùm ipſa in eo, quod ſibi faciendum eſſet, anceps hærebat. Hanc autem nutantis animi fluctuationem apparens Dominus facilè diſcuſſit, dum illi planum fecit, quàm exiguo apud Deum numero locoque eſſet generis aut natalium ſplendor, ipſamque increpuit acriùs, quòd pro nobilitate loquentibus propenſiùs auſcultaſſet. Huius illa reuelationis ſeriem chartæ commiſit, quam in manibus aliquoties habui, & cuius hæc forinſecus erat inſcriptio: *Hæc ſunt, quæ tum mihi ſunt reuelata, cùm perſuadere mihi conabantur, ne cui in ſacello Toletano ſepulturæ ius, qui non de Equitum eſſet claſſe, concederem.* Introrſum verò hæc præferebat verba: *Ingens tibi onus arceßis, filia, & plurimis laboribus obrueris, ſi mundi ſpectare ipſa leges & morem velis: me potius reſpice pauperem & inopem, & ab ipſo contemptum. Fortè mundi huius magnates magnos coram me futuros arbitraris, vel vos ob generis claritudinem potius quàm virtutum decus æſtimandos?* Aluario igitur ſoli tandem ſacellum aſſignauit. quod quàm conſultò factum fuerit, licuit haud obſcurè poſt animaduertere, cùm illius potiſſimũ ope & ſubſidijs

Tereſā obiurgat Dominus, q̄d auſcultaſſet aſſerentibus pluris eſſe nobiles, quā alios faciẽdos.

ingens illa coempta ſit domus, in quam, primo vertente anno, commigrarunt; cui paucas Toletum habet pares, vt quæ duodenis aureorum ſteterit millibus. Idem quoque plurimas quotannis celebrandas Miſſas, aliaque pietatis caritatiſque hic exercenda munia, quæ cùm populo, tum monialibus ipſis in magnum ſolatium cedunt ac voluptatem, fundauit. Huic igitur Deus monaſterio ſingulari quadam ratione eſſe voluit proſpectum, cùm curando, vt de temporalibus nihil ſubſidijs illi deeſſet, tum verò tales huc adlegendo ſodales ac præſidiarias, quas ſpiritualibus ſuis eſſet opibus ditaturus. Tereſa itaque, ſuam vt primũ poſſeſſionem ſtabiliuit, alias aliunde ſocias euocauit: ex Incarnationis quidem ad eam acceſſere quatuor hæ, Catharina Yeria, & Ioanna Yeria, cui modò à S. Spiritu cognomen adhæret, ſorores germanæ, & illuſtribus Abulæ familijs prognatæ; nec non Antonia Aquilana, & Iſabella Suaria. Quarum è numero ſola Mater Ioanna de S. Spiritu in noua hac manſit familia, reliquarum, vti & aliarum nonnullarum, quæ ex Incarnationis ſucceſſerant, hæ quidem ob inualetudinem, illæ quòd neceſſariæ ad tantam vitæ nouæ, quam aſſumpſerant, ſeueritatem tolerandam vires deeſſent, eodem rediere.

Vetuit deinde B. Mater, ne qua ex alijs familijs in ſuã tranſſcriberetur.

Quocirca ſuis deinde Tereſa in Conſtitutionibus cauit, ne qua poſthac alijs è cœnobijs in ſuam familiam adlegeretur, ne quidem ex ijs, quæ eodem in Ordine ac veſte laxiorem priuilegijſque gaudentem regulam ſeruant. vnde fiebat, vt, cùm ſui inſtituti ſuppeterent ſodales, ex Incarnationis alias tranſſcribere deſineret. Malagone item euocauit Annam de Ieſu, & Iſabellam de S. Ioſepho; vt, annumeratis nouitijs duabus, ſeptem vniuersùm Toleti numero forent, cùm inde pòſt Tereſam recedere oportuit. Vix à cœpta fundatione annus effluxerat, cùm nouo ſe inſtituto aggregauit Anna de Matre Dei, quadraginta ipſos nata annos.

Anna de Matre Dei in vita auſteriore rectè valet, etſi in vita lauta peſſimè.

hæc ſumma rerum in opulentia & ciborum delitijs innutrita, Dei ſe obſequio feruenter manciparat, etſi parum ſecunda hactenus vſa eſſet valetudine: at vt primùm carere his cœpit, & vice verſa auſteritate & rigore monaſtico atterere corpus, optata redijt ſanitas. Tanta illius erat pietatis ac ſtudij vis, vt, omnibus à ſe, etiam antè quàm vota Deo nuncuparet, abdicatis facultatibus, illarum in monaſterium penitus dominium tranſſcripſerit. Nec verò beatæ Matri hæc Annæ denudatio abnegatioque opum placuit, quin imò hanc ab ipſa fieri vetuit; illius probandæ cauſâ deliberaturam ſe aſſerens, num vt idonea in Ordinem foret cooptanda; ac tum demum, ſi facto periculo vtilis iudicaretur, hanc abdicationem faceret.

Eius animi magnitudo in reb. ſuis monaſterio attribuẽdis.

Cui Anna, ſi quidem pòſt Ordine excluderetur, Dei ſe amore ſtipem vitæ trahendæ oſtiatim emendicaturam, magnitudine animi ſingulari reſpondit; cæterùm quocumque res demum recideret, factam iam à ſe fortunarum ſuarum (quæ ſanè vulgares minimè erant) monaſterio donationem ratam habere ſe, vnde & nullo eam vt deinde re-

uo-

uocaret, mentemve mutaret, potuit modo ſuaſuque adduci. Tam prompta porrò & hilaris hacce in domo (idem & de alijs cenſendum eſt) relucebat parentia, vt, ſi vel ioco ac per riſum quidpiam fieri iuberet Antiſtita, nullo alio expreſſiori imperij verbo exſpectato ab inferioribus id quàm celerrime executioni mandaretur. Hinc cùm monialis quædam, haud procul à palude vliginoſa conſiſtens, Superioris, vt in ipſam ſe conijceret, imperium audiſſet, haud morata extemplò in eamdem inſilijt. Hic quoque Tereſæ res accidit, ad memoriam poſteritatis quæ tranſmittatur digniſſima. Monialis quædam iamiam de vita emigratura, incredibili ob inſtantem vitæ finem gaudio perfundebatur. hanc cùm Tereſa, ex oratione in choro ante auguſtiſſimum Altaris Sacramentum fuſa, qua felicem illi à Deo exitum petierat, reuerſa conuiſeret; ad medium caput lectuli Redemptorem Ieſum conſpexit, in ſpeciem deſuper incubantis, atque vlnis aliquantum apertis eam protegentis, vti S. Gertrudi quodam tempore ad extrema redactæ olim adſtitiſſe viſus eſt. Tum ad Tereſam Dominus conuerſus, vt certiſsimum & exploratiſsimum eam habere iuſſit, eò ſe omnes, quotquot ipſius in cœnobijs defungerentur, Moniales modo protecturum, vt nullas in mortis articulo ſint tentationes atque impugnationes formidaturæ. Quæ nonniſi de illis, quæ ſecundùm inſtituti præſcripta ac leges victuræ ſunt, intelligatur ſponſio oportet. Similiter non aliter eas à tentationibus nouiſſimis immunes fore ſpondet, quàm quòd extremo in agone ab iſs ipſas ſit liberaturus oppugnationibus, quę mentem adobruant, aut magnis & non vulgaribus inquietudinibus interturbatum exitum afferant. Ab illo verò tempore accuratè Tereſa obſeruauit, tam hanc, de qua iam agimus, quàm reliquas, quibus morientibus adfuit, egregiam quamdam ſuprema in vitæ hora animi tranquillitatem pręferre ſolitas, perinde ac ſi placidiſſima quiete ac recollecta mente orationi incumberet. Idipſum quoq; paucis abhinc diebus, & quidem cùm hæc ſcribo, videre haud obſcurè licuit in celebri illa Dei ancilla Maria de Cruce, vera ac genuina Matris Tereſæ de Ieſu filia, quam ad primi libri calcem de primis quatuor B. Matris ſectatricibus fuiſſe commemoraui. Demortua illa quidem eſt Valliſoleti è pleuritide 7. Kal. Martij, hoc ipſo anno duodenonageſimo, cùm inſigni virtutum omnium, ac præſertim charitatis, obedientiæ, animi demiſſionis, ac patientię exemplo omnibus quinq; & viginti in vita monaſtica annorum ſpatio pręluxiſſet: cùm quotquot cum ipſa maxima temporis illius parte ſunt commoratæ, teſtaturæ ſint, non meminiſſe ſe vllam eam cuiquam offenſionis aut alienandi animi occaſionem vmquam dediſſe. Tanto porrò moriendi æſtuabat deſiderio, vix vt crederet mortem ſibi inſtare, ſeq; ſolo ob dilatam mortẽ languore, ac vitæ longioris tædio emorituram diceret. Mira animi tranquillitas ad extremũ vſq; in ęgrotante enituit; vt nullo mortis inſtantis in vultu edito ſigno,

Obedientia ſingularis.

Viſio admirabilis, qua Redemptor viſus eſt monialem in mortis articulo inumbrare ac protegere. *Lib. 5. c. 1.*

Hanc B. Matri protectionem Redẽptor ſpõdet erga oẽs, quæ in ordine ſuo deceſſurę eſſent moniales.

ne

Maria de Cruce cùm in vita fuiſſet deformior, à morte apparet formoſa.

ne quidem oſcitationis, quoad quidem licuit aduertere, placidiſſimè Creatori animam reddiderit. Etſi verò, dum viueret, vtcumque deformis eſſet, à morte tamen tantam pulchritudinem vultuſque candorem induit, vt prorſus alia videretur, manifeſtiſſima DEO in corpore ipſius excellentis, qua donata in cœlo anima erat, pulchritudinis indicia ac notas exerente.

## CAPVT XV.

### *SEXTVM PASTRANAE TERESA EXCITAT MOnaſterium, à Conceptione B. Mariæ Virginis nominatum.*

IAm peruigilium erat feriarum illapſui Spiritus paracliti in Apoſtolos ſacrarum, & quintuſdecimus à fundato monaſterio Toletano dies. hoc temporis interuallo Tereſa & templo inſtruendo, & cancellis ferreis adaptandis, alijſque id genus operibus perficiendis multum operæ impenderat; cùm ad menſam communi in cœnaculo prandij cauſa accumbenti tanta ſubitò oborta eſt conſolatio, atque pia animi voluptas, quòd omnia iam perfecta cerneret, ſibique iam curis ſolutæ hiſce Pentecoſtes ferijs, Domino noſtro Ieſu Chriſto penitus vacare, eoque ad ſatietatem perfrui liceret, vt omnis quaſi edendi appetitus euaneſceret, & cibi eam caperet faſtidium præ gaudij animo inſidentis magnitudine. Inter hæc adeſſe nuntiatur miſſus ab Anna Mendoſia, Principe Eboliensi, Roderici Gomij Siluij coniuge puer. Ex hoc Tereſa inuitari ſe à Principe didicit, vt Paſtranæ ſuo in municipio, prout inter ipſas iam antè conuenerat, Ordinis ſui cœnobium erigeret; tametſi id non adeò celeriter perficiendum beata Mater arbitraretur. Porrò minimè expedire, & parum conſultum fore iudicabat, Toletani monaſterij rebus hauddum ſatis conſtabilitis, tam citò inde recedere; præſertim cùm tantis hactenus aduerſarij ſtudiorum conatibus huic congregationi obſtitiſſent; etſi quàm enixiſſimè id famulus ab ipſa contenderet, iam illuc ſuam appuliſſe, & quidem non alia de cauſa, heram affirmans. Tereſa ergo, viſo, Roderici Gomij & eius coniugis poſtulatis fieri ſatis vtcumque debere, quod ad maximum diuinæ gloriæ augmentum nō parum id facere cenſeret; (cùm enim regia beneuolentia ac fauore imprimis opus hic haberet Ordo, quo nimirum ſubnixus, aduerſariorum, à quibus iam tum mirum in modum conuellebatur, calumnias reuinceret ac perſtringeret; horum idcirco quoad eius fieri poterat captanda Principum beneuolentia videbatur) diuinum exploratura conſilium, coram ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento ſupplex ſe abiecit, eaque ſibi inſpirari petijt, quæ,

Digitized by Google

quæ, cùm Principi perſcripta eſſent, eam minimè offenderent. Ilicò verò vox ad illam dilapſa: *Huc te conferre ne negligas, filia; nam longè alia huc te vocant negotia, quàm ſola cœnobij fundatio. Regulam & Conſtitutiones tecum porta.* His à Domino confirmata verbis ad ſolitum ſimili in negotio aſylum anxia Mater confugit, ad Patrem inquam ſpiritualem, & ſuis vtramque in partem allatis rationibus percunctatur, ecquid Dei gloriæ promouendæ expedientius fore is iudicaret, etſi à Domino ſibi dictorum nihil illi indicaret. ita namque ſibi meliùs ſatisfactum iri putabat, quin etiam aſſiduò dari ſibi à Domino lumen, quo illuſtrata rectum diſpiceret, poſtulabat. Itaque Confeſſore ſuadente Toleto, altero Pentecoſtes die, III. Kal. Iunias anno vndeſeptuageſimo, aſſumptis ſecum comitibus Iſabella de S. Paulo, & Antonia Aquilina, diſceſſit; cùm Toletanæ ſedis Antiſtitam Iſabellam de S. Dominico conſtituiſſet. Paſtranam cùm appuliſſet, amicè beneuoleque à Principe Roderico & coniuge excepta, apud illos eſt ſecluſo à reliqua familia in conclaui cum ſodalibus diuerſata. Sed opinato hic diutiùs hæſit: quam enim Princeps illi aſſignarat, domus peranguſta erat, & multas eiuſdem ipſa demoliri iuſſerat partes, vt quam oporteret formam monaſterij indueret. Trimeſtri & amplius Paſtranæ commorata eſt; &, licèt nullo id, aut perexiguo ei labore, qualem in aliorum excitatione experta erat, domicilium conſtiturum videretur; (quòd iam res omnis confecta videbatur) non vulgarem tamen ſubire hic ipſam fuit neceſſe, nōnullis illi à Principe propoſitis cōditionibus, à quibus vtpote ſuo inſtituto diſſentaneis, cùm planè abhorreret, re infecta reuerti Toletū iam decreuerat. Verùm cùm Princeps pro ſuo erga diuinū obſequium ſtudio cœnobiū id ſummoperè cuperet, & maritus votis illius haud inuitus annueret, tranſacta deniq; ex voto res eſt, & monaſterium à Conceptione Virginea denominatum, fundari cœptum 7. Idus Iulij, octauo à Viſitatione Deiparæ die, eodem quo dixi anno vndeſeptuageſimo. Non niſi duas illas quas ſuprà nominaui, moniales Tereſa aſſumpſerat; vnde Iſabellam à S. Hieronymo, & Annam de Ieſu Metina, vbi etiam ſacrum induerant habitum, viſum eſt aduocare, & ex Incarnationis aliam adlegit. His ita conſtitutis, Toletum remeat, quòd ſuæ domus hæc potiſſimum opus haberet ſubſidio præſentiæ, cùm nonniſi iam nuperrimè eſſet excitata. Hinc aliquot ibidem commorata eſt menſibus, quoad illæ, quas diximus, ædes coemerentur: in quibus ex præſcripto & legibus inſtituti cuncta ritè conſtituit. Pridie igitur feſti D. Magdalenæ Toletum appulit, & ea qua venerat rheda Iſabellam de S. Dominico Paſtranam remiſit, vt domicilio ibidem conſtituto præeſſet; Annam verò ab Angelis, Malagonenſibus Præpoſitam, Toletanis poſthac voluit imperare. quod illa munus cùm annos plurimos hic exercuiſſet, modò ipſum Conchę cum laude exequitur: huius in locum Malagone Matrem

Dominus Tereſā mittit Paſtranā.

trem Mariam de S. Sacramento suffecit, Pastranæ verò Isabellam de S. Paulo primam à Præposita creauit.

## CAPVT XVI.

### *SEPTIMVM SALMANTICAE TITVLO S. IOsephi dedicatum erigitur cœnobium.*

SVb idem tempus Martinus Gutierrius Collegij Societatis Iesu Salmanticę Rector, insigni sanctitate ac iudicio vir, nec non pręstanti eruditione conspicuus, & habendis ad populum concionibus præclarus (cuius opera permultas Deus animas ad suum inuitauit obsequium, quoque vti administro & adminiculo placuit, vt tandem firmiter ipse mecum, dio inspirante Numine, post multam fluctuationem, ad hanc me Societatem adiungere constituerem) Teresæ per litteras significat pretium operæ facturam videri, si Salmanticam suarum colonia deducta de sede constituenda cogitaret; ad quod multis illam est rationibus, iisque non inefficacibus opus cohortatus. Iam de hac eadem re Teresa ante menses aliquot secum ipsa cogitarat: sed hinc à pio illam consilio ciuitatis deterruerat pauperies, quam nouo Mendicantium Ordini alendo imparem fore credebat; illinc verò ad rem peragendam ea exstimulabat cogitatio, quòd quamquam Salmanticæ Abula rei nummariæ penuria nihil concederet, nihil tamen suis hactenus Abulæ defuerit. Ergo huc sese statuit conferre, vt inde Salmanticã transiret. Vna porrò dumtaxat comite Salmanticam succincta abijt, Maria de S. Sacramẽto, de qua iã aliàs dicere memini. Ex quo enim semel Metinensẽ in coloniã cũ pluribus Monialibus profecta rem difficultate nõ caruisse animaduertit, secum ipsa exinde statuit (quod & postmodũ visa est in reliquis fundationib. seruasse) nonnisi paucissimas, puta, vnam atq; alteram initio secũ assumere, quoad nuda fundationis primordia fulcirentur, &, ijs demum constitutis, ac possessione stabilita, alias aliunde accersere. Abulæ igitur cùm adhuc moraretur, Martino Gutierrio perscripsit, sibi vt ab Episcopo Salmanticensi (erat is Petrus Consaluius de Mendosa) rei huius facultatem impetraret: quem ipse cùm de legibus & instituto talib. in monasterijs obseruari solito corã edocuisset; haud difficulter rei perficiẽdæ potestatẽ obtinuit. Iam sibi Teresa rẽ constitutam videre, iam monasterium fundatum, hac Antistitis impetrata facultate, videbatur. A viro igitur nobili, equestris ordinis, Consaluo Ioannezio Ovalleo, domum in riuo à sancto Francisco denominato, haud procul à sanctæ Elisabethæ monasterio sitam, ab amicis iubet conduci. Hanc tum quidem Academici nonnulli incolebant; sed ij tum sunt emigrare iussi, vbi primùm qui eamdem de nouo conduxerant, appulissent. Teresa namque sem-

ſemper propoſitum habebat cauere, ne quid rerum ſibi agendarũ, monaſteriorumve fundandorum antè in vulgus emanaret, quàm poſſeſſionem iam iniiſſet: vſu ſiquidem iam perſpectum habebat, quàm ſua Satanas monaſteria exoſa haberet, quibuſque eorumdem erectionem impedire viribus niteretur. Abula igitur pauculis cum nummulis, ſed in diuinam miſericordiam fiducia plena diſceſſit: iam tum enim præuidebat, plurimis ſibi ad domum inſtaurandam fore opus, & neminem Salmanticæ, qui auxiliarem ſibi huc operam adferret, ſe inuenturam. Pridie ergo Kalend. Nouemb. ſub prandium Salmanticam inuectæ ſunt, cùm potiſſima ſuperioris noctis parte ſummam per viam eſſent frigoris brumalis inclementiam, multaque aliunde incommoda perpeſſæ; non idcirco tamen, ne quidem etſi grauiores ſubeundæ fuiſſent moleſtiæ ac difficultates, ab eo, quod ad Dei gloriam non mediocriter facturum prçuidebat, opere peragendo feruida Dei ancilla deterrebatur. Diuerſorium vix ingreſſa erat, cùm Nicolaum Gutierrium mercatorem copioſum, quem nouerat, (nam duæ illius filiæ in Incarnationis monaſticen profitebantur) quemque virum pium eſſe inaudierat, aduocauit; cuius vtpote induſtrij etiam operam pòſt multis in rebus hac in fundatione adhibuit. Huic ergo in mãdatis dedit, vt è conducta domo eodem ipſo die emigrare academicos incolas iuberet. hoc ille nauiter cùm præſtitiſſet, eodem ante veſperam die res confecta eſt: vnde factum, vt ingruentibus primùm tenebris, & veſpertino crepuſculo eò Tereſa cum ſuis ſe conferret. Dederunt tum pia ſedulitate, & nocturna diligentia pro ſe quæque operam, vt poſtridie rei ſacræ peragendæ idonea domus appareret. Quem in vſum P. Martinus Gutierrius ſacrum illis inſtrumentum, pictas tabulas, ornatumque altaris, aliaque huc facientia mutuò haud grauatè dedit, ſimul etiam Coadiuuantium Fratrum duos eò deſtinauit, qui in domo ſacelloque conſtruendo auxilio pijs monialibus eſſent. Quo fiebat, vt ſummo mane, inſtructis iam omnibus, ſacra celebrata ſint ſolennia, & domicilij huius, à Diuo Ioſepho etiam appellati, ipſis omnium Sanctorum ferijs, anno vndeſeptuageſimo, firmata ſit poſſeſsio. His ex ſententia confectis, ſtatim aliquot Metina moniales accerſendas curauit, quarum aduentu domus illico in monaſterij cœpit formam coaleſcere. Hæc porrò illarum ſunt nomina, Anna ab Incarnatione, quam domui cum imperio præpoſuit, Maria de Chriſto, quæ illius Vicaria eſt conſtituta, Hieronyma demum de Ieſu, hodie Præpoſita Beaſenſis. Abula porrò duas has euocauit neophytas, quas ibidem adlegerat, Annam de IESV, hodie Madritenſem Priorem, & Ioannam de IESV; nec non Mariam de S. Franciſco, quam Toleti ſuum in cœtum adſcripſerat; hæc in præſens Albanis monialib. præfecta eſt. Proxima ſe nocte Tereſa, eiuſque comes Maria de S. Sacramento, quæ ætate Matrem anteibat, ſolæ in vaſta illa & parum inſtructa domo commorantes, in



con-

conclaue quoddam abdiderunt, palea inuecta conſtratum. hanc namque primam ſua in monaſteria ante omnia Tereſa ſupellectilem inuehebat: cenſebat namq; palea illata, iam ſibi abundè de cubili proſpectum eſſe. Tum quidem, præter hanc paleam & duas lodices, quas Societatis Collegium ſubmiſerat, nulla domi ſupellex ſuppetebat Sed poſtera luce S. Eliſibethæ Moniales venturis aliunde ſodalibus neceſſaria, quin etiam cibum magna benignitatis ſignificatione ſubminiſtrarunt, inſigniſq; in eas toto illo quo in vicinia habitarunt tempore, harum eluxit munificentia: nam & tum quidem, & etiam ſemper antea, excellentes ſanctitate, & caritatis in proximum officijs, & religione præſtantes ſodales monaſterium hoc habuit. Hac ipſa igitur quam dixi nocte magnus Mariam à ſancto Sacramento inuaſit timor, ne quis fortè domi in abdito deliteſceret. Verùm vt primùm conclauis occluſæ fores, timere quidem aliquantulum deſijt; attamen circumſpicere pauida hinc & illinc cœpit, vt ne illo quidem ſecuram ſe loco ac tutam crederet. Diabolicum id fuiſſe commentum conſtat; quo non tam Mariam, quàm beatam Matrem turbare vexareque conitebatur. Etſi enim nihil illa metueret, quòd tamen imbecillis admodum eſſet animi, & corde languido, pauca illi ad ingens afferendum diſpendium ſatis erant. Huc accedebat, quòd, cùm poſtridie fidelium ageretur defunctorum commemoratio, in omnibus tota ciuitate templis ingens ac lugubris ære campano de nocte excitaretur ſonus, qui animi illius imbecillitatem, & cordis languorem non modicè adaugebat. Tereſa igitur percunctatur, ecquid identidem reſpectaret? Cui Maria, Agitabam animo, Mater, ecquid, ſi hoc me emori loco ac tempore contingeret, ſola ipſa hic ageres? Hæc Tereſam reſponſio cogitabundam & ſuſpenſam nonnihil reddidit, & aliquem etiam timorem rei dictæ iniecit. etſi enim exanguia mortuorum corpora nullum illi timorem incuterent, aliquem tamen cordis languorem & imbecillitatem cauſabantur, ſed quòd faceta eſſet, & mentis robore fiduciaque eximia præſtans, inania hæcce terricula flocci faciens, vacuum Mariæ timorem hoc eſt reſponſo opprimere aggreſſa: Hoc vbi euenerit, cariſſima, tum demum quid facto mihi opus ſit, deliberabo, at in præſens quietè dormire me, obſecro, permitte. Triennio propè in hac commorantes ſede, non mediocria perpeſſæ ſunt incommoda: erat enim, vtpote vaſta, & hinc inde quaſſata, & malè materiata, hiberno frigori expoſita, & ob flumen, quod à ſancto Franciſco nomen habet, & eius fores præterlabitur humida, & maleſana inhabitantibus. Vnde factum, vt grauiſſimas toto illo tempore tulerint ærumnas, tametſi animi pacem, & æquitatem mentis numquam exuerent, & non vulgari cordis conſolatione perfunderentur. Tereſa verò inde digreſſa, (quod non multò pòſt aduenit) longè grauior incubuit tribulationis procella, ob eam quam pòſt reddemus

Prima Tereſæ in monaſterijs ſupellex.

Inquietudinem in moniali cauſatur diabol⁹, vt Tereſam turbet.

mus

mus cauſam. In digreſſu autem ſuo Annam ab Incarnatione domicilio recèns inchoato præfecit; quod illa munus multis pòſt annis cum laude geſſit. Non mediocriter quoque illas angebat, affligebatque grauis illa ſolitudo, quòd conſolatorium illum, triſtiumque mentium ſolamen, Euchariſticum, inquam, domi apud ſe panem non haberent: toto namque triennio tam ſuaui carendum fuit hoſpite, quòd, quo honeſtè decenterque collocaretur hierotheca, locus deeſſet. Vt verò, quidquid illa in domo Tereſa præſtitit, vno ſimul complectar faſce, vti in alijs feciſſe memini; dicam, tribus illis, quos antè poſui annis iam euolutis, aliam filias ſuas in domum, priori hac deſerta, commodiorem oportunioremque longè, etſi non ſine magnæ moleſtia, atque incómodis tranſtuliſſe. Cùm enim illę ædibus commodioribus maximopere indigerent, eæque tota ciuitate inquirerentur, tandem cum nobili Equite, Petro Bandano ſtipulatę ſunt, quamdam vt ſibi domum, quam poſsidebat, venumdaret. Hoc cùm Abulam Tereſę Incarnationis tum regenti monaſterium, vti ſuo reddemus loco, per litteras perlatum eſſet; ſtatim cuidam è Societate Ieſu, viro graui ac probo, quemque ipſa permagni faciebat, rem ex ordine enarrauit, ſimulque petijt, ſibi ne conſuleret, Salmanticam vt properaret, has ædes coemptura, quas in vſum ſanctimonialium omni re neceſſaria inſtrueret. Is ergo (vti pòſt ipſa mihimet narrauit) id ſibi negauit conueniens aut æquum videri: Si enim virilis eſſet ſexus, aliquam concionando, egrediendo, viſitandoque frugem in proximos fieri poſſe, vt aſſerret; at quoniam fœmina, quam clauſtrum ac ſilentium monaſticum deceret, quid ab illa ſperari fructus, quid commodi poſſe? Tereſa verò magnâ, quâ erat in Deum fide, & ardenti in ſuas charitate flagrans, ſecum rem ipſa maturiùs cùm expendiſſet, eò ſe conferre apud animum ſtatuit, aſſumptâ in itineris comitem Quiteriâ de Auila, eiuſdem cœnobij ab Incarnatione dicti monachâ, quæ etiam pòſt eidem cum poteſtate præpoſita eſt. Multis porrò per hoc iter exagitata fuit incommodis, quòd ipſum Auguſto eſſet menſe ineundum: nam cùm ſolis per diem illi æſtus eſſet noxius, per denſas obſcuraſque noctis fuit ei tenebras, ſalebroſa aſperaque via incedendum. nec verò hic moleſtiarum fuit finis; cùm enim, quos in domus ſarta tecta curanda mutuo corradere potuerat nummulos, iumento impoſuiſſet, ipſum nocturna fallente caligine, de via deflexit, & diligenter quæſitum minimè comparuit. Sera igitur & intempeſta nocte in diuerſorium perueniunt, ſed ſine iumento & argento. Illuceſcente die emiſſus, qui iumentum conquireret puer, ipſum haud procul à via regia proſtratum tandem reperit, integris intactiſque à latrone ſarcinulis, vt ne vel obolus deeſſet. Sequenti nocte, non iam nummi, ſed Tereſa ductrix nó comparuit, de via cœco errore digreſſa: quod longè comites grauiùs afflixit. Cùm enim mutuo per tenebras fruſtrarentur conſpectu, ab inuicem diſtrahi omnes contigit. Vnde, qui eòdem properabat

Varia Tereſa in via ſubijt incō-moda.

Pater, in pagi cuiuſdam, quem pertranſibant, vico B. Matrem & Quiteriam ſubſiſtere tantiſper iubet, donec alios ipſe per viam comites conquireret: quos ille iam inuentos cùm præſtitutum in locum, in quo Tereſam iam antè reliquerat, vellet conducere; ad eum, vnde abierat, redire locum ex errore non potuit. quare vlteriùs cum adductis comitibus progredi orſus eſt, idem Tereſæ conſilium incidiſſe ratus: nemo quippe non exiſtimabat, cum reliquo Tereſam comitatu ſubſequi, eo prorſus modo, quo IESVM duodennem Ieroſolymis amitti contigit. Viſo autem, poſt longiorem exſpectationem Beatam Matrem non accedere, magnopere indolentes denuo ab inuicem ſeparari cœperunt; hi quidē, vt viam, quâ venerant retro relegentes in ipſam inciderent; illi verò, vt ſublata voce illam quaquauerſum inclamarent, quibus ipſa viciſsim, ſicubi hæreret, ſucclamaret. Ecce, tandem poſt anxiam horarum aliquot exſpectationem viſa adeſſe Tereſa ſua cum comite & agricola, quem quatuor conductum argenteis, comitem vt ſe per tenebras adderet, & errantibus viam monſtraret, iam inde à ſuo tugurio aſſumpſerant. Itineris huius inter alios comes erant F. Antonius de IESV, & Iulianus ab Auila, qui ſua B. Matri operâ in omnibus propè domicilijs fundandis perutilis exſtitit. Salmanticam itaque cùm perueniſſet, è veſtigio domum, quæ venalis erat, adijt, ipſam coràm inſpectura. Optimo quidem hæc ſita erat loco, inter Comitum Fontani, ac Montis Regalis baſilicas media: ſed bina hæc habebat incommoda. Primum, quòd feudalis eſſet, ac nonniſi Regijs impetratis litteris à poſſeſſore poſſet pretio diuendi. Alterum, quòd adeò quaſſata ac diruta appareret, vt, quò in formam monaſterij aliquatenus inſtrueretur, mille & ampliùs aureis expenſâ ſtaret. Huc quoque noua hæc accedebat difficultas, quòd, cùm circa Kalend. Octobres ad feſtum S. Michaelis diem, domus Salmanticæ locari ſolenne ſit, & medio huc Mater Auguſto appuliſſet, tempore illo intermedio vel ſtructuram omnem perfici abſoluique, vt ad ſtatutum Archangeli diem huc commigrare liceret (perbreue autem munitioni id tempus erat, cùm multa hinc inde reſtauranda occurrerēt) vel alias in reliquum anni tempus ædes conducere oportebat. Tereſa verò, cui ad omnes difficultates ſuperandas robur infractum ac conſtantiam DEVS attribuerat, cum Equite paciſcens ea domum conditione ab illo comparauit, vt eius vendendæ ipſe à Rege ius ac poteſtatem impetraret. Manum ergo operi confeſtim admoueri iubens, atrium ſacello aſsignat, atque alia monaſterio futuro neceſſaria loca diſtinguit; nec non vicinæ domus partem, quò capacius eſſet ſacrarium, coemit. Iulianus de Auila operi præſidebat, & eius deſignatus inſpector, fabros, vt maturarent, identidem vrgebat, magna pecuniæ vi in ipſum inſumpta. Dies ſtatuta vt adfuit, nondum quidem id plenè perfectum erat, ſed multa hinc inde adhuc reſtabant farcienda, tametſi plures hactenus in ipſum operæ inſudaſſent, & inſudarent etiamnum; huc tamen

men ipſas commigrare fuit neceſſe, quòd eas, in quibus commorabantur, in ſequentem annum ædes non conduxiſſent, & illarum dominus, vt quamprimùm demigrarent, inſtaret. Ergo pridie dedicationis Archangeli Michaelis ſummo mane huc tranſiere; in diem verò ſequentem indicta erat pro ſuggeſtu Ven. Euchariſtiæ in locum hunc illatio, ſacra ad populum concione præmiſſa, apparatu ſolenni atque pompa. Verùm enimuerò Tereſæ ante hanc ſolennitatem nonnihil probare Redemptor voluit conſtantiam ac patientiam: quo enim die ad has manè conuenere ædes (factum id anno ſæculi huius tertio ac ſeptuageſimo) tanta à prandio cœlo decidit pluuia, vt maxima in neceſſario ex vna in aliam domo cõportando inſtrumento ſubeunda fuerit difficultas. Tam vehemens porrò fuit imber, vt & templi iam recenter erecti ædiculę tectũ hinc inde rimoſum, & hians aquã tranſmitteret. vnde fiebat, vt qui indictus erat apparatus, non, quo conſtitutum erat ritu, celebrari poſſe viſus fuerit, nec tamen in alium commodè differri diem, quòd illo celebrandum iam paſsim pro cõcione publicatum eſſet. Non parum ea res Tereſam afflixit, quæ confeſtim ad eum, qui ex omnibus illam ſolebat aduerſis eruere, ſe conuertit, & amicè cum eodem expoſtulans, aut ſe huiuſmodi in operibus adiutricem miniſtramque non adhiberet, aut importunæ huic ipſe neceſsitati incommodoque auxiliando proſpiceret, inſigni cũ feruore Domino dictitabat. Vt primùm feſtiuus illuxit dies, inopinato cælo toto ſol fulgore cœpit nitere; vnde ſummus omnium gentium ordinumque factus concurſus, & ſolenni cantu verbiq; diuini prædicatione præmiſsis, inuſitata Ven. Euchariſtiæ Sacramentum põpa, magno B. Matris monialiumque gaudio ac voluptate (vt quæ eodem carentes hactenus triſti quodammodo in ſolitudine vixerant) huc demum illatum eſt. Quòd autem optimo domus hæc eſſet loco ſita, celebrari frequentarique ſæpiùs à multitudine, & populus ſolito magis erga ipſam affici cœpit; inprimis autem Maria Pimentellia, Comes Montereginenſis, miro in ipſam ferri ſtudio, & ſubſidijs, quibus poterat, liberaliter præſtò eſſe. Erat hæc namque matrona religioſiſsima, diuini Numinis reuerens, & in egenos Deique famulos copioſa eroganda ſtipe notiſsima. Nec defuit è cœlo ſuã ſubmittens auxilia DEVS, aliquot ſtatim virginibus huius ſectandi inſtituti mentem aſpirans. Vnde, etiamnum Tereſa Salmanticæ agente, duæ genere illuſtres ſorores (etſi pium altera alterius propoſitum ſtudiumque ignoraret) in hanc cooptari petierunt familiam. Vni nomen erat Franciſca de Luna, alteri Eleonora de Ledeſma, generoſi ciuis Martini de Auila Maldonati filiæ, cuius demum in familiam atque hæreditatem Ioannes Soliſius de Auila filius ſucceſsit. Erga ambas affici Tereſa, ac ſingulari amore ferri cœpit, quòd de ipſarum probitate, virtute, pietate, modeſtia, ſolitudine, ac iudicio ætatem longè ſuperante (erant enim iuuenculæ) multa aliorum è ſermonibus

Digitized by Google

nibus comperiſſet. Has quidem ambas ipſa ſuum in ordinem adſcripſerat; ſed cognito deeſſe Franciſcæ (quæ primò aditum ſibi fieri poſtularat) oneri ferendo neceſſarias corporis vires, ſororem illius Cleonoram dumtaxat adlegit, quæ à Ieſu etiam eſt cognomen ſortita, & ante biennium illa in domo exactum, vita, magno ſui ſororibus alijs relicto deſiderio, deceſſit: erat namque inſigni morum ſuauitate, humilitate, & ſua comitate omnibus cara: & pauxillo illo tempore adeò in via Domini feſtinauit, & ita non ſegnis fuit, vt meritò in ipſam Sapientis illud quadret elogium, *Conſummata in breui expleuit tempora multa.* Hæc eò retuli, quòd beata hæc ſponſi animarum Ieſu Chriſti ſponſa vniuerſam à parentibus acceptam hęreditatem vnà ſecum ipſa in vſum cœnobij attulerit; cuius illi fructus hactenus & perutilis fuit, & etiamnum manet. Ante has aliæ, & non ita multò pòſt aliæ in eamdem ſunt cooptatæ familiam virgines, domo nobiles: & inter cæteras Anna Soliſia, Sueri Alfonſi Soliſij filia, quæ in ætate imbelli & tenera virgo reliquum vitæ curſum generoſa quadam mentis conſtantia, ac voluptate Deo Optimo Maximo libens conſecrauit. Nomen illi in religioſa vita fuit à S. Trinitate impoſitum. Illius verò ſingillatim eò ipſe libentiùs hic memini, quòd vocatio eius & mira fuerit & ſingularis: Cùm enim iam inde à ſeptimo ætatis anno ad vſque ſextumdecimum incredibiles in corpore malè affecto dolores ſuſtinuiſſet, dum vlceroſum illius è brachio apoſtema, quod quodam è lapſu ſibi contraxerat, tollere medici allaborant; & eò iam deueniſſet res, omni deficiente arte & induſtriâ, vt eo, quo dixi ætatis anno, eam chirurgi intermorituram planè affirmarent, niſi à corpore brachium præcideretur; & hunc iam ipſa ſubire cruciatum ſanitatis recuperandæ ſtudio decreuiſſet; Catharinâ de Agnaia materterâ, quæ in S. Eliſabethæ monacham agebat, & diuinis erat pietatis obſequijs addictiſſima, refragante res dilata eſt: hanc enim ipſa fieri ſectionem debere inſigni animi magnitudine negans, ſpem potiùs omnem in ſupremum medicum Deum conijciendam, à quo ſua eſſet haud dubiè virgini reſtituenda ſanitas, aiebat. Nec multò pòſt id ipſa ſibi à Domino cœlitus dixit manifeſtatum. Tum quoq; tam ardens & inflammatum languenti morbidęque Virgini DEO ſeruiendi iniectum eſt deſiderium, & firmum adeò perfectionis in Excalceatarum cœtu ſectandæ concepit propoſitum, vt emori propè præ deſiderio videretur: quamquam huic languor ac corporis debilitas obſtare voto videbantur, vt quæ ne feria quidem ſexta, ob virium imbecillitatem, carnium eſu abſtineret. Nemo non re hac compertâ, ſpem illi votorum adimebat, atque inter reliquos id ipſe deſperabam; quòd, ſi quidem naturalibus res rationibus metienda eſſet, nulla affulgere admiſsionis in hanc familiam ſpes videretur. Sed tantam quadam die menti illius afflauit conſtantiam ac robur de cœlo DEVS, qui ſolus hanc perficere rem & poterat, & debebat, vt ilicò tum DEO, tum ſacræ eius matri, inſtituti

Sap. 4.

huius

huius amplectendi votum, ſi modò ſanitatem ac valetudinem amiſſam redderet, nuncuparit. Et eodem etiam ſpiritus feruore addidit, in huius ſe rei ſignum omnem exinde in medicorum induſtria atque ope ſpem ſepoſituram, vt ſoli Deiparæ patrocinio reddita ſalus aſſcriberetur. Vt promiſit, ſic & medicis valedixit, & quanquam tabe ac ſanie brachium fore vt computreſceret, videbatur, illorum tamen poſthac operam adhibere noluit. Nec ſanè fruſtra fuit: ſoſpitatem namque tandem eſt conſecuta, tametſi gemina in brachio plaga ſupereſſet. Quocirca apud conſanguineos vehementiùs inſtitit, vt huic ſibi liceret per ipſos diſciplinæ ſe tradere, ad quam tantopere aſpirabat; brachij namque ſecundùm eam, quam in Deiparam matrem conceperat fiduciam, ſanitatem ſibi eſſe reſtitutam. Sed fidem dictis apud ſuos pia virgo non inuenit, imò ne patruus quidem Petrus Soliſius antè cœnobij voluit hac de re Antiſtitam conuenire, quàm ſuis eſſet brachium oculis conſpicatus. quod illa cùm inſigni animata fide haud grauatè patruo exhibuiſſet, ſoſpes id & integrum ipſe nullis deforme plagis, aut aquoſis decurſibus, & abſceſsibus hians eſſe comperit: quæ carnis integritas conſtitit ità quidem conſtanter, ac ſi nullum in eodem vlcus aut plaga antè exſtitiſſent. Tum ergo de illa admittenda demum agi cœptum eſt, & ipſa, voti compos reddita, in illam eſt tranſſcripta familiam, in qua etiamnum magno ſui cum ſolatio viuit. Vt ergo ad cœptam narrationem redeat oratio; cùm Tereſa è viuis iam ſublata, cum viro illo nobili monialibus minimè conueniret, hanc illi cedentes domum, aliam ſibi coemerunt, in qua tum noſocomium (à Roſario id nomen habebat) erat; atque hæc ipſa eſt, in qua modò diuerſantur: in qua ſingularem DEI opem indies & munificentiam experiuntur, dum de maioribus domicilij commoditatibus ancillis ſuis illi tota animi contentione famulantibus abundè proſpicit. qua de re plura in præſens poſſem referre (vtpote mihi comperta) ſed de ſuperſtitibus quàm paucíſsimis ſemper agere mihi propoſitum eſt; tum verò, quòd de alijs ſcribere monialibus minimè decreuerim (ſingularis quippe de illis tenenda eſſet hiſtoria, & prolixa admodum) ſed de ſola ipſarum parente ac duce Tereſa, cuius concinnare vitam conſtitui.

Anna de S. Trinitate ſanitatē recuperat, cõcepto voto Excalceatarum ordinē ingredi.



Digitized by Google

# CAPVT XVII.

## *OCTAVVM EXCITATVR MONASTERIVM Albæ Tormesiæ, quod ab Annuntiatione Deiparæ Matris cognomentum traxit.*

VT igitur ad inchoatam de cœnobiorum fundationibus narrationem reuertamur; ecce, etiam priusquam Salmantinum constitutum esset domicilium, Franciscus Velascius, Ducis Albani Quæstor, & Teresa Laizia illius vxor, Ioannis Ouallij, & Ioannæ de Ahumada vxoris (soror hæc Teresæ erat, vti in loco diximus) intercessione & opera apud B.Matrem omnibus neruis & contentione institerunt, vt Albæ etiam suarum sedem stabilire ne grauaretur. Hanc ob causam cum aliquot Teresa sodalibus Metina egressa est: sed cùm pacisci pro voto non posset cum ijs ipsis, à quibus euocata erat; quòd iniquas, institutoque minimè congruas conditiones interponerent, resque proinde in longum traheretur; Metinam, alijs poscentibus negotijs, ipsa reuertit, inde verò Vallisoletum, pòst Toletum, demum Salmanticam, vti iam antè significauimus, profecta est. Vix duo à Salmantina fundatione effluxerant menses, cùm rursus Albam vt properaret, importunis ij ipsi instant litteris. Cæterum in hanc illa sedem non vsque adeò propendebat, quòd, cùm nonnisi opidulum sit Alba, certis stabiliendum id cœnobium reditibus, à quibus illa abhorrebat, videretur. Sed ab hac illam opinione omni, quo potuit studio, diuertere conatus est, vti & aliàs Dominicus Bannezius, qui tum Salmanticæ agebat, & Teresæ à Confessionibus erat, nefas esse hanc ob causam monasterij fundationem intermittere dictitans. neque enim, etsi dotatum id esset prouentibus & rationibus ad perpetuitatem stabilibus, eò minùs quæ in eo degunt monachas & paupertatem posse colere, & ad perfectionem aspirare. Cuius sententiæ morem gerens Teresa, secum statuit Albam quantocius cœnobij erigendi gratia excurrere. Nec verò sine piaculo hic tacendum est, quid ad hoc à Beata Matre monasterium efflagitandum fundatores mouerit; inde enim haud obscurâ coniecturâ perspici poterit, non sine miraculo hanc esse fundationem inchoatam. Teresa Laizia illustres quidem in ortu nacta est parentes, sed exinde toto vitæ tempore summa fuit in DEVM religione, & moribus Christiano dignissimis, cuius aliquod dare indicium, & prognosticon iam olim voluisse visus est DEVS. Cùm enim nonnisi tertio à natiuitate die (quòd non vsque adeò gratus illius ortus parentibus accidisset, vt quibus aliæ domi filiæ non deessent) solam illam in cunis vagientem

iam

iam inde ab aurora ad vſque veſperam inſigni cum negligétia deſeruiſſent; ecce, mulier, cui concredita erat, cùm compertum haberet, quàm parum proli cautum eſſet, alijs nonnullis comitantibus, in conclaue irruit, coràm inſpectura, vtrùm nondum exſpiraſſet. ergo pupam in vlnas accipiés, quęrere ab ea queritabunda ac lacrymoſa voce cœpit, Quid? Chriſtiana non es, filia? de crudelitate parentum aduerſus ipſam quodammodo conqueſta. Infans ilicò ſublato capite fari cœpit, ac omnibus vocem audientibus dicere, Chriſtiana ſum: nam quo edita in lucem erat die, ſalutari tincta fuerat lauacro. Exinde verò nullum ampliùs verbum protulit, donec iam grandior ſtatam loquendi in pueris reliquis ætatem nacta eſſet. Quo prodigio factum, vt erga eam mater vehementiùs cœperit affici, ac ſedulam eius haberi rationem iuſſerit; diceretque identidem, vnum hoc à Deo ſe expoſcere, eatenus vt ſibi vitam extenderet, quò cernere liceret, quid huic puellæ futurum eſſet. Iam nubilem parentes collocare in matrimonio dum volunt, refragari Tereſa initiò, & hunc ſuſcipere ſtatum nolle; donec, cognito Franciſcum Velaſcium ſuas ambire nuptias, cum illo quàm primùm contrahere, etſi antea de facie inuiſo, non abnuit, ac licèt fortaſſe, cur alijs eum procis anteferret, ignoraret, niſi vnico ad hoc ipſum connubium introrſum impellente DEO, qui hac monaſterium Albanum excitare decreuerat via. Poſt annos non ita multos Salmanticam domicilium tranſtulerunt; qua in ciuitate Velaſcius opimum ac laudabilem magiſtratum gerebat. Academiæ quippe erat quæſtor, & omnium illius cenſuum curator, vnde & ſua Profeſſoribus, Rectoribuſque ſtipendia atque honoraria quotannis perſoluebat: quo illum munere ibidem fungentem ipſe cognoui. Opulenta ac beata coniugij huius ſors erat, ſed deerat fortunarum hæres: quam illi orbitatem vtrimque acerbè & iniquè ferebant. Prolem ergo ſummis à DEO Tereſa precibus contendit, ac varijs illum pietatis obſequijs hanc in cauſſam aſſumptis demulcere ac placare ſatagebat. Sobolis verò deſiderandæ alia non erat ratio, quàm vt ſe vita defuncta hæres ſupereſſet, qui ſuo nomine, ac veluti loco continenter Deum dilaudaret ac coleret. Neque ſanè vmquam ipſa aliud in hoc hæredis deſiderio ſpectauit. Cognito verò Apoſtolum Andream ſuo interdum patrocinio & interceſſione ſteriles vteros fœcundare, miro atque inflammato erga Diuum hunc ſtudio rapi, eique identidem orbitatem ſuam commendare cœpit. Audijt vocantem, intercedente Andrea, Deus; non quidem prolem, quam poſcebat, ſed alium, qui longè meliùs ac diuti' faceret, quod ipſa fieri cupiebat: vt exſtaret nimirum aliquis, qui ſui loco Deum celebraret, ac veneraretur, petenti elargiturus. nam hoc ipſa condidit monialibus, vti ſtatim videbimus, cœnobium; in quo iam inde ab initio feruentes Dei ancillæ ſunt commoratæ, & hodie quoque plurimæ commorantur; de quarum ipſe ſanctimonia luculentum dare poſſem

Tereſa Laizia triduana loquitur.

Z 2 teſti-

teſtimonium (quòd plurimas illarum perfamiliariter noui,) niſi duæ me illæ, quas ſuperiori produxi capite, rationes impedirent. Quin etiam illud ipſum ab aliqua de cognatione illius fieri perpetim DEVS conceſsit. Perpetuo namque iure vni ſuæ ſtirpis puellæ, nec non vni de mariti progenie eſſe hoc in domicilio ſtabilem voluit locum, vt ſi cui ea cœlitus mens inſpiraretur, ſine vllo prorſus cenſu huc continenter admitteretur. Quadam ergo hæc nocte in lecto decumbens auribus vocem accepit: Noli de prole eſſe ſolicita; per hanc enim fieret, vt ſalutis ipſa diſcrimen adires. Hæc quidem matronam vox mirè perculit, at non propterea à ſolita deprecatione deſtitit, cùm ea, quam in hoc voto habebat, intentione fieri non poſſe ſibi perſuaderet, damnationem vt incurreret: hinc ſuas pro more preces ingeminat, & pro ſobole DEO, patrocinante Beato Apoſtolo Andrea, feruenter ſupplicat. Hoc ergo dum rogare aſsiduò pergit, vigilantinè an dormienti incertum, oblata viſio; ſed à DEO illa quidem profecta, vti ſecutus declarauit euentus. Verſari ſibi quadam in domo videbatur, ſub cuius areæ porticu puteum cernere ſe putabat. haud procul inde vernantiſsimum conſpexit pratum candidis perfuſum floſculis, adeò quidem elegantibus, ſimiles vt vidiſſe ſe non meminiſſet, & quo elegantiam illorum modo explicaret, neſciret. Puteo adſtantem Apoſtolum vidit Andream, forma venerabili ac decora, & ita quidem ſpectabili, vt Apoſtolum eſſe haud dubiâ ipſa coniecturâ perſpiceret. Magna illius aſpectus videntem voluptate perfudit, è quo mox audijt: Longè alij hi ſunt liberi, quàm quales ipſa expoſcis, lectiſsimos illos (vt mihi quidem ſit veriſimile) flores deſignans. Exinde omne illi ſobolis habendæ abijt deſiderium, nec iam ampliùs liberos à DEO inter precandum expetijt; ſed agere cum marito inſtituit, cùm prolem ſibi rerum arbiter negaſſet, operæ ſe pretium, ac dignum DEO opus facturos, ſi ſuis è facultatibus monaſterium conſtruerent, in quo continenter aſſidueque piæ DEO monachæ famularentur. Nec abnuit pio coniugis ſtudio maritus, ſed libens annuit; at diſplicuit locus, in quo ipſum illa erigere in animo habebat (erat is haud procul Alba, *Tordillos* nomine, natale mulieris ſolum.) Per idem tempus Maria Henricia, Dux Albana, Velaſcium ad ſe euocat, Ferdinandi de Toleto Ducis, ſimul & ſuum illum quæſtorem creatura. Quem ille magiſtratum cùm iniſſet, & domum Albæ ad familiam conſtituendam comparaſſet, ſuam huc etiam per litteras coniugem inuitat. Venit illa quidem, etſi perinuita, quòd Albana illi diſpliceret ciuitas; multò verò magis illæ, quas maritus coemerat ædes. erant namque parum commodæ, & paucis illæ cubiculis diſtinctæ, tametſi optimo ſitæ loco, ac capaciores. Vt ergo luce poſtera primùm in aream deſcendit, & porticū, & ſub eadem puteum conſpexit, ſtatim animo recurrebat, hunc ipſum ſanè eſſe

Tereſa Laizia S. Andream per viſum conſpicit.

eſſe locum, quem per viſum iam antè, Apoſtolo Andrea ſibi apparente, conſpexerat. Hinc ſecum ipſa mirari, quomodo horum omnium ignarus coniux in hanc incidiſſet fortuitò domū, quę tanto antè ſibi eſſet tępore exhibita. Nec plura inquirens, penitus hoc demum monaſterium loco extruere decreuit. Atque exinde Albana tædio eſſe deſijt commoratio: quin potiùs, cùm hæc voluptati eſſe cœpiſſet commigratio; numquam inde recedere ſtatuit. Vnde & cōtiguas compararunt ædes, ad eius quod moliebantur cœnobij terminos dilatandos. Cogitabat autem ſecum ipſa aſſiduò, atque anxia animo verſabat, cuiuſnam potiſſimum inſtituti monialibus locum attribueret: volebat enim eas & numero pauciores eſſe, & ſtudioſiſſimas ſolitudinis ſectatrices. Hac ipſa de re cum variorum inſtitutorum ſodalibus communicauit deliberans, vt quod optimum ac rei diuinæ maximè conſentaneum foret, ex ipſis diſceret. Nec minor à parte Velaſcij hac in re erat ſedulitas & accuratio. Verùm ij, quos conſulebant, Sodales, ſatius aſſerebant fore ſuas in alia piæ caritatis opera facultates, cùm id animo penitus ſederet, impendere, & in quod cœnobij fundandi ſtudium propendebant, ab illo ipſos abducere multis ſunt verbis conati, allatis ad hoc etiam, etſi parui eæ momenti viderentur, rationibus. His ergo rem diſſuadentibus animum etiam ipſa mutauit: ſe namque Satanas, iam tum quod inde ſibi diſpendij immineret prouidens, qua poterat ope interponebat. Quamobrem cùm à monaſterio eam fundando Religioſi ipſi eſſent dehortati, cum marito in eam venit planè ſententiam, vt potiſſima fortunarum parte in dotem patrueli ſuo Velaſcij cōſobrinam ducturo tradita, reliquam in mutuum animarum poſt hanc vitam ſubſidium alijs pijs operibus dedicarent. Id quidem etſi vtriuſque menti diu inſediſſet decretum, fruſtra tamen fuit; cùm ſummus rerum moderator Deus id conſtituiſſet, quod nominis ſui gloriæ promouendæ, & proprijs etiam illorum commodis adaugendis magis conduceret. Vix deni & quini effluxerant ab hoc propoſito dies, cùm is de quo dixi adoleſcēs in grauem adeò derepentè incidit ægritudinem, vt haud multò pòſt eum mors oppreſſerit. Hæc ipſam cùm non mediocri ſtupore ac timore compleuiſſet, ſimul animo recogitabat, vti Ionas Propheta vltricem Dei ſenſit manum, quòd illius eſſet iuſſis obluctatus, non ſecùs ſibi Deo vindicante cariſſimum hunc nepotem morte ſublatum, quòd diuina exequi monita neglexiſſet. Hinc denuo animum ad inceptam de monaſterio condendo cogitationem reuocat, etſi quo illam opere perficeret modo, planè ignoraret; cùm quòd, quales ipſa optabat monachas, & Deum optare ſibi è viſo perſuaſerat, nullas vſquam inueniret, tum quòd deeſſet, qui aliquam talium ſibi habendarum ſpem faceret; non tamen deerant, qui ipſam irridebant ſedulò anxieque quæritantem, quod vſpiam inuenire non poſſet. Maximè ab hoc illam opere dehortabatur, ac rei difficultate obiecta reuocabat Pater quidam è veneranda *Ion. 1.*

D. Franciſci familia, vir doctrina ac caritatis officijs præſtans, cui ipſa confeſſione noxas aperire aſſueuerat. Mirè quidem hoc illa diſſuaſu angebatur, atque animo affligebatur: ſed perbreuem hanc eius eſſe amaritudinem & deſolationem mœrentium conſolator voluit Deus. Cùm enim ſacerdos hic foras conceſſiſſet, & multa coràm de cœnobijs à Tereſa de Ieſu hinc inde conſtitutis inaudiſſet, ſimul & quod in iiſdem vitæ ſeruaretur inſtitutum, accuratè per ſe ipſe inquiſiſſet; Albam reuerſus Tereſæ Laiziæ eas ſe reperiſſe ſignificat Monachas, quas adeò ſolicitè quæreret, & quales ſibi effingeret; cuncta ex ordine, quæ fama de beata Matre ac ſodalibus illius acceperat, illi enarrans. Suaſit proinde, vt cum ipſa hac de re omni per litteras coniuges conferrent. Igitur nihil cunctati cùm ea, quam initio ſignificaui, occaſione ad ipſam ſcripſiſſent, quod etiam antè commemoraui, contigit. Albam igitur Tereſa rurſus excurrit, ſed æquo diutius res trahebatur, ac varia vltrò citroque proponebantur incommoda, nec fundatores futuri, vt ea qua oportebat liberalitate & copia prouentus aſſignarent, adduci poſſe videbantur. Eius namque ſemper Tereſa fuit ſententiæ, vt iis diceret monaſterijs, quæ piorum non victitarent eleemoſynis, vel neceſſaria omnia abundè in vitæ tutelam atque indigentiam corporum ſuppeditanda, ne quid ab externis in vſus ſuos neceſſitate premente poſtulare cogerentur, vel eorum penitus fundationem intermittendam videri. Tandem re tranſacta, & pactione inita, certos illi prouentus, ad neceſſaria ſubſidia vitæ vtcumque ſufficientes, aſſignarunt. Itaque nemine omnino aduerſante id domicilium, ab Annuntiata Deipara cognominatum (namque id illi nomen viſum eſt imponere) VIII. Kalend. Februarij, anno ſæculi huius primo & ſeptuageſimo, die Apoſtoli Pauli Conuerſioni ſacro, in illis ipſis in quibus commorabantur ædibus, è quibus ipſi ad alias commigrarunt, fundatum eſt. Adimpleta igitur hoc pacto fuit Tereſæ Laiziæ facta viſio, ſimul & S. Andreæ Apoſtoli prædictio: atque id demum eſſe perſpexit viridarium, in quo lecti illi & odoriferi excreſcerent flores, quales iam tum, Deo dante, excreuerunt, ſuauiſſimum odorem exhalantes; quin etiam primoribus marceſcentibus occidentibuſque, noui pòſt futuris temporibus continua abundantia ſuccreſcent. Hoc ipſo loco inſigne poſt fundatores conſtruxere domicilium, & ædem ſacram non contemnendam, quæ etiam hodie conſpicitur; cuius in ſacello principe illorum, inſigni ad poſteritatem monumento, condita ſunt corpora, in quo & anniuerſaria ſacrificia, & ſacerdotia presbyteris certis prouentuum cenſibus fulcire non dubitarunt. vnde de ſacrificijs ac Miſſis abundè illi eſt ædi proſpectum; ſacrifici porrò ipſi vt præ ceteris probitate excellant, ſedulò aduigilatur. Huius in primordia domus conſtituenda Agnetem de Ieſu, Palentini domicilij iam moderatricem, nec

non

Digitized by Google

non M. Ioannam de S. Spiritu, quam Toleti reliquerat, B. Mater conduxit; quicum venere Guiomara de Ieſu, & Maria de S. Sacramento; Aretina verò Thomaſam Baptiſtam, Burgenſi cœnobio hodie Præpoſitam; & Salmantica Mariam de ſancto Franciſco, quę in præſens Albanum hoc cœnobium regit, euocauit. Ioanna porrò de S. Spiritu prima conuentum hunc ex B. Matris præſcripto eſt moderata, vicariam illi operam præſtante Maria de S. Sacramento.

## CAPVT XVIII.

### *QVAE PERPETVA ITINERIS TERESAE, CVM Monaſteria fundatum abibat, fuerit ratio: & quomodo Deo inſpirante iubentequę hac itinera ſuſciperet.*

AEbano domicilio conſtituto biennium circiter abijt, ex quo nullum de nouo monaſterium alibi conditum à Tereſa eſt, cuius rei illæ fuere cauſæ, quas ſequentis libri exordio depromam. quare minimè abs re mihi fore viſum eſt, ſi illius ad nouas fundationes properantis, itineris rationem & modum proſequendo, huic finem imponam. Si quando aliquo illi erat cœnobio egrediendum, non alias ſecum ſodales conducebat (niſi fortè ſingularis aliqua neceſſitas ſingularem aliquam euocandam ſuaderet) quàm quas ſponte ſua nec illibenter norat antè ſecum venturas, quibus deinde immenſas verbis amicabilibus ac beneuolentiam ſpirantibus gratias agebat, quòd vltrò gratanterque hoc ſecum ad iter ſe offerrent. Eo autem die, quo diſcedendum erat, ſacrum vt Euchariſtiæ viaticum ſacerdotis è manibus acciperent, ſatagebat. Vt autem maior proficiſcentium quies atque interior recollectio mentis eſſet, rhedis aut lecticis illas, ſi ſine magno haberi poſſent incommodo, ſemper vehi optabat, ne per viam vel in hoſpitijs monachæ, ceu vagantes, malignorum paterent contemptui & calumnijs, & omnis obſcœnis nefariorum hominum ſermonibus hoc pacto libertas ac via præcluderetur, quibus aliæ paſſim fœminæ, præſertim inopes, & nullius auctoritatis vel nominis, ab impuris excipi per iter ſolent. atque hanc ob cauſam exteriori ſchemate eſſe eas matronis ſpectabilibus ſimiles volebat. Si rhedæ commoditas non ſuppeteret, curribus eas vehiculiſque alijs, ſed clauſis vndequaque, ſubuehi curabat: vnde non minùs in ijs ab aliorum conſpectu arcebantur, quàm ſi cœnobiorum clauſtris arctarentur. Acriter item increpabat, ſi quam videret velo profundiùs demiſſo os vultũq; non ſatis obtegere, quotieſcũq; ab externis cõſpici poſſet. Ipſa verò licèt

Digitized by Google

Tereſa ſuss vult velum demittere, ſi quando alios alloquerentur. Signum orationi & ſilentio per viam dari volebat.

licèt vel mulierem alloqueretur, velamen ſemper demittebat, niſi fortè cum id genus homine ſermonem conferret, cum quo ita ne fieret, iuſta aliqua ſuaderet ratio. Tintinnabulum ſemper aſſumebatur, quo & orandi, & ſilendi ſuo ritè tempore ſignum dabatur, quale domi fieri ſolebat: nec non clepſydra, ad horarum ſpatia interſtinguenda. Toto autem illo quo in via agebant tempore, omnes itineris ſocios, tam Religioſos, & alios Sacerdotes, quàm laicos, cùm dominos, tum famulos ſilere oportebat; nec pia hæc quemquam conſuetudo offendebat. Vbi verò ſoluta oratione vel ſilentio, iam ſignũ dabatur inuicē confabulandi, iucundum erat ſpectaculũ videre, ecquo famuli gaudio geſtirent, quaſi iā vinculis ſoluti. quibus etiam, quod accuratè ſiluiſſent, aliquid pia Mater amplius in cibum ac dimenſum dari præcipiebat. In carpento curruve, quo ipſa non vehebatur, aliam quamdam deſignabat, cui ſocias non ſecùs ac ſibi parere volebat. hoc illa facto non obedientiæ dumtaxat aliarum periculum faciebat; ſed etiam talenti illius, quam inſpectricem crearat, quod ad alias regendas præ ſe ferret. In diuerſorium ſimul ac appuliſſent, conclaue quoddam ſecretum occupabant, in quod ſe ſolæ ipſæ includebant, reliquis comitibus excluſis. illius ipſa oſtiariam conſtituebat, quæ cibaria ceteraque neceſſaria adferenda inferret. Si tenue in diuerſorium aut domunculam perueniſſent, quæ ſecretum non haberet cubiculum, rudi quodam panno intermedio ſuarum diſtinguebat cubilia, ne ab alio quopiam curioſiùs conſpicerentur; atque inde neceſſaria inferebantur. Ipſa mane ſocias prima ſomno excitabat, poſtrema verò cubitum concedebat. Numquam non ſacerdotem in comitatu habebat, qui & confitentibus operam daret, & rem ſacram faceret. Hoc quotidie operum ipſi erat primordium. Sub ſacrificium autem ſacras Euchariſtiæ epulas inibat: idque illi, etſi maximopere feſtinaret, ſi quando fieri commodè poterat, ſolenne erat, neve vmquam intermittebat. Aquam luſtralem per viam continenter habebat, non rarò etiam puerulum IESVM vlnis geſtabat. Ex quo fiebat, nullam vt ei iter animi afferret diſtractionem, nec maior menti ab profectione campeſtri, quàm commoratione domeſtica, non maior à negotiorum tractatione & laboribus, quàm quiete ac tranquillitate accederet turbatio. imò verò ſpirituales ſenſus, ac chariſmata, quibus illius animam Pater cœleſtis opplebat, adeò copioſè affluebant, vt ijs ferendis aliquatenus mentem in ſeſe reuocatam diurnis nocturniſque laboribus, atque negotiorum occurrentium aberrationibus ac tractatione diſtrahi oporteret. Nec verò itineris causâ ſolita inter orandum dari ſpiritus collectione, aut Dei vbique præſentia fruſtrabatur; quem nimirum adeò ſibi ſemper præſentem habebat, vix vt vmquam eum ex animi oculis amitteret: non tamen eo, quo reliqui contemplatiui modo, ſed alio quodam longè ſublimiori. Ibi namque, in intimis animæ penetralibus, trium perſo-

Tereſa ante omnia ſacrum audiebat & confitebatur.

Aquam luſtralem per viam portabat.

Quàm in itinere mentem haberet collectam.

Digitized by Google

personarum diuinarum præsentia perfruebatur, easque admirabili quadam ratione in se persentiscebat, vt vbique sibi adesse eas & comitatum præstare sibi persuaderet. Hinc nusquam sola erat, & nullam sentiebat solitudinem, imò neminem vnquam alloqui optasset, sed iucunda hac Dei societate continenter potiri. Si quando tamen se cum alijs loquẽdi daret occasio, mira id animi voluptate ac gaudio ab ea fiebat, quasi hoc illi colloquiũm iucũditatem ac voluptatem afferret, vt nimirum hoc pacto itineris sui comites solaretur: Quorum ea erat lubentia ac promptitudo, & in proficiscendo alacritas, nullis vt viarũ molestijs deterrerẽtur, & nulla eos illius, quæ in colloquio comis imprimis ac iucunda erat, audiẽdæ caperet satietas. Si quãdo per viam dabatur occasio, de Deo rebusq; diuinis sermonem inferebat, eiusque materiam cùm posset, captabat, quo suos illa comites amicè detinebat. qui verò vel execrari, vel iocari per viam soliti erant, maiorem illius è verbis voluptatem hauriebãt, quàm ex omnibus, quibus tum mentẽ remittere potuissent, recreationibus; vti id ipsi interdum asserebant. Etsi verò placida adeò ac quieta itinerum illius esset ratio, præoptasset tamen illa, si fieri aliquatenus potuisset, sui intra monasterij latebras delitescere, quò in solitudine animo recollecta spiritui & orationi totam se dedicaret. Sed hinc Generalis ipsam Præpositi, illinc ipsiusmet Christi vrgebat imperium, vt, quotquot liceret, cœnobia construere ne cunctaretur. Iam suprà in Malagonensis domicilij erectione vidimus, quodam illi tempore à sacra cœlestis Sacramenti sumptione reuersę apparentem Saluatorem inter reliqua dixisse, non esse iam requiescendi tempus; sed, vt in monasteriorum erectione festinaret, esse cohortatum, quòd in animabus ibidem commorantium quietem ipse captaret, itaque ad hoc illam opus non parum animasse. Anno quoque primo post septuagesimum, medio propè Februario, sic illam Redemptor est affatus: *Connitere & elabora, cùm ad oculum videas, quanto ipse tibi sim auxilio: hanc te volui coronam acquirere. hisce diebus Ordinem Virgineum mirificè propagatum videbis.* Sequentia ipse verba quadam in scheda illius exarata reperi manu: *Cogitanti mihi quadam die, quanta in puritate viuatur ab ijs, qui procul negotijs quiete gaudent, & quotnam me proinde consciscere noxas oporteret, atque in varia errata impingere, quòd negotijs me immergerem, allapsa de cælo vox est; Aliter fieri nequit, filia; sinceram dumtaxat & rectam habere intentionem allabora, teq; ab omnibus prorsus denudare: meqúe respice, vt quidquid agas, congruum ac conforme sit illis quæ ipse egi.* Qui horum conscij non erant, quibusq; ipsa etiam incognita Mater erat, neve charitatem, qua cor illius, ad diuinam ac sanctissimæ Mariæ Virginis gloriam quærendam, animarumque salutem promouendam, ardentissimè flagrabat, perspectam satis habebant, sæpenumerò iniquis ipsam calumnijs proscindebant; & hæc illius itinera secùs atque oportebat, in-

S. Trinitatis personas sibi adesse sentit præsentes.

De Deo Teresa loquẽdi occasionem captabat.



Digitized by Google

interpretantes liberiùs quàm fas erat de illis loquebantur, cùm non aduerterent, nec intelligerent quid loquerẽtur, vel potius quid se inscijs suo salutis humanæ aduersarius dæmõ ore efferri ac spargi iuberet, omni contentione ac nisu elaborans, hęc ne cœnobia erigerentur, vnde sibi quotidie tantum detrimenti ac molestiæ accedere comperisset. Verùm probra hæc B. Mater & calumnias parum morabatur: vt enim Salmanticæ quodam ipsa mihi tempore commemorauit, Iesum Christum vt Regem habebat, cui se obsequi ac famulari oportere credebat; cumque perspectum haberet, Dei hæc voluntate ac nutu fieri, nullum penitus sibi à quoquam obstaculum posse obijci aiebat, quò minùs hanc ipsam quàm exactissimè exequeretur. Quodam tempore, quæ illius erat humilitas ac prudentia, hanc ipsa rem agitare identidem animo cœpit, ac maturè cogitatione expendere: vnde & hęc verba quadam in schedula exarauit: *Quadam die cùm mecum ipsa reputarem, num quibus indecens ac nefas videbatur, me domo ad monasteriorum, quæ per occasionem fundanda occurrebant, excitationem egredi, iusta aliqua ratione niterentur, ac satiùsne longè foret continenter me orationi in quiete insistere, hæc ad aures meas vox accidit: Interim dum viuitur, non in eo omne situm est bonum, vt suauiùs ac frequentiùs quis me potiatur, sed in voluntate mea præstanda.* Vnde etiam subnectit: *Cumq; mihi videretur, quòd Apostolus Paulus de mulierum domimanentia ac solitudine loqueretur, vt haud ita pridem à nonnemine intellexi, & ipsa etiam antè audieram, hanc fortè Dei voluntatem fore; statim audiui, Dic illis, non vno sedumtaxat sacrarum litterarum testimonio uti oportere, sed alia insuper consulere; simul & percunctare, num fortè in illorum sit potestate manus meas ligando constringere.*

FINIS LIBRI SECVNDI.

VITAE

Digitized by Google

# VITAE B. MATRIS TERESÆ DE IESV

# LIBER TERTIVS.

## PROLOGVS.

### QVANTO B. MATRIS TERESAE DE IESV REGVLA ET CONSTITVTIONES IN PRETIO HABENDÆ SINT, QUÆQUE ILLIUS FUERIT PROCEDENDI RATIO.

*SI quando prima illius regulæ, quam B. Mater Teresa de Iesu induxit, simul & Constitutionum ac Decretorum, quæ quò illa obseruaretur perfectiùs, magna cum prudentia ac Dei spiritu pòst ipsa de suo condidit, perfectionem mecum ipse considero, simul & itinerum frequentiam, labores, incommoda, molestias, quas in erigendis domicilijs suis identidem perpessa est; non possum non summoperè velle, vt prima hæc statuta atque additæ Constitutiones numquam non quàm accuratissimè obseruentur, & vt quæ illis in domibus agunt filiæ, plenam integramque maximi illius beneficij diuinitus accepti, quòd pede sicco, ac sine vllo prorsus incommodo vel labore ad tanto sudore renouatum & conditum Ordinem, ab illo sunt euocatæ, notitiam consequantur. Neque enim id aliud est, quàm ad lectissimis spiritualibusque instructam ferculis mensam accedere. & sanè quò minori hæc instructio epuli constitit labore ijs quæ ad hoc vocantur, eò* Excellentia regulę B. M.

 ad

Digitized by Google

*ad maiores potenti huic Domino & homini, qui cœnam hanc magnam instruxit, & eodem plurimos inuitauit, gratias agendas à parte sua obligatæ sunt. Nec verò solis verbis, verùm etiam operibus hæ grates agendæ sunt, vtpote in quibus illarum actio magis ac viuacius elucescit. Operum nomine intelligo suo Constitutiones has in vigore semper conseruare, easque velut sacrum quid, & summa veneratione dignum honorare; nec aliud insistere aut sectari iter velle, quàm per quod hæ hominem deducunt: est illud namque certissimum, & ad cœlum quàm rectissimè perducens. Tum verò in vigore & flore conseruantur, & venerationem accipiunt, si quando ita illarum inuiolata & sacra custoditur integritas, vt nihil in ijsdem à quoquam immutari infringique sinatur, cùm tam maturam in illis condendis considerationem & experimentum, tot precationes, & orationes, tot diuinas significationes illarum parens & concinnatrix adhibuerit. Quis porrò adeò cæcutiat, vt non ad oculum videat, cùm Deo beatam Matrem Teresam de Iesu in horum domiciliorum fundatricem potius deligere placuerit, quàm aliam quamlibet; etiam maiorem illi rerum ad ipsa regenda moderandaque, nec non conseruanda necessariarum notitiam, quàm alijs quibuscumque concessisse; cùm Dei semper perfectissima sint opera? Cùm verò harum Constitutionum adminiculo ac præsidio omnia hactenus vbique locorum cœnobia effloruerint, & continenter maiora incrementa acceperint; haud obscurè inde colligi licet, easdem consentaneas rationi & proprias imprimis esse: de quibus, si has immutari contingeret, ignoramus quid futurum esset. Quin potius si aliqua in ijsdem mutatio contingeret, & illarum aliquid auctoritati ac reuerentiæ ipsis debitæ decederet; & ne quidē seruaretur quod mutatum esset (quod iam de facto illud ablatum sit) multò verò minùs quæ postmodum addi statuique de nouo contingent: quia augurari licet eadem postea suo tempore non minùs facilè quàm priora infringenda ac luxanda. quæ sanè res maturo prudentique est ponderanda iudicio, ac pendenda momento. Aliud verò nouumque iter velle ingredi, nihil mea quidem sententia est aliud, quàm è libris spiritualibus, quos legere fortè continget, aut ijs quæ audientur concionibus, aut demum è pijs confessorum consilijs, ad praxim aliquid mutuari vel vsū, quod regulæ huic ac constitutionibus, etsi de cetero id saluberrimum ac maximè congruum videatur, quo-*

Cur mutari nefas, quod semel bene fuerit cōstitutum.



Digitized by Google

quomodo aduersetur. Nam licèt id alijs fortaſſe conducat, non tamen familiæ huius monialibus, ſi id eiuſdem ſpiritui procedendiquе rationibus vſibuſquе minimè conforme ſit. Quoniam verò apertè Beata Mater decreuit, ſuiſque in libris identidem inculcauit, vt ſui inſtituti ſectatrices de ijs, quæ ad ſpiritus directionem ac regimen ſpectant, cum viris eruditione & ſpiritualium rerum experientia præſtantibus, deque interioribus animi negotijs communicarent; & non ſine ratione ac cauſa ad hoc ſæpius ſuadendum commonendumquе multoties ferebatur (quòd ingentia & manifeſta, id ni fieret, inde ſequerentur incommoda;) omnem quam poſſunt adhibere Præpoſitæ diligentiam & operam debent, vt hi, quos conſulunt, non viri ſint docti modò, & experientiſsimi ſpiritualium diſciplinarum magiſtri, verùm etiam norint, ecquis inſtituti huius ſit ſcopus, quis finis, quæque conuenientiſsimæ aptiſsimæque illius aſſequendi ſint rationes; denique qui his in monaſterijs ſeruari ſolitas conſuetudines promouere, & nuſquam non eaſdem probare ſingulari cum affectu ac ſtudio allaborent. Non de illis hæc dicta volo, quos nonniſi ſemel atque in re aliqua dubia iterum conſilij petendi gratia conuenire contingit; ſed de illis, quos vel ſæpiùs, vel continenter ac de more de animi negotijs conſulere oportebit. Statim verò in his, qui ordinarij futuri ſunt conſultores, hic notari affectus poterit; imò nec incongruum fuerit, aliquando de his ſtudio per ſpeciem dubitantis ſermonem miſcere, vt de his illi liberè quod ſentiant, exponant. in quibus ſi is, quem dixi, affectus, atque æſtimatio minimè reluceat, confeſtim, cuius cuius demum ſtatus ſint aut inſtituti, loco mouendi. Notandum autem, hanc quam ſignifico dotem ac ſtudium non in hoc illoue ſacræ veſtis genere ſitum eſſe, ſed quòd huic quam dico rei ſtuduerint: & parum referre, huius vel illius inſtituti ſint ſectatores, modò ætate, vſu ac ſcientia valeant. Etſi hæc eò non dicam, quòd hoc velim prætextu impedire, quò minùs cum viris probatis, æquè religioſis ac ſecularibus, de rebus ſuis conferant. Ita enim per ſpeciem, dum ab illis Conſtitutiones exactè ſeruari volo, tacitè & diſsimulanter iiſdem aduerſariũ me præberem, omnem illis quam ſtatuta ſpondent (vti ſexto illorum capite colligere fas eſt) libertatem & præſidium adimendo. Harum triũ dotium in conſultoribus ſi vel vna defuerit, multum inde conſulentib. accidere detrimẽti poterit. Si enim illi ignari & imperiti ſint, peccatũ

Quid Antiſtitas Ordinis oporteat curare.

*inuenient, vbi nullum erit, & econtra, vbi magnum suberit, nullum eodem includi asserent. Erit cùm, quod impostura & illusio mentis est, velut rem diuinam & exploratam approbabunt; quod verò securum & sincerum, pro meris id habebunt præstigijs. Si verò exiguum harum rerum habuerint vsum, nec à dubiorum ac perplexitatum pedicis animas expedire, nec consolationem mærentibus afferre poterunt; demum quod cacodæmonis est tentatio & vexatio, pro Dei venditabunt spiritu, vnde vel idoneum morbo pellendo remedium afferre, vel congruum iam persanatis præscribere directionem ac regimen, aut salutaria suggerere, cùm ad vires recuperandas, tum sanitatem iam habitam integram conseruandam monita nequibunt. Duo quidem hæc quanti sint momenti, nemo non perspectum habet; tertium verò non tanti referre fortè quis existimet, ita vt parua, aut forsitan nulla eius habenda sit ratio: cùm tamen id imprimis necessarium sit. Si enim quis modi procedendi, consuetudinumque in familia hac atque ordine obseruari solitarum ignarus, aut qui eas magni non pendat, animarum regimen ac directionem amplectatur, fieri non poterit, quin breui alienus quidam spiritus ac peregrinus eam sit religionem penitus occupaturus, itaque plures constitutiones vel minimè seruentur, vel flocci fiant; quòd quid aliud longè maioris momenti & conuenientius esse sibi seruandum moniales persuasum habebunt. Hoc pacto fiet, vt, quæ laudabiliter hoc in instituto hactenus vixit monialis, pòst futura sit non tam Ordinis huius, quàm alterius cuiusdam sectatrix, vna excepta veste, quæ, vt fertur, monachum non constituit. Eatenus cùm rem diabolus perduxerit, non paruum quid se fecisse reputabit: nec immeritò: postquam enim negligere monacha cœperit, quæ suæ sunt religionis propria, intima & essentialia, iam Religiosa esse desinet, tametsi alioquin & vestem deferat, & in cœnobio agere perseueret, id est, nonnisi exteriùs religiosum schema & speciem præferet; & ne hoc quidem perfectè, adhæc constitutiones suas violabit, vtque aliæ ad eius exemplum violent, in causa erit, atque vniuersam congregationem ac domesticam quietem perturbabit. Vtinam verò, Deo dante, hæc vti pernecessaria sunt, ita cordibus infigantur earum, quæ cœnobijs præfuturæ sunt moderatrices: si enim hic suis illæ desint partibus, tandem quod inde sequetur dispendium reipsa comperient. Ex ijs verò, quæ partim secundo diximus libro,*

Quàm damnosum sit ignaros consulere, & rerum expertes.

Digitized by Google

*bro, partim quæ tertio hoc prosequêmur, haud difficulter perspici poterit, atque intelligi, ecquis Religionis huius sit finis ac media, quæ illius porcedendi ratio, tum verò id è quarto erui longè meliùs poterit, in quo vniuersa hæc velut in perfectißimo, quod exhibebimus exemplari & imagine, opere ac reipsa perfecta videbimus.*

---

## CAPVT I.

### *TERESA IVBETVR INCARNATIONIS adire cœnobium: quid toto interim illi tempore acciderit.*

SVB idem, de quo modò dicebamus, tempus, annum scilicet præsentis sæculi primum post septuagesimum, Albano iam domicilio fundato, Teresa vnà cum Agnete de IESV Salmanticam reuertit, suâ moniales Salmantinas, commoda tecti oportunitate destitutas, ac rerum necessariarum penuria laborantes, & nondum in vulgus cognitas, dierum aliquot consolatura & erectura præsentiâ. Quo cùm per dies pauculos substitissent loco, Metinam ambæ deferuntur, quæ ibidem loci inter nouitiam ac parentes eiusdem enatę erant, turbas compositura. hæc fortunarum atq; hæreditatis suæ partem in monasterium, à necessarijs rebus parum paratum, transscribere cùm vellet, obstabant parentes, id sibi potius donarium deberi asserentes. Hoc loco pro diuino honore susceptos gressus illi ac labores suos aliquatenus visum fuit DEO clementisśimo remunerari, aliquod animæ illius lucrum addendo. Huius rei penitiùs cognoscendæ ergò hoc dicamus oportet, solùm Abulensem conuentum Ordinario loci paruisse, reliquam verò pòst erectorum multitudinem Patrum Carmelitarum Ordinis Mitigati imperio subiectam fuisse; quò etiam Teresa ipsa iam inde à primo Abulæ conditi cœnobij tempore propenderat. Cùm autem hac in quam dixi controuersia Teresa cum Agnete neophytæ partes, vti par erat, agerent, Carmelitani verò parentibus fauerent; hanc commodam ipsi eius, quam moliebantur, rei occasionem fore sibi persuadebant, ad eas scilicet vrbe exigendas. Adhæc non parum eos Teresa offenderat, quòd Agnetem de IESV, cùm Metinensem Præpositam ageret, suo inde iniussu euocatam, Albam ad noui cœnobij primordia constituenda auexisset. Omni hac in re B. Mater vacabat culpa, vtpote quæ inaduertenter in eadem processerat: cùm enim fundandorum à Superioribus facultatem monasteriorum obtinuisset, & solam proficisci minimè decens fuisset, eas in comites ipsa

*Carmelitæ B. Matrem offendunt.*

ipsa suas assumebat, quæ sibi rei, quam aggrediebatur, & præ manibus habebat, commodiores viderentur. Ergo ambabus nihil minus opinantibus litteras Prouincialis destinat, grauibus propositis pœnis & anathematis interminationibus, vt ilicò, & eodem quidem die, ambę Metina excederent, ac Teresa Quesadia Monasterij illius moderamen susciperet. id minimè diuturnum fuit, cùm enim parum commoda Quesadia vteretur valetudine, haud multò pòst ad Incarnationis redijt: vnde factum, vt semestri aut circiter Metinensis domus Præpositam non habuerit. Ad has ambæ litteras nihil obiectantes, gratanter maxima animi demissione parent, & nihil dum cunctantes, conuasatis dumtaxat ijs, quæ sibi ad iter faciendum, & in commeatum necessaria erant, eadem ipsa vespera vrbe excedunt, Albam concessurę. Eodem propè tempore, cùm S. Memoriæ Pius Papa V. quosdam Ordinum Religiosorum Inspectores ac Visitatores constituisset; familiæ Carmelitarum tam Calceatorum, quàm Excalceatorum Inspector obtigit Petrus Hernandius Præsentatus, è Dominicanis sodalibus, insignis auctoritatis, prudentiæ ac sanctimoniæ vir. Huic iam dudum Teresa nostra perspecta erat; cùm enim initio de illa non piè satis sentiret, vtpote cùm sanctitatem illius famę, quæ de ipsa iam omnium animis insederat, responderе minimè arbitraretur (etsi maximæ auctoritatis viri longè secùs sentirent, & magni spiritũ eius facerent, atque imprimis Dominicus Bannezius, S. Theologiæ Lector, vtpote cui res hæc notissima erat) cum ipsa conferre statuit, & coràm quæ de ipsa spargebantur, cognoscere. Ita porrò illi B. Matris satisfecit narratio, multa vt de eiusdem virtutibus sæpè dein ipse referret, & eximius eiusdem fieret præco: etsi alioquin nihil in immensum ipse extollere, nec quod res non erat, commemorare soleret. Vnde & Bannezio pòst familiari in sermone dicere non dubitauit, *Dictum mihi erat mulierem esse: verè non est, sed barbatus quidam vir.* Inque ea ipsi opinione Beata nostra Mater erat, vt, cùm se præsente viri aliquot graues eius nomen carperent, & calumnijs impeterent, insigni cum libertate & mentis ardore dicere illis obiurgando non vereretur: Tam sanctæ virgini verbis detrahi minimè feram; atque ilicò me, si hisce in sermonibus vlteriùs progrediamini, hinc subducam. Abulæ igitur Teresa cùm posteà versaretur, Petrus Hernandius, Apostolicus Visitator, fortè huc deportatur: cui tum ait, minimè illius domui huic curam necessariam videri, sed satiùs longè fore, aliò si cócederet, vbi illius opera & esset salutarior, ac magis necessaria. Metinam ergo abire iubet, quòd, cùm regulam mitigatam professi Carmelitani illam lustrassent domum, eâ quam ipsa constituerat præsens, superiore loco mo â aliam Teresam cognomento Quesadiam substituissent, vti iam nuperrimè dicere memini. vnde monialibus nonnihil accidit turbarum & inquietudinis. Quibus vt occurreret ipse incommodis, Beatam Matrem Metinensi domicilio, suffragantibus eidem monialibus omnibus præposuit, & ab

P. Hernãdius Teresã magni facit.

Metinensi domui præficitur B. Mater.

Digitized by Google

& ab Abulensis, cui etiam cum potestate præerat, gubernatione sedis submouit. Bimestre, eoque amplius hoc in munere egit. Cùm enim is ipse Hernandius Incarnationis Abulæ itidem cœnobium lustrasset, consultissimum illi, atque è re monastica non parum futurum videbatur, huic Teresam præponere, vt quotidianis vitæ sanctioris virtutumque exemplis aliam longè domus illa formam indueret. Graue id famulæ Dei imperium accidebat, quòd suis in cœnobijs versari mallet, in quibus maiori se mentis quiete ac tranquillitate potiri, maioremque Domino seruiendi opportunitatem habere existimabat. Eò verò ab hoc ipsa iusso alienior erat, quòd suis maximè necessariam se monasterijs ad eadem coràm inspicienda ac dirigenda esse cerneret, quibus, ibidem agens, non adeò commodè atque oportunè se posse consulere persuasum habebat. Quem enim ad modum cócreditas sibi domos & cœnobia Prouincialis visitat ac moderatur, ad eumdem sua Teresa gubernabat, cùm singulorum ad ipsam vnam negotia per litteras referrentur, ad quæ vicissim ipsa, quid faciendum videretur, respondendo rescribebat; ipsa religiosas tam spiritui vacantes, quàm operibus destinatas domesticis adlegebat, & per varia distribuebat domicilia, ijsq; omni in re auxilio & præstò erat. vt sanè prodigij simile videatur, mulierem adeò imbecillem, tot excruciatam morbis, solam tot negotiorum pertractationi sufficere, & ad eum perfectionis ac sanctitatis gradum suas perducere, tot tantorumque domiciliorum temporalibus æquè commodis ac spiritualibus prospicere potuisse, ita hæc curando, vt tamen illa non negligeret, & præsertim turbidis ac procellosis temporibus, ac maxima maleuolorum exagitatione iactata. Hanc quoque in parendo huic mandato difficultatem augebat ardens quo in moniales ipsa suas ac sodales ferebatur amor, quòd in maxima illæ interim solitudine ac velut orbitate, matre absente, versaturæ viderétur. Quocirca cunctabatur, nec rem, qua oportuisset celeritate vrgebat: vnde nec antè huc concesit, quàm id, quod sua ipsa scripto commisit in hæc verba manu, accidit: *Cùm post octauam festi Visitationis Deiparæ in quodam montis Carmeli secessu cellulaq; agerem, de fratrib. meis quemdam Deo per preces commendans, dicere me Deo, incertum an animo dũtaxat, memini: Cur fieri dicam, Domine, vt eo in loco frater hic meus versetur, in quo salus illius in summo est periculo? Si quem fratrum tuorum simili in discrimine cõstitutũ cernerem, quo me putas ardore opem & suppetias illi allaturam? Equidem mihi videor omnibus elaboratura modis, & quoad poßim operam datura, nihilq; quod huc faciat omissura. Tum mihi Dominus: Incarnationis monachæ, filia mea, carißimæ meæ, sorores meæ sunt: & ipsa tergiuersaris. Animos dumtaxat assume, ac tecum me id velle reputa; neue adeò id arduum esse, vt tute id tibi fingis, & quæ reliquas domos tuas putas via & occasione perditum iri ac dissolui, ea tam illa, quàm hæ meliùs habebunt. Noli igitur obluctari: magna enim mea est potentia.*



Digitized by Google

His illa rationibus ita mota est, vt nihil cunctata Visitatoris iussis quamprimùm paruerit. Quatuor pòst diebus in S. Iosephi Abulæ cœnobio solenni ritu Mitigati Ordinis regulam à se abdicans, ad primigeniæ obseruationem voto se astrinxit. Hic Lectorem moneamus oportet, Teresam, vt sua in S. Iosephi commoratio nullis maleuolorum pateret calumnijs, ab Apostolicæ Sedis Legato Alexandro Cribellio Cardinali litteras, Madriti, quarto & sexagesimo sæculi præsentis anno, postridie Kalen. Augusti datas, quas & ipse vidi impetrasse: quibus copia illi fit, accedente Prouincialis sui consensu, & ex Incarnationis cœnobio, in quo vota iam olim conceperat, egrediendi, & ad suam S. Iosephi domum transeundi; quibus etiam ab omni eam iure, quod Incarnationis in ipsam exercere moniales possent, penitus exemit. Etsi verò has ipsa litteras à Legato obtinuisset, & iam inde ab initio Mitigatæ laxiorique regulæ ritè nuntium remisisset, vt ex ipsis, quæ mox afferam, formulæ renuntiatoriæ verbis colligi licet; tamen, quòd Hernandius decretum tulerat, vt, quæcumque Mitigatarum ad Excalceatarum transire rigorem seueritatemque primam vellet, solenni formula coram populo Mitigatis se valedicere profiteretur; prima hanc concipere Teresa reliquarum dux voluit. Abdicationis verba schedæ inarata, ac chirographo suo consignata, quæque ipsa publicè multis grauissimis astantibus viris ritè prælegit, sunt hæc: *Ego Teresa de Iesu, Carmelitani Ordinis B. Mariæ, in monasterio Incarnationis professa Abulæ, & quæ modò in S. Iosephi Abulensi conuentu ago, in quo prima regula seruatur (quamq; hactenus hic ipsa bona cum Reuerendißimi Patris nostri F. Ioannis Baptistæ Rubei venia sum secuta; quam & ab ipso accepi, vt non minùs in Incarnationis eamdem sequi possem, etsi superiores me mei illuc redire compellerent) coram omnibus testor & assero, hāc me toto vitæ tempore seruare velle, simul etiam voto ad hanc me obstringens, renūtiando omnibus, quæ Pontifices Romani ad prædictæ primæ regulæ mitigationem concessere diplomata. Et diuina fauente clementia hanc ipsa ad mortem vsque inuiolatam & integram seruare cogito ac spondeo. Quod quia verißimum est, meo id ipsa nomine firmaui, decima tertia Iulij die, anno M. D. LXXI.*

TERSA DE IESV Carmelitana.

Hæc illius 7. Idus Octobris, anni eiusdem, à P. Visitatore admissa fuit abdicatio, & pro ea, quam ab Apostolica sede receperat, potestate, auctoritateque ab Incarnationis illam iure exemit, & sub Conuentuum primæ regulæ iura redegit, ac tum quidem Salmantino Conuentui eam adscripsit, etsi iam Incarnationis monialibus præesset.

Cur Teresa Incarnationis cœnobio præposita sit.

In ipsam porrò Incarnationis cœnobio Præpositam constituendo maxima is, vti & in reliquis omnibus, quas gessit, rebus, vsus est prudentia: etenimq; per id tempus hac in domo rei familiaris erant angustiæ, ea penuria, vt sufficientia cibariorum subsidia monialibus non suppeterent; hinc cùm

cùm ijsdem alendis necessaria domi deessent, inter se communicato cõsilio, paternarum ædium adeundarum à Superioribus petere veniam constituerunt, vt in ijs vitæ alimenta acciperent. Cùm verò is agentium ibidem monialium esset numerus, & maxima rei familiaris indigentia omnes premerentur, fiebat, vt monastica langueret solitudo, ac disciplina religiosa passim infringeretur: quibus ipse mederi incommodis nullam B. Teresa meliùs posse persuasum habebat. Is ergo pro ea, quam habebat vt Visitator Apostolicus, potestate rem vti cõceperat, sic perfecit; etsi antè cum Carmelitanis fratribus Mitigatis in vnum vocatis locum de illa ipse maturè deliberasset; quorum omnium, & præsertim Definitorum accedente cõsensu, id visum est expedire, & iussum fieri: vt non tam nutu & electione monacharum Incarnationis ad id Teresa munus assumpta sit, plerisq; illi aduersantibus ac repellentibus, quàm Carmelitanorum Patrum iussu. hinc, dum huc primùm Teresa, suum exercitura officium transiret, parum officiosè amiceq; à plerisq; excepta fuit, etsi à Prouinciali eiusque socijs huc conducta esset. Magnæ illius aduentu in cœnobio turbæ, magna excitari cœpit emotio. Illi enim pro viribus se opponebant monachæ, & quas iracundia atque indignatio suggerebant, in innocentem illam euomebant iniurias ac probra: quibus etiam non pauci procerum ac primariorum ciuium suo assensu suffragabantur, & in cœnobij partes penitus propendebant. His ergo inferiori in odæo Prouincialis congregari iussis, cùm suæ auctoritatis potestatisque litteras prælegisset, statim, quæ seuerioris erant vitæ, & cæteris religiosiores, arrepta cruce ipsi etiam Teresæ obuiam prodire voluerunt; quam demum fratres, non sine ingenti labore, ac quodammodo violenter huc introduxere. Tum quæ contrà nitebantur, vocem tollere, & lamentis ac lacrymis cuncta complere. Primæ, magno mentis iubilo, DD. Ambrosij & Augustini hymnum in gratiarum canere actionem, posteriores contumeliosa in ipsam conuitia euomere. Sed has Beata Mater, insigni cum tolerantia atque animi prudentia, illarum factum, quoad poterat, excusando, sensim delinitas suas in partes pertraxit, vt tandem ipsam in Præpositam assumere minimè dubitarint. Quæ autem cæteris pertinaciores, maiori antè illam contentione ac conatu domo excludere studuerant, seque difficiliores in ipsa assumenda præbuerant, pacari paulatim, ac mitiùs agere postea cœpere, vt nulla non domi fuerit, quæ filiali in ipsam amore non ferretur, ac diutiùs apud se eam habere quàm licuit, non optaret. Tum verò Vallisoleto Teresa euocat Isabellam Arias, quo eam loco Antistitam iam antè crearat, quòd id illi esse necessarium, itaq; expedire videretur: hanc igitur dissimulanter, ac velut aliud acturam Abulam euocatam, suas gerere in regendi officio in Incarnationis vices iussit; illius verò in locũ Vallisoleti Mariam à S. Baptista, quæ multos eidẽ loco annos cũ laude præfuit, surrogauit. Ilicò autẽ tam in monasterio, quàm monachis

Teresa monialibus Incarnationis grata nõ est.

Aduersarias Teresa demulcet.

Quod è bono superiore in subditos dimanet bonum.

haud difficulter perspici potuit, quàm sancta probataque ab Antistita regerentur. insignis enim apparere cœpit rerum ad spiritus exercitationem spectantium ordo, ac suauiter blandeque eæ ipsæ ordinari ac dirigi, vt noua indies in singulis morum eluceret correctio, atque emendatio. qua delinitus temporalium etiam rerum moderator ac largitor DEVS, de necessarijs vitæ oportunitatibus ac commodis abundè adeò ancillis suis prospexit, nulla vt exinde illarum laborarint angustia; sed re familiari laudabiliter atque ordine certo constituta, nihil hactenus illis vmquam defuisse compertum est. Atque vt Labani, ad Iacobi introitum, benedictione sua Altissimus familiam compleuit; & Putipharem, quòd Iosephum haberet famulum, omnigenis cumulauit bonis, amborumque in immensum adauxit substantiam; ita suam huic est gynęceio benedictionem elargitus, ex quo illius sua famula Teresa regimen directionemque suscepit, & in aliam longè id formam ac faciem, quam etiamnum hodie retinet, admirabili potentiæ suæ virtute commutauit. Non sine prodigio id factum dicas: vt enim primùm huc Teresa sub solennia Quadragesimæ ieiunia venit, tam crebrò ijs ipsis diebus communi in cœnaculo passim ab omnibus mortificationes capessebantur, aliaque pia animorum, quæ sancta Mater pietatis fouendæ in omnibus causa quotidie excogitabat exercitia, adeò erant frequentia, vt quæ in Excalceatarum domibus vsurpabantur, his non dico æquari, sed cedere debere viderentur. Hoc etiam pietati ac feruori adaugendo prudenter instituit, vt duos ijs attribueret, Visitantium bona cum venia, è Patribus Excalceatis, qui illis confitentibus operam darent, & animarum curam haberent, quorum opera & industria permagno fuit ad monasterij conformationem præsidio. His per ciuitatem cognitis fiebat, vt permulti Deum deprædicare, eiusque nomen mirificis præconijs efferre instituerint. Interim Teresa proprijs non deesse domicilijs, illorumque necessitatibus omni qua poterat ope prospicere; atque Apostolum Paulum è carceribus, in quibus constrictus coercebatur, scriptis Epistolis sparsas per orbem Ecclesias consolantem & regentem imitata; hoc è monasterio, in quo Superiorum iussu velut conclusa tum tenebatur, ad sua monasteria scribere, suasque filias quaquauersus dispersas consolari, & ad perseuerantiam animare. Ante omnia instituit, vt in cathedra Priorali, in choro constituta, quædam Deiparæ Matris effigies collocaretur, cui tum ipsa domum & eiusdem claues concredidit; exinde nullius se esse numeri apud suas dicens, sanctissimam Virginem, cuius in tutela familia hæc versabatur, veram eiusdem esse Antistitam ac Præpositam, quæ ipsas gubernatura esset, pronuntiauit. Quàm hoc acceptum DEI Matri fuerit obsequium, haud multis pòst diebus id ipsa Teresæ manifestauit, quæ hanc ab illa factam sibi apparitionem scripto etiam commisit in hæc verba: *In Sebastiani*

Gen. 30.
Gen. 39.

Teresa Imaginem Deiparæ in choro in cathedra Priorali statuit.

Digitized by Google

*bastiani Martyris vigilia, primo mei in Incarnationis cœnobio prioratus anno, cùm vespertinæ sanctissimæ Dei Matri Laudes cantari iam inciperent, in Antistitæ exedram, in qua Deipara imago collocata erat, benedictam Dei Matrem vidi innumera Angelorum stipatam multitudine descendere, ac prout mihi videbatur, eodem in sedili considere. Quam posueram, effigies tum abesse inde videbatur, sed eius loco sola quam dixi Domina apparebat: quæ facie aliquatenus similis illi videbatur imagini, quam à Comitissa acceperam; quamquam subitum id ac repentinum visum fuit, vnde discrimen id non adeò certò potui notare; quod illud me in momento suspensam admodum teneret. Plurimos item videbar in summis sedilium coronicibus ac pulpitis videre insidentes Angelos, etsi non in forma corporea; quòd intellectui dumtaxat ac menti visio hæc obijceretur. Toto illo quo Laudes decantabantur tempore hunc beatissima Virgo locum occupauit, & mihi tandem ait, Optimè id à te institutum & oportunè, quòd hoc me loco constitueris. Equidem quæ hic filio meo laudes decantabuntur, præsens adero, easq; illi offeram.* Inde de se ipsa his verbis scribit: *Dominica post Pentecosten proxima quamdam à Domino accepi gratiam, spemq; eo dante concepi, domum hanc, animas inquam eius, in melius emendatum iri.* Effigies porrò illa, quam à Comitissa se accepisse scribit, illa ipsa est, quę iam Abulæ in sancti Iosephi monasterio conspicitur; qua nullam vnquam aut pulchrioré aut maioris dignitatis vidisse memini. Dedit hanc illi Maria Velascia & Aragonia, Osorniæ Comitissa. Ex his alijsque post suo loco narrandis euidenter perspiciamus licet, sicut sanctimonialibus Incarnationis beatæ Matris regimen & quotidiana vigilantia frugifera ac salutaris exstitit, ita nec hâc ipsimet commoratione inutilem planè fuisse: magnam quippe sibi hic meritorum segetem coaceruauit, & eximijs à diuina est dextera beneficijs ac gratijs donata. Eadem itidem opera haud obscurè perspexit, ecquæ veræ obedientiæ sint commoda, quanta sincerè obtemperantes maneant lucra, &, vnde sibi quis persuadet damnum ac dispendium accessurum, inde illum copiosiores commodorum spiritualium manipulos, & prouentus animi vberiores obediendo vice versa colligere.

## CAPVT II.

### *INCARNATIONIS MONASTERIVM DVM moderatur, nouum Segobiæ, sub titulo sancti Iosephi Excalceatis cœnobium fundat. Pastranensis domus dissoluendæ quæ fuerit occasio.*

BIennium iam Antistitæ in Incarnationis domo Teresa munus egerat, cùm Salmanticenses Excalceatæ summis apud Patrem Petrum Hernandium, ibidem tunc agentem, precibus & quàm officiosissi-

mè agere cœpere, Teresæ vt pro sua auctoritate præciperet, Salmanticam vt excurreret alterius domus comparandæ causa, quam suis ipsæ dein vsibus paulatim adaptarent. Hernandius igitur viso quanta tecti laborarent angustia, ac domus tenuitate, Teresam per litteras illuc euocandam censuit. Eo porrò res omnis peracta modo, quo antepenultimo libri superioris capite narrauimus. Per idem quoque ipsa tempus inter comprecandum mandatum cœlitus accepit, Segobiam vt concederet nouum ibidem monasterium conditura. Hoc illi fieri penitus non posse videbatur, cùm quòd Hernandij iniussu Abula discedere sibi nefas esset, tum quòd alia ipse tum quidem fundari per illam domicilia haud æquis animis pateretur; sed magnæ huius congregationis illam mallet directioni administrationique præesse: neque id ipsa verò sine ratione ab eo sibi negandum arbitrabatur, quòd condictum triennium nondum exspirasset. Hæc agitanti rursus illi Dominus significat, facultatem vt ab Hernandio exigeret; nam ab eo hanc haud dubiè concedendam. Quare misso epistolio paucis sic illi perscribit, Cùm amplissima sibi iam olim à Generali Præposito facta sit ad vbiuis locorum, si quando daretur occasio, constabilienda cœnobia potestas, & iam commoda alicuius in ciuitate Segobiensi excitandi sese offerat opportunitas, quòd loci Episcopus simul & Respublica ab eo consilio ita non abhorreant, vt etiam promptissimis in ipsum animis propendeant; non posse se hoc illi non significare, vt quidem suæ ipsius conscientiæ paci priuatim consuleret, in ea tamen omnia, quæ ipse statuisset, haud inuitam se transituram. Hisce lectis litteris plenam ille rei perficiendæ potestatem dedit. mouit inopinatus hic illius assensus beatæ Matri stuporem, quòd longè secùs sentientem haud multò antè eum perspexisset. Reipublicæ porrò & Episcopi Didaci de Couarruuias, qui Regij deinde Concilij constitutus est Præses, assensum ac nutum procurarat honestus quidam Eques Segobiensis Andreas Ximenius, Isabellæ de IESV, quæ modò Salmanticensium Excalceatarum Præsidem agit, frater. Cùm autem cerneret, vrbem, nec non Episcopum, adeò pronis in hanc rem animis propendere, & citò adeò facultatem elargiri; satis esse Andreas existimabat, ore tenus hanc ab Episcopo concedi. vnde in aliud non incubuit, nec vlteriùs quid sibi efficiendum hic putauit. Dies aliquot, àb potestate hac accepta, elabi beata Mater passa, Segobiam distulit concedere, cùm Abulâ commodè recedere hactenus nequaquam potuisset. Verùm vt primùm Visitatoris datæ litteræ sunt, confestim viduæ cuidam, quam no-

*Segobiā abire iubetur.*

uerat,

nerat, Annæ Ximeniæ per nuntium significat, domicilium vt quoddam suarum in vsum pretio conduceret. Iam quippe vsu didicerat, longè esse ad fundationis initia ponenda satius domũ conducere, quàm emere, etsi alioquin argẽtum suppeteret: cùm quòd minori res strepitu ac faciliùs longè sic conficeretur, tum quòd dein per otium seligi commodus possit locus & domus, quæ pretio comparetur. His confectis Teresa rebus iter arripit, etsi vehementissimæ diuexata febris ardoribus, & stomacho imbecilliori, alijsque insuper malis languens, quibus ad trimestre oppressa iam fuerat, & à quibus ne Segobiæ quidem sexto pòst mense immunis fuit. Ad hæc corporis mala accedebant & mentis, cùm iam in viam dare se cœpisset, quibus etiam grauiùs longè fuit exagitata; incredibilis nimirum spiritus ariditas, & spissa per animæ domum caligo. Verùm, cùm nulla eam percellerent aut deijcerent aduersa, neve ab ijs, quę ad Dei gloriam facere norat, intermittendis quidquam generosam deterrere viraginem posset, Salmantica ineunte vere excessit, Isabellam de Iesu, de qua antè paulò sum locutus, secum ducens, quòd Segobia esset oriunda: nec non Mariam de Iesu, domesticis rebus curandis destinatam, quæ vnà cum Isabella inde profecta erat. In itinere Albam cùm pertransijt, Maria Henricia Dux in quoddam illam conclaue rebus lectissimis ac cimelijs elegantioribus refertissimum deduxit, quæ deinde in alium longè digniorem ac meliorem vsum ipsa conuertit, vt in libro, cui Animæ castrum nomen est, id Teresa ipsa commemorat. Albano è monasterio Guiomaram de Iesu elegit, secum vt Segobiam conduceret. Abulam verò pertransiens Isabellam de sancto Paulo consobrinam suam assumpsit. Hæc illi quidem in locandis huius fundationis initijs non parum opis attulit: verùm Segobiæ non mansit, nam eam inde regrediens beata Mater in comitem itineris sui rursus delegit. Quamquam verò (vti iam antè significaui) Episcopi facultatem, & vrbis assensum impetrasset, non tamen ante peruigilium eius diei, quo ineunda loci erat possessio, ipsum inquam S. Iosephi prosestum, vrbem subire instituit. Anna Ximenia domum interea conduxerat, & rebus ipsam necessarijs instruxerat & apparatu domestico; nec non suam sacrario supellectilem compararat. Vnde & proximè insequenti die eius adiri potuit possessio: cuius etiam in ipsa Christi nutritio sacra die mane, maxima Teresæ cum voluptate, quòd in hunc illa diem incidissent, data sunt initia, anno præsentis centuriæ tertio post septuagesimum, Iuliano ab Auila DEO sacrorum hic primitias offerente, & sanctissimum Altaris Sacramentum eodem loco constituente. Inditum huic quoque cœnobio ab sancto Iosepho cognomen. Cùm autem, cuius bona cum venia ac pace cœnobij ducta erant fundamenta, Episcopus for-

*Satius domum conducere, quã emere ad cœnobium fundandum esse Teresa censebat.*

*Habitat. 6. cap. 4.*

fortè fortuna Segobiæ tum non adesset, Vicarius, qui nihil dum horum intellexerat, eodem ipso ante prandium die re comperta, acri concitatus ira ad cœnobium aduolat. Sacrificabat fortè tum in eodem quidam de Canonicis, qui dum suum petens templum huc transiret, omniaque ritè decenterque in sacrario instructa cerneret, ad hoc in loco sacra litandum Deo hostia est animatus. In hunc quoque Vicarius acriter inuectus, satius futurum fuisse confestim ait, si hoc in loco non sacrificasset. Tum quibuscumque poterat vijs indagare, & nosse velle, ecquis horum auctor & conductor exstitisset, ecquis sacrum Eucharistiæ pignus hoc statuisset loco. Sed qui responderet petenti, aderat nemo: moniales siquidem intra claustrum latebant, Iulianus autem sub scalis se abdiderat. In illius enim si incidisset manus, in custodiam haud dubiè ductus fuisset. Aderat fortè Ioannes à Cruce, qui Teresam cum alijs huc erat comitatus, quem, nisi per Religionis, quam indutus erat, stetisset vestem, in carcerem abduci iussisset. Inde ad altare demoliendum, & omnem templi ornatum exuendum conuersus, lictorem ad valuas constituit, qui ingredi ad sacra audienda volentem multitudinem arceret loco, nec non sacerdotem de suis destinat, qui propositum Angelorum panem per sacram synaxim sumeret. Hilari explicataque fronte aduersa hæc ferens B. Mater in lætis ea numerauit, ne vel hilum stomachata, quòd ipsa iam possessio propè adita erat: nam de ijs, quæ fortè pòst euentura erant, ne vel minimum laborare solebat; sed ante eam initam interdum metuere. Ilicò igitur misso ad Societatis Iesu Collegium (quam nunquam non fauentem ac beneuolam senserat) nuntio, Garziam Camorram Rectorem enixè obtestatur, suo vt nomine Episcopi Vicarium adiret. Id ipse onus quamquam haud inuitè admisisset, & tam hac quàm alijs etiam in rebus B. Matri præstò, si quà poterat, esset; nihil tamen apud hunc nimisquàm concitatum precibus aut verbis potuit efficere. Suã huc etiam opem & operam contulere nonnulli de Optimatibus, Isabellę de Iesu consanguinei: quorum omnium ingeminatæ preces obtestatioq; ipsũ deniq; Vicarium perpulerũt, vt inquiri in rei totius veritatem permiserit, veréne eius facultatem Episcopus fecisset. qua inquisitione facta, & placari ipse cœpit, & sacrorum dicendorum potestatem dedit, at sanctissimi Sacramenti custodiam negauit. Hac tempestate compositâ, confestim Teresa Iulianum de Auila, & Antonium Gaytanum, Alba oriundum, virum & natalibus & in Deum pietate præstantem, qui in hac etiam fundatione Teresam erat comitatus, Pastranam destinauit, vt quotquot ibi agebant Sodales, eas inde euocatas Segobiam conduceret. Pastranensis autem domicilij dissoluendi ratio hæc fuit. Videbat Teresa, quæ in eodem commorabantur, monialibus aliquot quotidie inquietudinum occasiones esse, quæ ne indies accrescerent metuebat; ipsam namque animæ pacem omnibus mundi censebat bonis antiquiorem esse. Quamobrem consultum illi videbatur

*Cur Pastranẽse sit domicilium dissolutum.*

Digitized by Google

batur ſuas inde ablatas in alium transferre locum, quo agerent quietiùs. De hac illa emigratione cum Superioribus, Prælatis, alijſq; viris doctis & ſpiritualibus antè contulit. hinc Segobienſi conſtituto domicilio, eadem animi pace ac liberalitate, qua id ipſum olim admiſerat, Paſtranenſe cœnobium diſſoluit, omnibus, quæ hominum erant liberalitate donata, non iniquo animo ibidem relictis. adeò quidem nihil rerum facultatumque abduxit, vt etiam ſanctimoniales aliquot, ſine vllo prorſus cenſu in familiam tranſſcriptas, Segobiam aduexerit. Tantam quidem hac in re Tereſa animi æquitatem experta eſt, vt propter huius diſſolutionem domicilij ne primum quidē doloris ſe pòſt non rarò diceret motū in animo percepiſſe. Cuius illa rei hanc rationem dabat, quòd videlicet vereretur, ne, vbi humanæ quædam rationes & commoda ſpectantur, ibi fieri vix poſſit, quin ad ea interdum deſcendatur, quorum adminiculo religionis integritas paulatim ſubuertatur. Hanc ergo ob cauſam duo illi, quos diximus, Paſtranam miſſi, cum Iſabella de S. Dominico, quæ domui erat Præpoſita, quàm fieri poterat ſecretiſſimè, hac de re communicant. Qua conſtituta, quinos monialibus, nec non ea quam ſecum paternis ex ædibus tulerant ſupellectile auehendis (è donata namque re, vti modò declaratum eſt, penitus nihil abſtulerunt) currus compararunt. Omnibus ergo ad diſceſſum comparatis, ſacroſancto Euchariſtiæ pane à ſacerdote ſumpto concubia nocte Paſtrana egreſſi ſunt. In valle quadam decliui opidum id ſitum eſt: quo egredientibus montis erat cliuus aſcendendus; cuius in faſtigio conſtituta vehicula egreſſos opperiebantur; vt huc vſque eos pedibus incedere oportuerit. Segobiam tertiâ vel quartâ hebdomadæ ſanctæ appulerunt feriâ, quas Mater ipſa benignè amanterque, & inſigni animi congratulatione excepit, quòd apud ſe cariſſimas ſorores iam verſari cerneret. Semeſtri hic ſpatio eſt commorata: neque enim antè domicilio ipſa, quod primùm moliebatur, egredi ſolebat, quàm in propria ſuas domo, nō cōductitia diſcedēs relinqueret, deq; rebus eſſet neceſſarijs abundè illis proſpectū. Hoc illi Segobiæ perfacile fuit. Anna enim Ximenia quidquid in tēplum ac rem domeſticam neceſſarium erat, inſigni cum liberalitate erogabat. Hanc porrò illi æquus rerum arbiter Deus egregiè haud multò pòſt tempore rependit. Vt enim domus ſtabilita eſt, ipſa vnà cum filia Maria Bracamontia in hanc, Deo famulaturæ, familiam tranſiere. Matri filia virtutū erat ornamentis ſimillima, nec non etiam ſilentio ac ſolitudine religioſa; & quam in mundo ambæ inuenire hactenus pacem & mentis gaudium non potuerant, intra peranguſta & tenuia murorum ſepta dante Deo inuenerunt. Matri cognomentum de Ieſu, & filiæ de Incarnatione, gentilibus nominibus repudiatis, inditum; atque etiamnum hodie ambæ hocce in cœnobio cum laude viuunt. Harum duarum, & aliquot aliarum, quæ interdum allegebantur, dotibus ædes ſunt pòſt commodiores compara-



Digitized by Google

tæ, etsi plurimas illarum emptio lites Dei ancillis pepererit. Hinc enim acri se studio opponebant Canonici, quibus emphyteuseos in domum hanc ius erat; illinc verò vicini Sodales à Mercede cognominati, quòd hac ædis vicinia suæ derogatum iri commodis vererentur, non minori contentione obnitebantur. Canonicis quidem ære dato satisfactum est; bonis illis Patribus verò occulto monialium huc ingressu silentium impositum. vt enim eas huc iam de facto transisse compererunt, lite composita mitiùs agere cœperunt. Tum demum, duobus tribusve ante festas Archangelo Michaeli ferias diebus, sanctissimus Angelorum panis huc primùm illatus. Hæc dum fiunt, multa vltrò citroque dicta ac relata sunt, & in his labores incredibiles, & varias molestiarum ærumnas pia Mater assiduè patiebatur; sed has leniebant, quas mœrentium animarum consolator Deus identidem submittebat, consolationes, qui hanc insuper sibi domum maximo futuram obsequio, & cultum inde suum mirificè auctum iri spopondit. Cruciabat illam inprimis, quòd cùm nonnisi septem sibi octove à Præfecturę Incarnationis triennio exacto dies deessent, Abulã inde ipsam digredi muneris causa oporteret. Omnibus igitur, vti paulò antè commemoraui, constitutis, & Segobiensi cœnobio Isabellam de sancto Dominico, quæ & Pastranensem antè erat domum moderata, & hanc etiam multò pòst tempore administrauit, Antistitam, illius verò Vicariam Isabellam de Iesu constituens; inde digressa oportuno debitoque tempore Abulam peruenit. Operam hic dedit, vt suum in locum Isabella de Cruce in Incarnationis præfectura eligeretur; quæ illi electio placuit ac mirè satisfecit. Interim Abulenses Excalceatæ, quæ suam apud se Matrem habere inprimis optabant, summo conatu institerunt, vt ad se postliminio diuerteret. hanc etiam ob causam in Præpositam ipsam elegere eo ipso tempore, quo Incarnationis Præfectura defungebatur. Regebat eas tum temporis Maria de sancto Hieronymo, Teresæ consobrina, vti & multis pòst annis rexit, ac impræsentiarum etiam regit. Per idem etiam, quod diximus, tempus, Aluarum Mendosium Abulensem Antistitem, Superiorem suum B. Mater adijt, tantumq; apud ipsum rationibus propositis effecit, vt ipsa ab imposito regendi munere absoluta, alia moniales instituerint comitia, in quibus cùm alijs id muneris imposuissent, Teresam ad se reuocarunt.



Digitized by Google

# CAPVT III.

## *DECIMVM BEASII COENOBIVM CONstituitur, quod à sancto Iosepho Saluatoris cognominatum est.*

SALMANTICAE Teresa dum versaretur, Incarnationis cœnobij Præpositam agens, vt antè iam dicere memini, etiam antequam Segobiensis domicilij fundamenta poneret, honesta quædam virgo Beasensis (est id opidum in finibus Bœticæ) Catharina Godinezia ei erat nomen, misso illam nuntio, nec non litteris, quas Curionis aliorumque mittebat nomine, inuitauit, vt suo in opido cœnobium Excalceatis conderet, nec esse, quod de tecto laboraret; iam enim de illo comparando sibi curæ fuisse, hinc solam omnibus iam paratis monialium requiri præsentiam, quæ ipsam incolerent. Videbatur id Teresæ fieri omnino non posse: quamquam enim ea regio commoda, & non contemnenda videbatur, magno tamen locorum interuallo distabat. accedebat huc deinde, quòd Petrus Hernandius, ab Apostolica Sede creatus Commissarius & Visitator, ab id genus fundandis cœnobijs maximoperè abhorreret. Quibus illa adducta rationibus, adeò huc non propendebat, vt missum ad se nuntium irrita re quin remitteret, parum abesset: ne tamen Præpositi Generalis imperio obsequioque refragaretur, acceptas Beasio litteras ad Hernandium misit. Illorum se Hernandius virorum pietate ac benignitate mirificè respondit recreatum: hinc nefas videri, morem piæ illorum voluntati non gerere. quare missis Beasium litteris significaret, ad illos fore vt quamprimùm, accepta à loci Vicario, quæ ante omnia requirebatur, potestate, excurreret; verùm hanc ipsam minimè sibi à pijs illis viris obtinendam indubitatè crederet: quod enim id Equitum sancti Iacobi opidum esset, ab vniuerso Ordinis illius Equestris conuentu facultatem concedendam videri. aliunde, addebat, constare sibi, id genus facultates ac prærogatiuas ne multorum quidem spatio annorum ab alijs impetrari potuisse. Sanè verisimile fit, si veniam aliquo modo obtinendam, aut iam reapse impetratam Hernandius nosset, hanc ipsum denegaturum forsan fuisse. At, cùm perfici rem Pater cœlestis vellet, hic falli illum ac decipi passus est, vt impetrata iam Equitum pace ac potestate, nullus ei pòst superesset negandi locus. Adeò quidem prodigiosa ac mira domicilij huius primordia fuere & ortus, vt, quamquam æquo longior futura ea sit narratio, ingenti sine flagitio eam nequeam omittere, primaria saltem illius capita, omissis notioribus, perstringendo. Commorabatur sub *Mirabile initium domicilij Beasensis.*



Digitized by Google

idem tempus Beasij illustris quidam Eques, nomine Sanchius Rodericius de Sandoual, qui ex vxore Catharina Godinezia, plurimorum factus filiorum, & duarum filiarum pater, harum natu maximæ Catharinæ Godineziæ, minori verò Mariæ Sandoualliæ cognomentum dedit. (sunt hæ monasterij huius fundatrices) Catharina itaque iam quartumdecimum ætatis egressa annum, cùm adeò à mundo nuntium remittendo esset aliena, vt quascumque illi pater suggereret nuptias, velut se indignas ac minores repudiaret; tantam diuinæ dextræ potentiâ immutata è tituli Crucis Dominicæ lectione in anima lucem accepit, vt vno in momento penitus alium hominem, aliam mentem induerit. Luculenta siquidem ac splendida menti illius oborta lux est, intimaque vilitatis ac miseriæ propriæ cognitio; nec non ingens incitatumque propter Deum patiendi desiderium, quin & profunda quædam animi humilitas, & maxima sui detestatio, æstuanti denique austerioris vitæ inchoandæ flamma illius inardescere subitò cœperunt præcordia. Hoc ipsa momento castimoniæ ac paupertatis vota, insigni animi generositate, concepit; tantumque mentem illius incessit alienæ voluntati subijciendi se desiderium, vt huius dumtaxat mentis explendæ ergô haud grauatè se in Mauricam captiuitatem, alieno paritura imperio, abduci siuisset. Hæc animo dum versat, ingens ab imis cubiculi in quo agebat penetralibus strepitus, vt omnia illi loco moueri ac subrui viderentur, nec non terrificus quidam exaudiri vlulatus cœpit; qui quòd aliquo temporis spatio duraret, patrem, qui proximo in cubiculo versabatur, terrore compleuit. Hæc diabolo auctore cuncta fiebant, indignante scilicet ac ringente, quòd aliam hæc virgo derepente mentem induisset, mores meliores, illustrique æqualibus plurimis ad sui imitationem exemplo in mundi delicijs proculcandis hæc vt præluceret, auguraretur fore. Hinc illi nata mens vitæ monasticæ profitendæ, cuius tamen desiderio tribus ipsis, quamuis identidem precibus ab Catharina fatigarentur, parentes annis facere satis noluere. Ab hoc ipso tempore bonas aliquot horas orationis orsa est studio impendere, & qua poterat via effrenes corporis motus compescere: non rarò etiam in aream domesticam prodiens, frigida vultum perfusum solaribus ilicò radijs siccandum, vt formæ facto dispendio omnes à sui coniugio deterreret, exponebat. Ceterùm cùm nullis adduci patrem posse rationibus videret, triênio illo transacto, simplici communiq; domi in S. Iosephi festo induta veste, templum etiam cum eadem petijt, ne hanc sibi parens deinde auferret: quatuor autem annorum spatio insolitis varijsque carnem asperitatibus attriuit, quòd in occulto clam omnibus eas vsurparet, nemoque esset, à quo ipsa regeretur, & modum seruare iuberetur. Per quadraginta ieiuniorum dies cótinuos ferreis contextam hamis loricam patris nudo accinxit corpusculo: orationi porrò integras propè

Pœnitentiæ admirabiles.

di-

dicabat noctes, quòd interdiu à parentibus aliarum rerum tractatione distineretur. fuit non rarò, cùm a decima vespertina ad vsque auroram in precando Numine perseueraret. Nec verò cacodæmon ipsam quieta pace mentis passus est potiri, à quo vanis identidem illusionibus exagitabatur. Ipse etiam piarum mentium probator Deus grauibus illam hoc transacto tempore afflictari morbis est passus, continenti scilicet febri, diro hydrope, cardiacis doloribus, nec non gangrena, quæ incisione sublata est. Septédecim ipsis annis hæc piam virginem ita detinuit inualetudo, vt nonnisi dierum aliquot sanitate vsa fuerit. Cùm quintus morborum ageretur annus, patrem cõtigit intermori. Soror verò Maria cùm vno pòst, quàm Catharina vestium ornatum deposuit, anno etiam sæculi posuisset exuuias (etsi earum antè perditè reliquarum æqualium ritu ornatum splendoremque consectaretur) exinde etiam, sororis exemplo, insistere continenter precibus pijsque mentis exercitijs cœpit. Huc illas non modicè Mater exstimulabat, & qua poterat, ope aderat: à qua etiam data facultas, mundano fastu & nobilitatis proculcatis insignibus (quamquam domo essent ac stirpe nobiles) teneras puellarum manus gratis ad puellaria opera edocendi, vt interim molles illarum mentes ad pietatem ac morum assumendam honestatem erudirent. Haud multo interiecto tempore etiam matre hoc è mũdo sublata, de monastica vita alio in loco assumenda cum suis agere Catharina instituit. Sed huic consanguinei (etsi quid dicerent, id tum quidem ipsi nescirent) cùm fortunis ac facultatibus affluerent, in maius Dei cessurum affirmarunt obsequium, hoc ipso in loco nouum condere cœnobium, in quo ambæ Deo famularentur. Placuit hoc Catharinæ consilium; vnde & quamprimùm de eiusce rei ab vniuersali Equitum concilio facultate impetranda agere aggressa est. Sed irrito conatu: quatuor enim ipsis annis nihil dum penitus actum est. Quo viso, consanguinei, rem hanc vt animo poneret, suadere instituunt, vtpote cuius obtinenda nulla spes affulgeret. Addebant insuper, cùm tam imbecilli attritaque esset valetudine, vix vlla in monialium congregatione locum sibi dandum speraret. Si humanarum momentis rationum libranda res foret, non sine ratione ita ipsi sentiebãt: tum quippe semestri eoque amplius lecto, prostrata valetudine, affixa iacuerat, & octennio ipso, omni membrorum destituta vsu vixerat. Toto illo tempore continuis iactata fuerat febribus, tum lenta interiora adederat phthisis, ac marcor hecticus; accesserat hydrops, & tam vehemens hepatis inflammatio & ardor, vt is etiam trans stragula adstantes afflaret: demum articulari in manibus æquè ac pedibus morbo laborarat. Etsi verò his ipsa morbis assiduò discruciaretur, suis ipsa tamen confidẽter pronunciat, si vnius mensis sibi spatio plena à Domino sanitas restitueretur, certissimum eam documentum ipsis diuinæ illius voluntatis fore, qua hoc cõdi cœnobium vellet; ac tum se confirmatis viribus, illius ergô curiam adi-



Digitized by Google

turam. Hoc,naturam si spectemus, omninò non posse fieri videbatur,sed ad hoc ipsa liberè pronuntiandum cœleste quoddam pignus acceperat. Hęc enim 4. Kal. Ianuarij cùm agerentur, Augusto ipsa mense proximè elapso cùm orationi incumberet,Deum comprecata, vt vel ingens hoc vitæ religiosę ineundę à se auferret desiderium cœnobijque condendi,vel aliquam eius perficiundi rationem suggereret; interna ad ipsam facta vox est, dicentis, certam de valetudine recuperanda spem conciperet, quò confirmato corpore per quadragesimales ieiunij dies facultatem ipsa impetratura in curiam abiret. Dum ille,quem suis præstituerat, mensis agitur,ecce, in gloriosi Martyris Sebastiani peruigilio tanto introrsum tremore occupari ac motu cœpit, vt in supremo eam vitæ agone versari crederet soror. Verùm adeò non mortis id fuit argumentum,vt momento plenam perfectamq; sibi sanitatem redditam, viresq; totius corporis restitutas senserit, insignem quoque in anima motum, & magnam ad meliora lōgè propēsionem sit experta. Cupiebat ipsa quidem hanc Dei silenter supprimere gratiam,sed id cùm Confessarius,tum medicus fieri vetabant,& reuera celari res ea minimè poterat. Vt ergo quadragesimales aduenere feriæ,curiam pia virgo petijt, exploratura num cœnobij sibi erigendi concederetur facultas. Trimestri autem hic hæsit,nihil dum impetrans; donec suis ipsa manibus supplicem Regi Catholico libellum obtulit: qui, cognito Excalceatis monialibus erigendæ sedis copiam peti, eam nihil cunctatus est impertitus. Quòd autem Excalceatis,non autē alterius instituti sanctimonialibus construere potissimùm cœnobium vellet, prodigioso cuidam viso adscribendum est: obtigit hoc Catharinæ nocte quadam, etiam viginti antè annis, quàm domicilium hoc condere in animo habuisset. Cùm enim (vt pòst ipsa narrare de se haudquaquam dubitauit) ad quietem se nocturnam componendo,animo accuratè soliciteque versaret,id scire vehementer optans, ecquodnam institutorum omnium Religiosorum in mundo maximam vitæ sectaretur perfectionem; vt reperto huic se totam ipsa deuoueret; & ipse vicissim Omnipotens eum illi aperire ac declarare cœtum vellet, qui ipsi magis conueniret, & cui eam hactenus reseruarat; somnianti illi hocce visum exhibuit. Angustissimum per callem incedere se putabat, præcipitijs & voraginibus horrendis vndique obnoxium, inter hæc Religiosum de Excalceatorum cœtu conspicit, sibique dicentem audit, *Huc adsis soror, & veni mecum*, quo dicto, quamdam ab illo in domum conducitur, in qua ingentem monialium conspexit vim. Nulla porrò domum hanc illustrabat lux, quàm quod à candelis ardentibus, quas manu illæ gestabant, lumen promicabat. Confestim ab eisdem percunctatur, Ecquodnam ipsæ vitæ genus, ecquod institutum profiterentur. Nulla verbum respondit; donec, omnibus velamen capitis attollentibus, & ore blando ac renidenti videntibus, reliquarum Præfecta, ipsius arrepta manu ait,

Admirabilis visio.

nu ait, *In hunc te cooptare cœtũ volo, filia*; ſimul vitæ, quã profitebantur, leges & Conſtitutiones exhibens. Interim ipſa tanto animi gaudio delibuta ſomno expergiſcitur, vt ſe inter cœlitum choros & gaudia verſatam crederet. Multum porrò effluxit antè temporis, quã horum quidquam alicui mortalium aperiret. Et ſanè neminem nouerat, à quo hoc de inſtituto quidquam diſceret, aut ſciſcitaretur. cæterùm, quidquid ex oſtenſis ſibi in viſo legibus memoriæ inſculptum hæſerat, ad animum reuocatum ſcripto commiſit. Hoc itaque in opidum cùm de Societate noſtra ſacerdos quiſpiam, qui omnium illius deſideriorum probè conſcius erat, pòſt appuliſſet; huic ipſa, quidquid in ſcriptum retuliſſet, haud grauatè oſtendit, ſeq́ue beatiſsimam fore ſignificauit, hanc ſi ſibi inuenire religionem contingeret; huic enim ſe quamprimum dedicaturam. Cui ſacerdos, Quæ modò paſsim Tereſa de IESV excitat in Caſtella monaſteria, id vitæ inſtitutum ſequuntur. His igitur tum compertis, Beatæ Matri, vti ſuprà ſignificaui, miſſo nuntio indicauit, ſuum vt ad opidum, ſedem nouam conſtitutura, excurreret. Quo autem tempore Tereſæ reſponſum accepit, iam ſecundò adeò grauiter è morbo afflictaque valetudine laborabat, vt ſpiritualis illi Pater perſuaderet, hac vt cura ſepoſita, de iſtoc inſtituto amplectendo loqui poſthac deſineret: nam, tametſi iam hunc in cœtum adlecta eſſet, ſi meliori non eſſet valetudine, ex eodem demittendam videri. Hæc illam cùm dehortatio non parum affligeret, feruentes in preces effuſa, ſupremum eodem quo antè modo eſt medicum deprecata, vt vel hoc à ſe deſiderium amoueret, vel eius adimplendi ſibi viam modumq́ue oſtenderet. Hæc intenſiùs oranti introrſum in anima in hæc verba vox accidit: *Crede & exſpecta: ego enim ſum, qui poſſum omnia. ſanitatem recuperabis, qui enim efficere potuit, ne tot tantaq́ue ægritudines, quæ ex ſe mortales ſunt, vllum vitæ tuæ detrimentum inferrent, multò minori eas negotio à te auferre poterit.* His ipſa verbis recreata, & in ſpem erecta eſt, fiduciæq́ue plena alias Tereſæ litteras miſit, quibus ſibi ab Equitum vniuerſa congregatione facultatem conceſſam indicauit. Vnde dein factum, vt nec datam iam antè poteſtatem reuocare poſſet Viſitator Hernandius, nec tantæ virginis pietati refragari Tereſa, vel eius ardori morem nõ gerere. Hæc igitur cauſa fuit, cur à Segobienſis domicilij erectione reuerſa, nonniſi pauculis diebus dein Abulæ ſit commorata. Ineunte enim Octobri anno ſæculi voluentis tertio & ſeptuageſimo, Abulam redierat, & anni ſequentis menſe Martio Beaſiũ delata eſt, è Toletana in tranſitu ſede ſecum Mariam de S. Ioſepho, quæ in præſens Oliſsiponenſi domui præeſt, & Iſabellam de S. Franciſco, quæ Hiſpalenſe cœnobium moderatur; nec non Annam de Ieſu, & Mariam de Viſitatione, Eleonoram de S Gabriele, denique Beatricem de S. Michaele ducendo.

Sanitatem ægrotanti Dominus pollicetur.

Primo, quo Malagone Beaſium abitura exierat die, cùm feruentiſsime

febris

Digitized by Google

febris ardoribus iactata, aliiſque ægritudinibus afflicta, quàm ſibi adhuc magna reſtaret via conficienda, quamque imbecilli eſſet valetudine, ſecum ipſa identidem reputaret; Eliam Prophetam à facie Iezabelis profugum in mentem reuocans, Domino queritabunda dictitabat: Quomodo hæc feram, Domine, tecum ipſe deſpice. & ecce, ſubitò omnis febrium ardor, & vniuerſæ, quibus exagitabatur, ægritudines euanuere. Beaſium ingredienti permulti obuiam prodiere, atque inter alios non pauci equites, qui ante currus, quibus moniales vehebantur, ludicra quædam equeſtria exhibentes, ad templum vſque proximum eas ſunt comitati, in quo plurimi eas opperiebantur. inde egreſſas clerus linteatus excipiens, cruce præuia, ſupplicantium ritu, & agmine facto, ad duarum illarum ſororum, à quibus tot erant votis expetitæ, ædes, in quibus cœnobij noui ponenda erant initia, deduxit. Ecquod & veniẽtium & excipiẽtium fuerit gaudium, quæ voluptas, animo fingi potiùs, quàm exprimi verbis poteſt. Vt primùm Catharina monachas conſpexit, has ipſas eſſe comperit, quarum in nupera viſione notarat vultus; ita namq; id ipſa poſtea cõmemorauit. Interim dũ hic Tereſa commoratur, acceſsit illam viſitandi gratia frater quidam Laicus de Excalceatorum numero, de quo infrà ſuus erit narrandi locus, Ioannes de Miſeria: quem vt Catharina aſpexit, eumdem ipſum eſſe ait, qui ſibi inter ſomniandum tum quoque viſus erat. Hoc igitur pacto, ingenti omnium cum voluptate, ipſo glorioſi Apoſtoli Matthiæ natali die, anno quarto & ſeptuageſimo, cœnobij huius poſita ſunt initia: nomen illi à S. Ioſepho Saluatoris impoſitum. Cui duæ illæ ſorores ſuas tam integrè perfectèque, adeoque nulla interpoſita conditione fortunas aſsignarunt, vt, ſi deinde in ipſum non cooptarentur, nullum ſibi eaſdem repetendi ius eſſet. Eadem ipſa die ſacrum ambę religionis aſſumentes habitum, maior Catharina de Ieſu, minor verò natu Maria eodem omninò cognomento eſt appellata. Catharina ijs ipſis diebus, prout Redemptor Ieſus id illi erat pollicitus, confirmatâ erat & robuſtâ valetudine, quæ etiam increſcebat, vti ſuũ virtutes in dies incrementum accipiebant, atque imprimis mira animi demiſſio, & parendi voluntas promptiſſima. Summis hæc apud B. Matrem precibus contendebat, vt ſe in miniſtrantium ſororum, non verò in chorum frequentantium numerum aſſcriberet; donec illi ſuam ſententiam Mater reſcripſit, & ſub obedientiæ præcepto eam ſuſcipere iniunxit: quin imò eiſdem in litteris eam acriter increpuit, quòd non ea, qua oportuerat promptitudine hac ſibi in re paruiſſet. Tandem non ita multo abhinc tempore, cùm hanc ipſa domum ſuo moderaretur imperio, virtutibus illuſtris deceſsit: ſoror verò illius Maria ſuperſtes eſt, & hodie Cordubenſis domus, quæ non ita pridem inſtituta eſt, Præpoſitam agit. Annam verò de Ieſu Beaſenſi ſedi voluit præeſſe, quæ modò Madritanæ præeſt, illi verò vicariam dedit Mariam de Viſitatione.

*Tereſa miraculosè ſanitatem recuperat.*

*Monaſterij Beaſenſis fundatio.*

C A-

## CAPVT IV.

### *CARMELITARVM EXCALCEATORVM INItia describuntur: ac præsertim duorum primorum cœnobiorum, Manzerani ac Pastranensis fundatio recensetur.*

COgitaram ipse mecum, num continua serie monacharum cœnobia eorumque institutiones antè prosequi possem, quàm ad Excalceatis Fratribus excitatorum fundationes deuenirem; verùm ita hæc illis & his illa connexa sunt, & inuicem cohærent, vt, quæ deinceps sum narraturus, satis commodè nequeant intelligi, nisi de virorum cœnobijs nonnulla præmisero. Verùm id sum quàm breuissimè facturus, ea dumtaxat recensens, quæ ad historiæ meæ scopum & contextum spectare videbũtur, ea inquam, quæ ipsorum occasione B. Mater Teresa executa est, è quibus euidentissimè patebit, tam Excalceatorum ipsam, quàm monialium Excalceatarum verè principem & fundatricem exstitisse. Iam suprà libri secundi cap. 10. aliquid hac de re tetigimus, dum de duob. illis fratribus Carmelitis, quos Metinæ Teresa ad operis huius adeò salutaris ac sancti initia cõstituẽda inuenit, loqueremur, Patre inquam Antonio Heredia, qui deinde à Iesu nomen est mutuatus, & Ioanne de Cruce. Verùm, cùm domus, in qua duo hi Patres rei fundamenta ponerent, habendæ nulla suppeteret oportunitas, maxima animi contentione ac studio rei huius successum Domino in oratione commendabat. Itaque anno duodeseptuagesimo, antequam ad Vallisoletanam sedem erigendam abiret, cùm Abulæ versaretur, accessit illam Raphael de Auila Mexia, illustris Eques, Abula oriundus. Audito enim de Excalceatis etiam fratrib. primum regulæ rigorem seruaturis domicilio instituendo sermonem esse, & fieri id præ domus inopia commodè nõ posse; ruralem hunc in vsum domum illi obtulit, quam in Duruelo, Abulensis diœcesis pago, eoque perexiguo habebat; hanc villicus incolebat is, qui quod Raphaeli quotannis ab agricolis circumsecus pendebatur frumentum, domini in vsum colligebat. Ex hoc domus vsu facilè Teresa colligebat, qualis ea demum esset: attamen hoc ipsa oblato inprimis læta, hoc ob beneficium immensas DEO gratias egit. Pagus hic, quòd in ea occurrebat via, quæ Metinam & Vallisoletum ducebat; huc ipsa cùm sedem erectura pergeret, eam non potuit per occasionem non inspicere. Sera nocte ad hanc cùm appulisset, & vndiquaq; eam esset contemplata, talem quidem esse cõperit, vt, quia malè materiata & quassata erat, illa se dumtaxat ei nocte minimè credere auderet. Nihil enim illa integri habebat, præter quàm vestibulum vtrumq; spatiosum, & geminum conclaue, & culinam satis angustã.

*Teresa Excalceatorũ & Excalceatarum fundatrix.*

*Initiũ fundationis Carmelitarum Excalceatorum.*



Digitized by Google

Illius vt situm inspexit Teresa, confestim suum ex ea designauit monasterium, vestibulum tēplo, anteriora cubiculi choro, cubiculum cellulis, culinulam denique cœnaculo destinans. Metinam ergo delata extemplò Antonium Herediam vrget, vt in tenui illa domuncula rem auspicari ne grauaretur. nam præterquam, quòd in præsens melius nihil suppeteret, id peroportunum imprimis videri, ad eò faciliùs in huius executionem rei à superioribus facultatem impetrandam. De cætero DEO fideret, optima cum spe opem ilicò sibi affuturam, nec diuinam vsquam sibi benignitatem defuturam: incepto dumtaxat opus esse. Hæc dum diceret, tantam animo fiduciam præferebat, quasi iam tum perfecta & adimpleta ea cerneret omnia, quæ hodie videmus, & postea etiam videbimus. Igitur Antonius egregiè huc animatus, rem auspicari decreuit; cui interim Mater in mandatis dedit, vt, quidquid domui necessarium foret, sedulò accurateq; conquireret: Ioannem verò à Cruce secum ad Vallitoletanam domum cùm abduxisset, paucis illis, quibus ibidem hæsit, diebus, quod suis in cœnobijs vitæ genus seruaretur, quæ seueritates asperitatesque in vsu essent, quæ corporis mentisque edomandæ iniretur ratio, pluribus illum edocuit; denique quæcumque illi ex Ordinis præscripto seruanda essent, cùm vt ea penitus ipse perspecta haberet, tum vt illorum suas ipse in congregationes deinde vsum induceret. Vnica deerat ad rei auspicium Superiorum facultas: nam ijs, quas à Generali Præposito acceperat, litteris cautum erat, ne quod in fratrum vsum cœnobium aut domum, nisi Prouincialis accedente consensu, erigere præsumeret. Erat is tum Alfonsus Consaluius, qui Angelo de Salazar in munere successerat. Hunc igitur Teresa tanto est animi robore ac generositate allocuta, vt rei ille facultatem extemplò sit impertitus; à Patre autem Angelo hanc ipsam, operâ & intercessione Mariæ Mendosiæ, cuius, sic DEO disponente, Angelus tum auxilio & præsidio opus habebat, impetrauit. Itaque, nihil in hoc cunctandum rata, omnemque rescindens moram, ne quod aliunde illa beretur obstaculum, Ioannem à Cruce Duruelū præmittit, qui antè domum instrueret & adornaret, qua iam demum instructa Heredia sua se abdicans Præpositura, primigeniæ se regulæ voto obstrinxit; inde Duruelum concessit. Prima aut secunda Aduentus Dominica, anno duodeseptuagesimo, primùm illic DEO ad aram litatum est. Hoc ergo loco duo hi Patres, iuxta eius, quam à B. Matre acceperant, formulæ præscriptum, summa cum mentis iucunditate vitam in quiete agebant; in oratione erant assidui, inusitatis carnem atterebant asperitatibus, suaque doctrina vitæque sanctioris exemplo vicinis circumquaque locis salutares imprimis existebant. Inde non ita multo interiecto spatio Manzeram concessere, nam Ludouicus de Toleto, Alhaniensis Commendator, & Quinqueciuitatensis Dynasta, illorum sanctitate perspecta, hoc illis loco oratorium attribuit, in quo illustris quædam

*Teresa Antonio Herediæ suadet, vt rē auspicaretur.*

*Ioannem à Cruce docet, quo suis in monasterijs viuere-tur modo.*

*Teresa facultatem obtinet à Prouinciali Alfonso Cōsaluio.*

Dei-

Deiparæ Matris imago, quam è Belgio aduexerat, magnæ illa venerationis & pulchritudinis conspiciebatur, nec non cœnobiolum aliquod illis construxit. At non exigua fuit merces, qua hocce illi beneficium DEVS Optimus Maximus est remuneratus: vt enim alia diuinæ in ipsum beneuolentiæ signa taceam, hanc ipsam in familiam filiam eiusdem Isabellam de Toleto pertraxit, quæ mundanum fastum pedibus proculcans, & paupertate improperio Christi paternæ delicias domus posteriores ducens, Salmanticæ, vbi modò etiam commoratur, Excalceatarum est institutum amplexa. Deerat porrò in nouo illo cœnobio aqua, quam vnde ducerent, nesciebant fratres. hac ergo de re dum cum ipsis Antonius de IESV, qui loco vt Præpositus præerat, in monasterio loqueretur, & eo, quem manu tenebat, scipione terram feriret, hoc vt loco effoderent imperans; ecce fons copiosissimus simul & sapidissimus inde promanauit.

*Aquam, scipione terrā percutiens, P. Antonius elicuit.*

Sequenti verò anno, qui fuit vndeseptuagesimus, cùm Pastranam Teresa ad domum constabiliendam abiret, Madritum pertransijt, & cum omnibus, quas secum ducebat, comitibus in quodam monacharum Franciscanum institutum sectantium monasterio, apud Eleonoram Mascareniam, quæ ipsum fundarat, & in eodem quoque commorabatur, diuersata est. Fuerat Eleonora Philippi, eo nomine Secundi, Hispaniarum Regis nutrix, mulier cùm religiosissima, tum omnium bonorum sine vllo discrimine amantissima; hinc fiebat, vt Beatam Matrem suo semper, quotiescumque hac transiret, hospitio exciperet. Tum quidem oportune admodum aduenisse illam Eleonora dictitabat; Madriti siquidem in præsens anachoretam quemdam versari, qui miro illius videndæ desiderio teneretur, cuius & sociorum vitæ ratio cum eius, quam ipsa ex regulæ præscripto tenebat, tenore optimè sibi quadrare & coincidere videbatur.

Anachoretæ huic nomē fuit Mariani de Sancto Benedicto: genere erat Italus, Iurisprudentia conspicuus, magni vir nominis, laboris amantissimus, & austeritatum seueritatisque sectator acerrimus. Socium hic habebat adolescentem, qui Ioannes à Miseria vulgò dicebatur, rerum terrenarum inscius imprimis & ignarus, cæterùm diuinarū ac cœlestium apprimè gnarus. Vixerant hactenus ambo haud procul Hispali, in solitudine, quam Tardoniam dicunt: at quoniam omne Anachoretarum genus, quod Religiosæ familiæ speciem non habebat, Sacrosanctæ Tridentinæ Synodi auctoritate decretoque abrogabatur, Romam adire Marianus constituerat, eius quam hactenus duxerat vitæ prosequendæ facultatem à suprema sede petiturus. Hunc Teresa cùm conuenisset, suamque illi vitæ formulam prælegisset, ita illum primo colloquio perpulit, ipsam vt sectari vir decreuerit, non sine magno suijpsius stupore (vti pòst ipse narrare nonnumquam solebat) quod suas mulier in partes adeò se celeriter pertra-

*Teresa Marianum de S Benedicto Excalceatis aggregat.*

*Initia monaſterij Paſtranenſis in vſum Patrũ*

traxiſſet & immutaſſet. Narrabat hic tum Beatę Matri, à Roderico Gomio Paſtranę ſibi accommodum inprimis locum datum eſſe, à S. Petro cognominatum, vt in eo anachoreticam cum ſuis vitam ageret, verùm ſe, habitu Excalceatorum aſſumpto, ibidem loci monaſterium velle conſtituere. Quamprimum hanc ergo Tereſa Alfonſo Conſaluio, Carmelitanorum Prouinciali, nec non Angelo de Salazar rem perſcribit (eius enim ſine pace ac copia excitari cœnobium nefas erat) tamque nauiter & dextrè eam geſſit, vt Aluari Mendoſij Epiſcopi operâ & interceſsione haud difficulter eam ab illis obtinuerit. His ex animi ſententia confectis, interim dum Tereſa monialium domui erigendæ incumbit, Paſtranam (vti Tereſæ condixerant) venere Marianus, atque eiuſdem collega: mox verò ipſa Manzerâ Antonium de IESV, vt noui initia cœnobij Paſtranæ poneret, euocat, atque duobus illis, ne qua intercederet mora, habitum parari iubet. Metina quoque tum monachas alias euocarat, quæ, quod illis adornabatur Paſtranæ cœnobium, incolerent; duas enim dumtaxat ſecum habebat itineris ſocias. Aderat tum etiam alius, de familia Carmeli, habendis ad populum concionibus notus, & ætate venerandus, Balthazar de IESV vocitatus: qui, cognito recens hocce Paſtranę domicilium fundari, vnà cum monialibus huc venerat, vt veſte mutata ad nouum Excalceatorum cœtum tranſiret, vti etiam haud ita multò pòſt tranſijt. Hic Marianum eiuſque ſocium ſacra veſte induit, ſed ea, qua fratres miniſtratorij vtuntur: neq; enim adduci vllis præ humilitate Marianus rationibus poterat, vt ſacerdotalem ſumeret, donec tandem Præpoſiti Generalis iuſſum accederet, inter altaris eum miniſtros cooptari imperantis. Atq; hęc fuit cauſa, cur Tereſæ Paſtranam concedere detrectanti, vti iam ſuprà, dum monaſterij ibidem excitati primordia referrem, dixiſſe memini, hocce iter Dominus iniunxerit, ad maiora ſiquidem, quàm ad monialibus excitandam domum, illò properaturæ, regulamq; & conſtitutiones ſecum ſumere iuſſerit; quas dein Mariano ipſa prælegit. Hoc deinde in cœnobium adlecti ſunt permulti viri magni, & ſanctimonia illuſtres; atq; inter reliquos Magiſtri Ioannes de IESV, & Hieronymus Gratianus de Matre Dei. hunc nempe in rudia illa ſanctæ illius renouationis primigeniæ Carmelitarum regulæ primordia DEVS Optimus Maximus reſeruarat, ipſam vt conſtabiliret, adaugeret, congruo ordine digereret, ac perficeret: quod ipſe pro ea, qua valebat, & cœlitus acceperat, vitæ ſanctitate, prudentia ac doctrina, egregiè præſtitit. Dabat hic tum ſacris ſtudijs Compluti operam, vitæ probitate æqualibus ac collegis omnibus prælucens; neque id tum dumtaxat adoleſcens, verùm etiam iam inde à pueritia & primis annis. Paſtranam ipſe cùm peteret, apud Iſabellam de Sancto Dominico, quæ tum ibidem Præpoſitam agebat, virginem quamdam de meliore nota commendaturus, vt in Excalceatarum familiam aſſumeretur, adeò tum huic, tum reliquis ſodalibus hocce è con-

*Illius fundandi veniã Tereſa impetrat.*

*Hieronymus Gratianus Excalceatis aggregatur.*

congressu placuit, vt ieiunijs, corporis castigationibus, feruentibusque à DEO orationibus institerint, hunc vti Ordini suo virum attribueret. Nec vana spes fuit aut deprecatio: ab eo namque tempore huic se ipse cœtui dedicauit. Exinde cùm Malagonem beata Mater pertransiret, Beasium petens, domicilium ibidem erectura, sacerdos quidam Malagonius mirè silentio deditus, orationisque ac corporeæ macerationis oppidò studiosus, ipsam vt vidit, & quid moliretur didicisset, erga illius affici institutum incredibiliter cœpit, vnaque cum ipsa Beasium abiens, ab Hieronymo Gratiano solenni ritu atque apparatu publicè in templo monastica veste donatus est, simul & nomine Gregorij Nazianzeni. Fuit hic haud ita pridem Prouinciæ Castellanæ mira omnium ordinum ætatumque approbatione Vicarius, modò verò id ipse muneris in Lusitania exercet. Duo hæc cœnobia reliquorum fuere veluti fontes ac seminaria: nam breuissimo tempore plurimæ hinc sunt circumquaque coloniæ dimissæ, conscia & annuente beata Matre omnibus: adeò vt decem, eoque amplius, priusquam vita excederet, congregationes domosque Excalceatorum conditas ipsa viderit. Nec verò solius Hispaniæ limitibus eæ comprehenduntur, cùm etiam Genuæ trans mare, Nicolai de Iesu Maria Genuensis operà non ita pridem cœnobium sit excitatum, nec non ad Occidentis solis regiones sese familia hæc extenderit, & in Mexicanam prouinciam penetrarit.

Decem Teresa ante obitum Excalceatorũ vidit cœnobia.

## CAPVT V.

### *VNDECIMVM HISPALI CONDITVR domicilium, sancto Iosepho dedicatum.*

CVM Excalceati Patres æquè ac moniales priuato à Prouinciali non regerentur, sed Carmelitis Mitigatis simul omnes parerent; illorum in Bœtica Commissarius & Visitator, Apostolicæ Sedis auctoritate, constitutus est Hieronymus Gratianus. Etsi enim à paucis hoc ille institutum esset amplexus annis, ea tamen in ipso religio, probitas, prudentia, aliarumque eximiarum virtutum decora relucebant, ea ingenij nauitas & industria, hac vt prouincia alijsque honoribus etiam amplioribus dignus omnium sit calculo iudicatus. Hic Beasensem cùm pro munere imposito visitaret domum, in qua Teresa tum agebat, & illius tum ipsa dotes ac naturæ dona perspiceret; agendi eius rationem non potuit non quàm maximè suspicere, & assiduas Deo ob egregium hunc virum suis datum, & adeò sibi placentem identidem gratias agere. Ibidem hunc versantem ad se Apostolicus Legatus euocauit, simulque Castellanæ eum prouinciæ, vti Bœticæ erat, Visitatorem esse voluit. Verùm, antequam hæc fierent, Tere-



Digitized by Google

sæ in Castellam redire constituenti Gratianus suggesserat, è diuino honore inprimis ac cultu fore, si Hispali sedem constitueret; cùm quòd nonnulli, domum etiam quamprimum consignaturi, id à se enixè aliquoties petijssent; tum verò, quòd Archiepiscopo, qui singulari cœtum hunc studio complectebatur, eam rem quàm gratissimam fore nullus dubitaret. Erat quidem animo à sedibus in Bœtica constituẽdis Teresa alieniore, quia etiam rationes varias easque prægnantissimas habebat, cur Hispalim concedere detrectaret; Gratiani tamen iudicio sententiæque acquieuit. Quoniam verò æstiui calores ingruebant, festinato opus fuit. abijt ergo ad Nuntium Pontificium Gratianus Madriti agentem; Teresa verò cùm tribus ipsis Beasij hæsisset mensibus, sex secum assumptis sodalibus lectissimis, & orationis ac sensuum mortificandorum studiosissimis, quales hauddubiè requiri Dominus videbat, pares nimirum ijs, quæ ibidem pòst erant subeundæ, aduersitatum procellis, vtque reliquarum per eamdem prouinciam dein ceu matres ac parentes forent, Hispalim deportatur. Hæc illarum sunt nomina, Mater Maria de S. Ioanne, Isabella de S. Francisco, Maria de Spiritu sancto, Isabella de sancto Hieronymo, Eleonora de sancto Gabriele, Anna de sancto Alberto. Itineris adhæc comites fuere F. Gregorius Nazianzenus, qui Beasij haud ita pridem in ordinem aggregatus erat, nec non P. Iulianus ab Auila, & Antonius Gaytanus. Magna hocce in itinere cùm ob intensos eorum dierum æstus, tum diuersoria importuna, denique quòd à nefarijs ea impuris que hominibus non rarò insiderentur, tulerunt incommoda. Accessit ad hæc omnia illud longè grauissimum, quòd ipsam pridie feriarum descensui Spiritus paracliti sacrarum Teresam phrenetica quædam & ardens occuparit febris, vt sui propè impos videretur. In mali lenimentum aliud subsidium non suppetebat, quàm frigidę conspersio. Sed solis ita æstuabat ardore, vt nullum inde sentiret refrigerium. In eo, ad quod tum primùm appulere, hospitio exiguum quoddam ipsis fuit assignatum cubiculum obnoxium solis ob tenue tectum & rimosum ardoribus, vtpote nulla eis pellendis fenestra instructum, cuius si ostium aperiretur, tantus eodem penetrabat forinsecus æstus, vt intolerabilis introrsum agentibus videretur. Lecti ea erat inæqualitas, vt cùm hinc in altum tumeret, illinc deprimeretur profundiùs, acutissimis constratus è saxis iacenti videretur. Cùm hic quietem B. Mater capere non posset, ilicò indè discessum est: malebat quippe solares aperto in campo feruores pati, quàm qui angusto illo in loco coarctatos afflabant. Erant hi nihilominùs B. Matri meditandi materia, quàm vehementes damnati apud inferos calores & incendia patiantur, vtpote qui fixi in loco manere coacti, ac sedem mutare vel situm prohibiti, eadem velint nolint perferre compellantur. Perculit ea mali in Matre importunitas ita monacharum omnium animos, vt eam pro se quæque sedulò summo per preces medico

*Quæ in itinere Hispalensi Teresa tulerit incommoda.*

com-

commendarint: eaque orationis vis fuit & energia, vt nonnisi diurnum id tum malum fuerit, cùm aliàs nonnisi multorum spatio dierum ipsum finiretur. Longiùs progressis, nauigio Bœtis fuit transmittendus: sed cùm rectà cum curribus, vbi funis ducebat, traijcere non possent, ad latus aliquãtum deflectere eos oportuit. Portitores, incertum quo casu, cùm funé ductilem è manibus dimisissent, ecce secundo cœpit flumine, aquarum impetu ponto nullo retinente fune, remis nullis ferri, vnum secum quem continebat currum raptans. Oẽs extemplò trepidi vocem tollere; Monachę verò in corde suo ad Deum cœli clamare. Videbat hæc eminus ex arce sua vir nobilis, submisitque de suis, qui laborantibus suppetias ferret. Deo autem dante factum, vt in vado subsistente pontone, periclitantibus auxilio esse alij potuerint. qui porrò è proximo castello venerat, in regiam eos viã reduxit, à qua proculdubio noctis ingruentibus tenebris, aberrassent. Nihil verò B. Matrem afflixit grauiùs, quàm quod prima Pentecostes festiuitate contigit. Summa celeritate tota nocte vsi fuerant, vt ante lucẽ Cordubam cùm peruenissent, ita adessent Missæ sacrificio, vt à nemine mortalium conspicerentur. nam maximè illam cruciabat, ante alios apparere & conspici. hinc, quotiescumque ruri & extra ciuitates oratoria locaq; sacra reperiebat, ad hæc se subducebat, rei sacræ præsẽs adfutura. Idem Cordubæ agere constituerat, & ædiculam quamdam extra muros ciuitatis trans pontem quẽdam sitã adire. Sed nõ sine maxima difficultate huc pertingere potuit. Etenim sine Gubernatoris Cordubẽsis facultate transire pontem currui nefas erat, & hanc ab eo impetrare perdifficile futurũ dicebatur. Missus tamen Antonius Gaytanus facili eã negotio à Præfecto obtinuit. Sed hic molestiarũ nõdum fuit finis; at nouus ex labore subortus labor. cùm enim currus essent latiores, & pontis porta admodum angusta, nulla eorum traijciẽdorum apparebat ratio, nisi illorum compages soluerentur. sed ita demũ vehicula disposita sunt, vt pontem transmissa sint. Ceterùm tum hic, tum in priori molestia trium amplius horarum illis spatium effluxit; quamquam interea ita vndique obducti currus erant, vt, licèt permulti curiosiùs inspecturi, ecquod genus hominum veheretur, affluerent, in nullius tamen oculos monachę incurrerent. Postquam verò ad oratorium iam peruentum esset, molestia nata etiam maior est: cùm enim locus à Spiritu sancto nomen haberet, eique esset dedicatus, permulti huc vndiquaque confluxerant mortales. Solennis namque de more futura erat supplicatio, dein verbi diuini prædicatio, & sacra tripudia. nisi verò hoc in loco rem sacram audissent, ad vrbem reuersas aliam oportuisset conquirere ædem, in qua Missarum mysteria spectassent. Vexabat hoc beatam Matrem ita quidem grauiter, vt, si sine piaculo sacri intermittere auditionem ea sibi die licuisset, ipsum omisisset, ne cum monialibus in confertam adeò se hominum multitudinem daret. Verùm secùs fieri

Teresæ graue erat ab alijs conspici.

cùm

cùm non posset, per modum supplicantium ad ædem eas concedere voluit, pallijs albis amictas, ac velis capitum profundiùs demissis; non sine magna cunctorum admiratione, vtpote quibus hactenus nihil eiuscemodi visum erat. Tum demum Teresam, ob tantam vim mortalium, inter quos se videbat, adeoque tumultuantem, nonnihil turbatam pridiani febris ardores deseruere. Huic tñ malo quoquo modo profuit officiosa viri cuiusdã honesti ac probi caritas, qui in ipso ædis vestibulo Teresę obuius processit, seq; ducem vitæ constituens turbam ingruentem submouit: qui etiam à B. Matre rogatus, vt in sequestratum à populi strepitu sacellũ sese cõduceret, piè roganti morem gessit, nec ab ijs antè recessit, quàm extra ædem eas deduxisset. Non multò pòst viro huic nihil minus opinanti opima obtigit hæreditas, quam ob exhibitum hoc quale quale Dei ancillis officium sibi cœlitùs submissam planè persuasum habebat. Hoc in sacello rem diuinam fecit Iulianus ab Auila, & moniales ad vnum omnes viuifici Eucharistiæ epuli fecit participes. Quæ quàm fieri poterat citissimè inde digressæ, diei æstum, sub ponte quodam parum commodo apricantes, declinarunt. Hæc aliaque eiusdem generis per viam incommoda tum monachæ subiere, etsi maxima animi æquitate & voluptate. Teresæ namque tam blanda & comis erat conuersatio, vt omnem itineris, si qua erat, molestiam sermonibus suis leniret, interdum de maximi ponderis rebus loquens, aliàs ad durorum tolerantiam suas animans, denique de passim occurrentibus & obuijs iucundissima miscens colloquia. Tandem itaque, quinta ante Dominicam sanctissimæ Trinitatis feria, Hispalim peruentum est, vbi iam tum Marianus de sancto Benedicto domum ipsis conduxerat. Hanc beata Mater cùm esset ingressa, statim eius inire possessionem se posse sperabat, vti alijs in opidis facere solebat, & rem omnem iam ex voto confectam esse; quòd vrbis illius Archiepiscopus Christophorus de Rojas, miro erga Excalceatos studio raperetur, & interdum hac de re ad beatam Matrem perscripsisset, insigniter erga ipsam animatus. ipse quoque Gratianus & Marianus pergratũ illi se fecisse opinabantur, quòd huc Teresa appulisset. Verùm longè secùs, ac cogitarat, res cõtigit; hanc quippe, vti reliquas hactenus, sedem cum difficultate parari, & Teresæ labore constare Dominus cupiebat. Archiepiscopus namque à Monialium erat cœnobijs, quæ certis non constarent prouentibus, maximè alienus: singularis porrò in hoc Dei elucebat prouidentia, quòd nihil dum Præsul comperisset, vel è quoquam didicisset eorum, quæ Teresa Hispali erat molitura. Si enim eorum antè, quàm ipsa illuc appulisset, fuisset conscius, facultatem eius rei haudquaquam esset elargitus, & monasterij fundatio penitus non successisset. Cupiebat quidem eam venire, & moniales secum ducere, non tamen sedem domiciliumque illis è fidelium benignitate victuris constituere. Stãtuerat namque has ipsas per suæ curæ credita monasteria dispertiri, vt illarum
hæc

hæc vſu & quotidiana conſuetudine ad vitæ nouitatem moreſque religioſiores conformarentur. Itaque Tereſæ Marianus poteſtatem ab Archiepiſcopo concedendam ad cœnobij pauperis conſtructionem negabat, neve hanc illum cuiquam hactenus aut Hiſpali, aut Cordubę, cui antè ciuitati vt Epiſcopus prę fuerat, conceſſiſſe; quamobrem non omnino abs re futurum, ſi redditibus ipſa cœnobium hoc annuis ſtabiliri permitteret. Ab hoc B. Mater conſilio planè erat aliena: neq; enim aliter dotata condere monaſteria ſolebat, quàm in opidis minoribus, in quibus vel eadem penitus nō cōſtituenda, vel prouentibus ita dotanda dictitabat, nihil vt neceſſariorum ſubſidiorum domeſticorum cuiquam deeſſet. Tum verò ad certos Hiſpalenſi domui attribuendos prouentus adeò parum à re nummaria inſtructa erat, vt Hiſpalim inuecta ſolum teruncium ſecum haberet. Tandem tamē Præſul, importunioribus Mariani poſtulatis cedēs, rei diuinæ faciendæ facultatem eſt impertitus, quę primùm facta Dominica SS. Trinitatis proxima, in IV. ante Kal. Iunias diem incidenti, anno quinto & ſeptuageſimo. Vetuit tamen, ne ære Campano ad ſacra ſignum daretur, nec ipſum de loco ſuperiore ſuſpenderetur; ſed iam antè ſuſpenſum erat. Miſit adhæc quemdā è ſacerdotibus domeſticis, qui ſacrorū hic Deo offerret primitias. Atq; hoc pacto loci huius inita poſſeſſio eſt, & diuina ibidem recitata ſunt horarum officia. inditum cœnobio à S. Ioſepho de monte Carmeli cognomē. Domui porrò aliqualiter inſtruendæ & adaptandæ neceſſarias oportunitates Mariani vrbe tota conquiſiuit induſtria & ſedulitas: monachę enim, præter ea, quibus currus obtexerant, velamina, aliam ſecum non tulerant ſupellectilem. Plenam porrò fundationis locandæ poteſtatem Antiſtes minimè fecerat, ſed dumtaxat ſacrificij peragendi. Ceterùm Tereſæ adeò non hæc imperfecta poteſtas, aliæque rationes fecere ſatis, vt, niſi verita fuiſſet, ne quam Hieronymo Gratiano Viſitatori & P. Mariano ſuo moleſtiam vel dolorem diſceſſu attuliſſet, properè inde ſe cum ſodalibus ſubduxiſſet. At Marianus cùm paulatim blandioribus Archiepiſcopum verbis leniret, breui ſe diſpecturum hic aiebat, quid in beatæ Matris agendum foret negotio.

Hiſpalenſis cœnobij adita poſſeſſio.

Sub idem tēpus acceſſere ad Tereſam Carmelitę Gaudentes, ſciſcitantes, ecqua tandem auctoritate monaſterium hoc conderet, vel quid ad hoc iuris afferret: quibus cùm acceptas olim à Præpoſito Generali litteras oſtendiſſet, quieſcentes vlteriùs inquirere deſierunt. Deo autem diſponente factum, prorſus vt illos lateret, quàm parum erga hoc eſſet Archiepiſcopus cœnobium animatus: ſi enim alienum hunc animum comperiſſent, ipſum hauddubiè, ſi modò extrema tentare voluiſſent, ſubuertere potuiſſent. Haud longo interpoſito tempore ipſe Tereſam Præſul adijt; quem illa eâ animi vehementiâ & ſpiritu eſt allocuta, vt, qui in ipſa loquebatur, Deo is reſiſtere haud valeret; inſuper adderet, eo cuncta

peragerentur modo, quo ipsa vellet. hinc deinceps si qua poterat, & quoties se dabat occasio, se beneuolum declarauit, ac partium eius fautorem.

## CAPVT VI.

### *QVID TERESA HISPALI PASSA SIT: NON inde antè discessit, quàm in proprijs monachæ ædibus commorarentur.*

ETSI Hispalis adeò copiosa & opulenta sit ciuitas, & tam luculenta in egenos benignitate succurrat, nec ibi defuturus videretur, qui Excalceatis in domo comparanda statim suppetias ferret, & necessaria vitæ subsidia submitteret; ita tamen hac in vrbe beatam Matrem eiusque socias exercere Domino placuit, vt nullo in opido maiori hactenus rerùm laborarit inopia. neque enim tantùm ad menses aliquot tecti caruerunt oportunitate, verùm etiam vitæ trahendæ necessaria ægerrimè admodum ac tenuissimè suppetebant. Domus adhæc ipsa instructa non erat, & oportuna supellectile destituta; in quibus defatigata & confecta membra reclinarent, sacci deerant, nec non cibaria fami pellendæ, quin ijs ipsis diebus, dum oua aliquot coquenda essent, vetera illis per domum funium detritorum scruta quæritanda erant, quibus ignem fouerent. Læta tamen & hilari cunctas has mente patiebantur ærumnas Nulli dum notæ erant, nemo eas adibat. Adhæc, grauis Matrem ipsam infirmitas, ceteras etiam omnes cœli noui prostrauit intemperies: tum quòd per æstiuos huc appulissent feruores, tum verò quòd ijs rerum quæ dixi oportunarum premerentur incommodis. Nullæ item se, quæ in familiam cooptarentur, virgines offerebant, & quæ ante Teresę aduentum ei se adiungere in animo habuerant, hoc vitæ rigore deterritæ se prodere, & aleam tentare non audebant. Sed paulò pòst, cùm nonnullæ Deo inspirante in cœtum hunc adlegerentur, aliquatenus domesticæ penuriæ subuentum est: atque imprimis honestæ ac nobilis cuiusdam viduæ liberalitate, quæ cùm ad hoc institutum amplectendum animum adiunxisset, & secundò cùm B. Matre hac de re ageret; nullo postulante, bis mille septingentorum aureorum summam attulit, quæ ex lamellis aureis & argenteis nummis redacta est. cùm verò ingressum tantisper differret, quousque rem domesticam composuisset, ex hac eam quidem vita migrare contigit; sed testamenti tabulis rerum suarum ex asse hæredem domum hanc esse voluit. Verùm alia quædam virgo, sub ipsa principia in familiam hanc cooptata, plus ceteris ad reliquarum patientiam & virtutes probandas contulit. tantum enim illis molestia-

lestiarum peperit, & tum beatam Matrem, tum socias in eas exagitationis redegit angustias, vt, sicut beata Mater pòst referre solebat, quæ Hispalim secum adirent, inter alias eæ studiosè antè seligendæ viderentur, vt quæ ibi aduersa subierunt, ijs se ferendis disponerent. Qui verò de eadem in Excalceatarum cœtum adlegenda apud B. Matrem egerant, tam eximia de illa prædicabant, vt Teresa, si hæc ipsa monacha prodigia non patraret, magnam illos honoris sui facturos diceret iacturam. Hæc ad menses quidẽ aliquot in religione vixit, sed, quòd alteri vitæ generi ab hoc discrepanti assueuisset, hanc deseruit, & ad pristinam reuersa est normam. Erat hæc Hispalensibus nota, virtutisque apud omnes & sanctitatis opinionem collegerat: cuius proinde egressio varijs in populo sermonibus atque obtrectationibus ansam dedit. nam nemo non Teresam & socias sugillando traducere, nemo non calumniari, & grauis illi affricare infamiæ maculam. Sed victrix tandem emersit veritas, vt cui præualere fucus & mendacia, etsi hanc acriter exagitarent & diuexarent, minimè potuere. nam quæ verè virtutum erant sectatrices & studiosæ, tales reuera esse pòst compertum est, ipsarumque religio & virtus cùm purior apparuit, tum magis in populo innotuit, & qui maleuolorum temerè calumnijs crediderant viri graues, in fraudem ab alijs perducti, sinistram opinionem deposuere. Per idem tempus de hac ipsa re longè Teresa manifestiùs, quàm eam ipse tango, cuidam de suarum numero Præpositæ in hæc verba scribit: *Litteras hasce iam lectas ad Metinensem Præfectam porrò mitte, quæ non mediocriter angetur, ob quædam à me nuper illi perscripta, etsi nonnisi quàm poteram minimè eas quibus exagitamur molestias verbis extulissem. Noris igitur, iam inde ab Abulensis domus erectione nullo esse numero vniuersa quæ tuli aduersa, si cum ijs, quæ hic ferenda mihi fuere, comparauero: quæ qui norint, non immeritò me hæc scribere comperient.* Addit deinde: *Iam tandem patebit, commentitia esse omnia & inania, quæ sparsa sunt. hæc porrò de nobis hic vulgò ferebantur, acribus nos in monachas, pedibus manibusq; vinctas, flagellis animaduertere: atque vtinam alia in vulgus sparsa non essent, & eius generis fuissent vniuersa! Erant enim præter rem hanc adeò grauem alia sexcenta eiusce modi, vt iam tum manifestè appareret, Deum idcirco duris aduersorum flagellis in nos animaduertere velle, vt optato tandem omnia fine concluderentur. atque ita reuera mihi persuadeo. Ipsarum proinde est animo propterea non deijci; quin potius spero in Domino, breui nos hinc sospites digressuras.* Non sine ratione hæc scribere B. Mater potuit: eò namque res deuenit & calumnia, vt ad sacros Inquisitores vnà cum socijs delata sit, & in ipsarum sit vitam studiosè inquisitum, ac testes auditi. Sed vnde probrum ac maculam secutura æmuli sperabant, inde ancillarum Dei patuit innocentia ac sanctimonia, & quã iniquis opprimerẽtur modis, & lacerarẽtur calũnijs. atq; ita tandẽ negotio huic finis est impositus. Habebãt ad hæc sacerdotem, qui noxas confessis operam dabat, adeò anxium & rerum

*Veritatẽ expugnare mẽdacium non potest.*

*Teresa & sociæ ad inquisitionis sacræ tribunal delatæ.*

expertem, & imperitum, vt ne Latinis quidem verbis eas sibi fineret cruce imprimere, quibus tamen passim omnes assueuerant. ita namq; mordicus alterius cuiusdam monachæ, quæ antè huic se dicarat monasterio, agendi consuetudinem approbabat, vt reliquas omnes hanc non imitantes errare, solam ipsam sapere, & huius reliquas imitari exemplum debere dictitaret. Aliquo illius temporis ac molestiarum spatio non solùm eam cruciabant homines, sed ipse etiam Deus, ad ancillæ suæ experimentum & tolerandi materiam, sese videbatur subducere. vnde toto vitæ tempore similem huic animo negabat obrepsisse inertiam, vel spiritus languorem parem ei, qui tunc sibi insidebat; adeò vt se ipsa vix agnosceret. Licèt enim insignem in Deum numquam non præferret fiduciam, ita tamen sui erat dissimilis ab ea, quam se fuisse senserat, ex quo primùm ad cœnobia constituenda animum cœpisset adiungere, facilè vt in se sentiret, iam suam Deum nonnihil manum subduxisse; vt videret nimirum, quam hactenus declararat animi celsitatem & magnitudinem, non à se eam, sed ab eodem Domino promanare. Iam inde ab exeunte Maio, ferè adusque solennia sequentis anni ieiunia, Hispali egerat, ac nulla dum ædium comparandarum fiebat à quoquam mentio, nullum ijs comparandis suppetebat argentum, nullus denique qui mutuò ipsum daret, quales alijs in opidis sibi minimè defuerant. Cùm videret autem aliorum negotiorum ingruentium occasione propediem in Castellam sibi redeundum fore, non mediocriter animo angebatur; neque enim inde antè abire constituerat, quàm de tecti oportunitate suis esset sodalibus prospectum. Ijs ipsis diebus Hispalim delatus est nouo ex orbe redux Laurentius Cepedius, beatæ Matris frater, qui sorori suæ incredibili quadam ratione præstò fuit, & quàm potuit diligentissimam attulit operam, vt ædes stabiles coemerentur. Interim ad Deum ipsa confugit, consuetum suis in necessitatibus auxilium & asylum, nec non ad beatum Iosephum; ipsæ etiam assiduis monachæ ad Dominum precibus clamabant, vt suis ipse ancillis de domo prospiceret. Quadam ergo die de hoc Teresa negotio cum Domino inter comprecandum agens, ab ipso audijt: *Iam te ipse exaudiui, mihi rei eius curam committe.* His illa verbis erecta, iam sibi domum in manibus habere videbatur. De vnius coemptione iam propè inter partes conuenerat, quæ ad omnium quidem facere gustum videbatur, quòd optimo sita erat loco; quamuis illarum è re minimè esse videbatur, quòd esset præ vetustate ruinosa, & velut de nouo à fundamentis excitanda, quam in structuram multa pecuniæ vis requirebatur. Dominus itaque, qui in rem cœnobij eam minimè fore præuidebat, vtpote quæ multorum spatio annorum vix munienda & concinnanda videbatur, monachæ verò à re nummaria parum instructæ essent, quòd domum illis se curaturum spopondisset, effecit, vt illarũ venditor ędiũ nonnullas incõgruas proponeret

con-

Dominus à Teresa se subducebat, vt eo magis pateretur.

Dominus Teresę curat negotia.

conditiones tum, cùm iam ſtipulationis erant tabulæ conficiendæ; & infecta re à partibus vtrimque recedi haud iniquè ferret, ipſumq; contractum reſcindi gauderet. idcirco namque ita rem hanc Dominus moderabatur, vt hoc pacto de commodiori ipſis domicilio proſpiceret. Nec ſefellit: nam aliud ſex aureorum millibus comparatum eſt, etſi non ſine multorum cõtradictione & impedimento. nam monachi, in vicinia commorantes, ſummopere, auctoritate publica interpoſita, inſtiterunt, huc ne ipſæ commigrarent. Sed nihil hoc morata Tereſa, dedit operam, vt tum ipſa, tum Maria de S. Ioſepho, quam Præfectam Hiſpalenſem conſtituerat, & aliæ duæ ſecum monachæ ſummo in ſilentio nocte quadam huc tranſirent, quo ſemel iam facto non fuit, qui ſe deinceps opponeret. Laurentius porrò Cepedius, qui hoc in negotium hactenus nauiter incubuerat, cibaria illis quotidiana & victum ſubminiſtrabat, quòd domus hæc monaſterij loco non haberetur, nec ſolitis piorum ſuſtineretur ſubſidijs, niſi fortè vnius Carthuſianorum (quorum domus hic *de las Cuenas* appellabatur) Prioris; qui ſanè vir miro tum erga Deum, tum erga has ancillas eius ſtudio & pietate afficiebatur. Menſem fermè integrum hoc in ſtatu egere. interim Laurentius Cepedius in ædem ſacram adaptandam, & alia domus membra inſarcienda magnam nummorum multitudinem inſumpſit: qui ſi ijs Hiſpalim diebus non appuliſſet, nihil horum penitus per ſe monachæ præſtare potuiſſent. Omnibus ergo iam concinnatis, optaſſet quidem Tereſa ſine ſtrepitu atque apparatu vllo Venerabile huc Sacramentum inferri; verùm Carthuſienſi Priori, & Garziæ Aluario Sacerdoti Hiſpalenſi, viro integerrimo (qui rem hanc non ſecùs ac ſuam curabant) placuit, quò cœnobium magis in populum innoteſceret, hunc ſolenni ritu ac feſtiua pompa encæniorum diem celebrari. qua etiam ſuper re cùm Archiepiſcopum conſuluiſſent, ipſorum ipſe haud inuitus ſententiæ acceſsit. Edixit itaque, vt, vniuerſo clero & nonnullis ſodalitatibus conuenientibus, & vijs publicis adornatis, de quadam parochiali æde Venerabile Chriſti corpus huc transferretur. Vt dictum, factum: nam Garzias Aluarius cùm templũ, tum noui clauſtrum monaſterij ritè inſtruxit, ſcitas hinc inde aras adaptauit, multas denique elegantiarum varietates ad voluptatem compoſitas induxit; atq; inter cæteras aquam è malorum aureorum cytinis expreſſam per tubos in perpetui fontis modum fluere fecit: etſi hunc B. Mater fontem omitti voluiſſet. Viæ, vti ſtatutum erat, & mundatæ & adornatæ ſunt, magnaque ſolennitate & pompa, feſtiuo ſymphoniacorum & inſtrumentorum muſicorum concentu, Auguſtiſsimus Angelorum panis ab Archiepiſcopo huc delatus eſt, Dominica ante Pentecoſten, quæ in tertium ante Nonas Iunias diem incidit, anno ſeculi præſentis ſexto poſt ſeptuageſimum. Quo etiam die prodigioſum quid contigit, quod etiam omnibus, ante quorum id oculos factum eſt, ſtuporem mouit.



Digitized by Google

Res admirabilis, q̃ contigit eo die, quo Ven. Eucharistię Sacramentum Hispalẽsem in domum illatum est.

Plurima hac encæniorum die missilia in plausu ignea missa erant, & crebro bombardarum fragore omnia identidem reboarant; cùm iam supplicatione finita, sub vesperam, dum denuo festiui ignes & boatus tormentorum repetuntur, casu nescio quo in puluerem sulphureum, tametsi exiguum, ignis illapsus est; is tamen, qui puluerem habebat, non sine miraculo à flamma læsus non fuit. Sed ecce & nouum prodigium: cùm enim adusque cœnobij fastigium flamma repens ascenderet, cuius laqueare subflaua & coccinea bysso tenui adornatum erat; ecce, fornicis quidem lapides tetram ab ipsa fumi fuligine nigredinem induerũt, ipsa tamen extima byssus tenuissima, quæ omnium iudicio prima concipere flammam debuisset, ita integra & inuiolata apparuit, vti cùm primùm laqueari appensa fuit. Mirã B. Matri, quæcumque acta essent, & voluptatem attulere & solatium, tum verò magis, quòd in propria & adeò quidem bona suas discedens monachas domo relinqueret, in qua decennio propè toto dein sunt commoratæ. Nam postea Isabella de S. Francisco, cùm ibidem Præpositam ageret, anno sæculi huius sexto & octogesimo, aliam septingentis, supra duodena millia, aureis coemit, quæ ea ipsa est, quam modò incolunt, pio scilicet aliquot proborum virorum adminiculo, atque imprimis Petri Ceresi Pardi, viri cùm genere, tum virtutum splendore, atque imprimis omnium principe caritate, & benigna in DEI famulos liberalitate notissimi, qua etiam stimulante suas in pia id genus opera facultates assiduè erogare non dubitat. Horum ille in operum exercitio adeò non defatigatur vmquam, vt, quidquid assiduo conquirit labore, in eadem magna animi alacritate impendat. Is in domus huius monialium coemptionem aureos sex mille insumpsit, ædi verò sacræ multiplicem est apparatum, & supellectilem ex argento elargitus, atque inter alia ducenúm aureorum lychnum, & argenteam crucem, Sanctorum reliquijs condecoratam, quæ tricentenis nummis aureis stetit; &, cùm primùm domum hanc adijt, quadringentorum illi honorarium contribuit. Vt verò de alijs Religiosis domibus, in quas ille profusus admodum exstitit, nihil dicam, (constat namque mihi, vni illum inter alias, etsi non simul vna vice, tria aureorum millia insigni benignitate contulisse) erga hanc sanè Excalceatarum & Excalceatorum familiam munificentissimum se semper præbuit; & ita quidem eminenter, vt paucis hanc benignitatem complecti verbis non possem. Omissis enim ijs, quæ in Madritanum, Granatense, Beasense, Burgense, Salmantinum, Albanum, aliaque instituti huius domicilia liberaliter profudit; ipsa sanè Olisipponensis sedes, illius operâ potissimum & adminiculo ortum habuit: nam in illius stabilimentum & erectionem ter mille contribuit aureos, & etiamnum quotidie noua illi submittit subsidia. Ipsum profectò Excalceatorum Hispalensium cœnobium bina simul aureorum millia ab ipso accepit, vt taceam ea, quæ quotidianos

Virtutes Petri Ceresi Pardi.

ab

ab illo ſuppeditantur in vſus. Etſi verò tantum argenti, tamque frequenter pia in opera elargiatur, maiora tamen dandi voluntatem & animum præfert: ita namque promptè & gratanter hæc exequitur, perinde ac ſi exiguam & quotidianam ſtipem erogaret. Credo equidem parum æquis illum accepturum animis, quòd hæc à me ſcripto ad poſteritatem conſignentur; ſed vnius DEI gloriæ promouendæ ſtudio, & vt aliquam, quod huiuſmodi ex operibus ad proximum emanat exemplo, lectori vtilitatem afferam, hæc à me literis mandata ſunt. Laurentio porrò Cepedio eam quam huc attulit opem, DEVS æquiſſimus remunerator egregiè rependit; nam inter cætera, ſibi paruulam quamdam, è filiabus eius, Tereſam nomine, adoptauit. Mirifico erga hanc Beata Mater affectu rapiebatur, quòd eam & ſuauiſsimis moribus, & indole eximia, & alijs ad DEO ancillandum dotibus inſtructam cerneret. hæc hodie in Abulenſi Conuentu degit, & Tereſa de IESV vulgò cognominatur. Dum Dominica die ſolennitate omni peracta, tum etiam moleſtiæ & labores omnes finem accepiſſent, & iam aliquam ſibi B. Mater indulgere quietem à laboribus præteritis debuiſſet, poſtridie eius diei ſine cunctatione inde diſceſsit, cùm quòd ſui præſentiâ reliqua per Caſtellam domicilia opus imprimis haberent, & cœli calores quotidie magis ac magis inualeſcerent, tum aliquod afferre longior mora diſcrimen potuiſſet. Lætam igitur feſtiuitatis huius, quam moniales ſenſerant, iucunditatem diluit, velut aquâ offusâ, inopinatus Matris ſuæ cariſsimæ inde diſceſſus, cuius vnius præſentia ad vnum omnes maximè recreabat. Verùm ob eas, quas iam diximus rationes, diutiùs hærere Hiſpali ei nefas fuit, tum verò, quòd dicatas Spiritui ſancto ferias, quæ ſequenti proximè Hebdomade recolebantur, Malagone celebrare conſtituiſſet. Hiſpalenſi itaque domui Præpoſitam dedit Mariam de Sancto Ioſepho, quæ hanc etiam tamdiu rexit, donec ad Oliſipponenſem conſtituendam ſedem eſt euocata; illius verò vicariam Mariam de S. Spiritu conſtituit.

## CAPVT VII.

### *DVODECIMVM CARAVACAE EXcitatur cœnobium.*

INterim dum Abulæ Tereſa ageret, iamiam Beaſium conceſſura, venit ad ipſam miſſus Carauaca nuntius cum litteris Catharinæ de Otalora, de primarijs loci illius matronis (fuit hæc Licentiati Munnoſij Regij in Concilio Indico Conſiliarij, ac deinde in Senatus Regij Aſſeſſores adlecti vxor) quibus Beatam ipſa Matrem rogabat, vt illa in ciuitate

ſedem

sedem suarum erigeret. Rei huius illa fuit occasio. Dixerat ibidem pro cōcione quidam è societate nostra Ecclesiastes ea verborum ac spiritus vehementia, vt his tres è primaria nobilitate virgines sanguine inuicem iunctæ, commotæ, mundo rebusque mundanis nuntium remittere, seq; DEO in religioso instituto dicare decreuerint: quarum hæc sunt nomina, Francisca de Saojosa, Francisca de Moya, Francisca denique Tauste. Harum prima Catharinæ de Otalora consobrina erat, & illius in familia commorabatur, quò & aliæ duæ pòst commigrarunt. quæ si hoc in opido constituere ex se cœnobium vellét, illius in fundationem Catharina bis mille nummos aureos spopondit, tum etiam omnem, qua vsui esse poterat, opem, vti ab Ordinum Equestrium concilio eius rei facultas obtineretur. quòd enim opidum id Equitum D. Iacobi iuris esset, illorum iniussu nouum in illo erigi monasterium nefas erat. Hac porrò illæ in domo non minori in solitudine agebant, quàm si monasterij cuiusdam claustro continerentur: nam in vna ædium parte, quam pia illa vidua ipsis singillatim assignarat, ædiculam priuatam habebāt, nec non confessionalem exedram, & orbem versatilem cœnobiorum in morem. Dubitabant autem, quodnam demum hoc in cœnobium institutum inducerent: nec vllam hactenus in partem penitus propenderant. donec eò tandem quidam appulit de Socijs nostris, cognomēto Leyua, à quo audiere, in regno Toletano illustrem quamdam sanctitate mulierem, Teresam de Iesu cognominatam, noua Carmelitanarum erigere cœnobia, in quibus & religionis vigeret integritas, & claustrum seruaretur arctissimum. His demum compertis, animum pariter huc induxerunt, & apud Catharinā tantum vnanimi voto effecere, vt omnium ipsa nomine ad Teresam hac de re scriberet, ipsarumq; trium ad sedis primordia constituenda hæreditatem offerret. Hac illius postulatione B. Mater mirificè in animo recreata, Abula discessit, statuitque, iam Beasensi domo constituta, Carauacam etiam concedere: atque hanc ob causam plures secum sodales duxit, quàm Beasensis initia sedis requirerent. Idipsum & Catharinæ de Otalora per litteras spopondit, illam regiam interea iubens rei inchoandæ potestatem exigere. Nec verò eam difficile fuit obtinere. cùm enim sua ipsa Teresa manu Regi Philippo hac de re scripsisset, quamprimùm hic eius copiam fecit. Verùm, quòd hoc Ordinario loci domicilium subesse Rex iussisset, denuò ad Curiam hac de re planiùs opus fuit referre, quòd hanc ad reliquarum exemplum Ordini subijci ac parere domū Teresa mallet. Interim dum hæc aguntur, Hieronymo Gratiano Visitatori Apostolico placuit illam Beasio, vbi tum quidem cōmorabatur, recedere, & ad Hispalensem sedem constituendam proficisci. hinc maximo virginum illarum cum dolore hæc diutiùs dilata res est, quę iam ad templum ornandum spectantia summa diligentia & festinatione compararant, & iam rem velut confectam habebant. Idcircò etiam Annam de S. Alberto, quam

*Carauacēsis monasterij initia.*

quam secum B. Mater duxerat, vt Carauacensem domum moderaretur, Hispali interea reliquit, reliquas porrò, quas in monasterij eiusdem initia ponenda aduexerat, Malagonem remisit. Vt primùm eius, quam & qualem optabant, facultatis regiæ litteræ aduenere, illæ DEI ancillæ Beatam Matrem assiduè, vt Carauacam ad cœptum monasterij negotium conficiendum excurreret, vrgebant. Quòd autem pia admodum & æqua illarum videretur postulatio, & Hispalenses res æquo longiùs traherentur, placuit Beatæ Matri, nec non Patri Visitatori aliquot Carauacam Monachas mittere, quæ illius loco noua iacerent domus fundamenta. Hanc ob caussam est Hispali missa Anna de Sancto Alberto, quam Præfectam Teresa crearat: hæc rectà Malagonem reuersa, quatuor inde alias abduxit, Barbaram puta de Sancto Spiritu, quæ primas à superiore teneret, Annam de Incarnatione, Ioannam de Sancto Hieronymo, Catharinam demum de Assumptione; quæ simul omnes Carauacam, ipso exspectationi partus Deiparæ Matris die sacro appulsæ sunt, & peramanter & benignè à tribus illis DEI ancillis exceptæ, non quidem in Catharinæ de Otalora, sed Roderici de Moya, Franciscæ de Moya patris ædibus. hic enim suarum illis ædium partem mutuo dederat, in qua dein ipsæ elegantem admodum ædiculam cum odæo distincto concinnarunt, additis etiam reticulatis cancellis & orbe versatili. Dum quæ necessaria erant, comparantur, & tabulæ fundationis conficiuntur, & domestica supellex conuehitur, December mensis effluxit: Sequenti verò die, ipsis inquam anni sexti & septuagesimi Kalendis, sanctissimum Altaris Sacramentum huc illatum est, & loci inita possessio, illique data à Sancto Iosepho appellatio. Eodem ipso die religiosum sumpsere amictum fundatricum duæ; nam tertiam aliquot tum suam apud sororem commorari diebus oportuit. Hanc suis in fundationibus Teresa ait foris tum fuisse: & reuera fuit tum, cùm de hac ipsa fundatione scriberet. Sed non multò pòst, duorum circiter aut trium mensium interuallo, vestem illi contulit Hieronymus Gratianus, hanc cùm domum Visitator lustraret. Hæ suo quæque tempore ritè vota DEO nuncuparunt, & Francisca de Matre DEI, Francisca de Cruce, Francisca de Sancto Iosepho sunt appellatæ. eo porrò singulas hic ordine recenseo, quo capitis eas initio produxi; quæ etiamnum, magnæ probitatis & religionis dantes omnibus exempla, Carauacæ commorantur.

## CAPVT VIII.

*QVADRIENNII SPATIO NVLLVM TEresa fundat cœnobium; quidque interea ea & egerit, & passa sit.*

HIspali Teresa Malagonem, inde Toletum concessit, vbi aliquot mensium spatio hæsit. Quoniam verò, qui diuini obsequij studio animas Deo plurimas lucrantur, salutis nostræ aduersario imprimis exosi sunt, & eos ipse, qua potis est, ratione exagitat & persequitur, satis illi non fuit, Hispali se Teresæ aduersarium præbuisse, verùm etiam multas alias excogitauit rationes, ad impediendum, ne qua, præter iam cõdita, de nouo cœnobia vspiam conderentur, quòd magnum inde ipse pateretur dispendium, sibique eadem permolesta essent. quin omnem iam mouerat lapidem, nisi illi Devs obstitisset, vt, quæ iam in Monacharum Monachorumque vsum de facto constructa erant, penitus dissoluerentur, & subuerterentur. Cùm itaque in his Teresa fundandis quotidie progrederetur, huius ipsa rei Generalem Præpositum certiorem reddebat; à quo vicissim litteras recipiebat, quibus hunc ipse sibi esse progressum longè acceptissimum testabatur. Qua illius voluptate & applausu incredibiles suos Teresa labores & ærumnas, quas in singulorum propè fundationibus domiciliorum experiebatur, non parum leniebat. quòd enim Dei hunc ipsa teneret loco, quam illi afferebat lætitiam, Deo se afferre existimabat. Hinc, cùm per literas illum rogasset, sua iuberet auctoritate, ne qua noua exinde à se cœnobia excitarentur; hoc se is nequaquam facturum respondit, desiderare se namque, tot vt illius erigerentur operâ, quot in capite haberet capillos. Hæc quidem tum ille, verùm paucis inde pòst annis Generali Carmelitæ in congregatione collecti Teresam, antequam Hispali discederet, per litteras monuere, non modò vt nullas posthac nouas erigeret sedes, verùm etiam ex omnibus iam erectis eam sibi, quam vellet, eligeret, in qua deinceps quietè viueret, nec ea ampliùs egrederetur. Hoc Beatæ Matri imperium ex voto accidit: quod enim sibi reliquum erat vitæ, in quiete id monastica traducere peroptabat, simul etiam à tanto discursu ac profectione erat alienissima: etsi aliud longè spectarent, à quibus id mandatum promanabat. Producti tum quoque in illam testes, & vitæ eius vniuersa excussa ratio, etsi nihil examen hoc cum veritate haberet commune. Interim tamen Teresa plaudebat ouans, & miro animi perfundebatur gaudio, quòd irrefragabilem innocentiæ suæ testem supremum rerum Inspectorem haberet Deum. Sed maximè illam cru-

Diabol⁹ fũdata subuertere cœnobia conatur.

Generalis Carmelitarum tot voluisset cœnobia à Teresa erigi, quot in capite haberet capillos.

Carmelitæ vetãt plura erigi monasteria.

Examinãtur Teresæ opera.

Digitized by Google

cruciabat, quòd harum delationum ac teſtimoniorum velut inſtrumento vſi nonnulli, Præpoſiti Generalis animum à ſe paulò alieniorem reddidiſſent. Vt verò finitarum fundationum ratio penitiùs intelligatur, res altiori à principio arceſſenda eſt. Cùm Abulam Toleto Tereſa veniſſet, triennio Præfecturę eius, quæ in Incarnationis cœnobio Tereſæ eo in munere ſucceſſerat, iam euoluto; eius domus monachæ, quæ initio ab ipſa fuerant alieniores, & omni eam ratione ac via excludere ſtuduerant, ita pronis iam in ipſam animis rapiebantur, vt tam illæ, quàm reliquæ omnes *Tereſa denuo in Incarnationis Præfecta in eligitur.*
denuò eam in Rectricem eligerent, tanto quidem ſuffragantium conſenſu, vt, licèt ingens earum eſſet numerus, è quatuor ſuffragiorum partibus, tres eoque plures in vnam ipſam ferrentur. Per idem quoque tempus, Petri Hernandij Viſitatoris munus exſpirabat; itaque, vt nouæ huic electioni pondus accederet, à Carmelitarum Mitigatorum Prouinciali eam confirmari, ratamque haberi oportebat. Verùm hanc ipſi confirmare, ob aliquot, quibus huc adducebantur, rationes noluere. Cæterùm ita eius percupidæ illæ monachæ erant, vt iudicio rem diſceptare ſtatuerint, & Nuntij Apoſtolici, & Regij Concilij ad hoc auctoritate interpoſita, magnam pecuniæ vim expenderint: Prouincialem quoque ſuum adierint, quas à Senatu Regio litteras quoad hoc acceperant, illi traditura; ſed aurem ipſe poſtulatis ipſarum accommodare nolebat. Eo ipſe tempore Abulam pertranſiens, Beatam Matrem in Sancti Ioſephi adij, è qua quid rerum ageretur intellexi: metuebat ſcilicet ipſa, ne, quod Monachæ inſiſtendo ardenter poſtulabant, à ſuperioribus ipſum conſequerentur, ſimul etiam imprimis optabat, vt ſibi quietæ ſua in domo agere liceret. Et ſanè votorum illam Dominus compotem reddidit; cùm numquam electæ confirmationem ſuo à Prouinciali impetrare Incarnationis moniales potuerint. Antequam autem hæc fierent, Hieronymus Gratianus, Paſtranæ Priorem agens, pro ſuo gloriæ diuinæ ſemper adaugendæ, atque inſtituti ſui longiùs promouendi ſtudio ab Apoſtolicæ Sedis Legato fieri ſibi copiam petierat fratribus Excalceatis domicilij Hiſpali excitandi. qua in re *Carmelitis Excalceatis Hiſpali domus erigitur.*
beneuolos tum hunc ipſum Legatum, tum Chriſtophorum de Rojas Archiepiſcopum Hiſpalenſem expertus, ipſum fundaturus Hiſpalim tetendit. Vbi dum verſatur, ab Romano Pontifice huic eſt Nuntio iniunctum, vt Carmelitarum vtriuſque ſexus priuilegijs gaudentium Viſitatores Inſpectoreſque conſtitueret. Hac de re cùm ad Regem is retuliſſet, Catholicæ hoc Maieſtati gratiſsimum fuit, & vniuerſæ Bœticæ Viſitator Hieronymus Gratianus eſt declaratus. Hic ergo cùm integritate ſingulari, nec *Hieronym⁹ Gratianus Viſitator Carmelitarũ deſignatus.*
non caritate & prudentia ſuum exercere munus cœpiſſet, atque omnibus, quæ correctione opus habere norat, proſpiceret; Excalceatarum Hiſpalẽſium è domo Iſabellã de S. Franciſco, Villacaſtinẽſem, de qua aliàs dicere memini, euocatã Paternenſe in opidum iuſſit concedere, vt, quod in eodẽ

 Mo-

Digitized by Google

Monialium erat cœnobium ordinis Mitigati, suo ipsa exemplo meliorem ad formam, disciplinam, institutumque reuocaret. Quo in munere ipsa singulare tum DEO præstitit obsequium, tum incredibilem monialibus fructum attulit. Id autem Gratianus munus exercebat tum, cùm Teresa Beatium & Hispalim, vti suprà significaui, abisset sedem constitutura. Inter hæc erant, qui Carmelitarum Gaudentium auctoritatem ac nomen, quod habebant, non parum lædi censebant, quod adolescentem non sui instituti, & tironem quodammodo Religiosum in Visitatorem nacti essent; præsertim cùm sibi non deessent (vti reuera non deerant) alij & ætate & religione, & vitæ probitate spectabiles Patres, quibus eæ committi partes cum honore potuissent. Id quidem Gratianus à se onus haud grauatè abiecisset, & hac ipsos molestia, quantum quidem in ipso erat, libens admodum liberasset (quæ etiam aliarum pòst seminarium fuit & origo;) verùm adeò non ab hoc eum munere Legatus voluit absoluere, vt etiam tum, cùm vnà cum Teresa Beasij ageret (quemadmodum in loco indicauimus,) eum ad se euocatum Apostolicum Excalceatorum & Excalceatarum per Castellanam Prouinciam Visitatorem constituerit. Hoc autem ipse munere dum fungeretur, vitæ probitate, & eruditione singulari omnibus ad quæ concedebat locis, exemplo erat; vnde etiam factum, vt nonnullæ ciuitates Excalceatorum vtriusque sexus apud se condi domicilia postularent. Vallisoletum porrò cùm venisset suæ fratribus disciplinæ cœnobium erecturus, ob eam, quam diximus, causam Mitigati ab alio Legato, prioris successore, Philippo Episcopo Placentino, Patres diploma obtinent, quo Excalceati sibi parere iubebantur: sibi nimirum obedientiam deberi, vtpote antiquioribus, quin etiam illos excommunicationis pœnas incurrisse, & Generali Præposito refractarios auscultare nolle, dictitantes. Quo comperto Gratianus ad Nuntium opis causa confugit; à quo cùm reprehenderetur, & obiurgaretur, humi prostratus reprehendētem benignè audijt, nihil in causæ suæ defensionem ac tutelam, insigni animi humilitate, afferens. Interim quodam eum in monasterio Nuntius hærere iubet, donec quid statuendum suo in negotio foret, maturiùs decerneretur. Cùm in Excalceatorum itaque disciplinam interea sedulò inquiritur, ad Regis & Præpositi Generalis aures ipsum examen deuenit. Hic verò ipsum secutus, ita rem cordi habuit, vt & ad DEI gloriam, & Ordinis sui tranquillitatem facere censeret, si hæc nupera Excalceatorum monasteria irritarentur, & eum ad statum res redigeretur, in quo nimirum erat, antequam de hisce fundandis esset sermo: quin & in Teresam ipsam stomachando concitari cœpit, quòd nullum huc ipsa auxilium afferret; cùm tamen antè eam tam beneuolè fouisset, fundandique illi quàm poterat plurima cœnobia potestatem concessisset. Varijs hanc ob causam exagitati sunt modis Excalceatorum primarij, & capita, Gra-

Carmelitæ Gaudentes Excalceatos sub suā redigere obedientiam volunt.

Gratiani humilitas.

Inquisitio fit in Excalceatos.

Primarij Excalceati exagitantur.

Digitized by Google

Gratianus scilicet, Antonius de Iesu, Marianus de sancto Benedicto,& alij, atque adeò omnes vbique aduersus ipsos insurgere, & illorum subuertendæ domus omnes penitùs videbantur. Nuntius quippe Apostolicus in ea erat sententia, expedire imprimis vt censeret, plura id genus cœnobia non excitari,& hoc ipse negotium omni quo poterat studio promouebat. hinc nonnullos ex hisce Patribus in exilium pellere, alios in custodiam abducere, & alios atque alios varijs affligere pœnis; quin etiam anathematis præsenti pœna proposita edicere, ne quis verbum illa de re ampliùs faceret; denique horum, nec non Excalceatarum, è Mitigato Ordine virum, Angelum de Salazar, Visitatorem creare. Rès penè ad extremum redacta iam erat,& Excalceatorum institutum ruinam minari videbatur. Quid tum agebat Teresa? quam tunc crucem in animo sentiebat? Persuasum scilicet habebat, sui vnius causa turbidam hanc tempestatem coortam, seque vnâ in procellosum mare Ionæ ad exemplum coniectâ, fore vt breui vniuersa procella detumesceret. Ipsa nempe in omnibus patiebatur, in omnibus ipsa crucem sentiscebat; adhęc varijs ipsa passim impetebatur calũnijs: quas flocci ipsa pendens, bonorum illorum Patrum sortem imprimis miserabatur; quos & norat innocuos & culpæ omnis expertes. atque hæc ipsam afflictio ante alias insectabatur. Interea ipsa continuas & feruentes suis in domicilijs omnibus preces, ieiunia, corporis castigationes crebriores indicere, necnon suos in cœlum oculos conuertere, vnde certum illi erat subsidium & auxilium venturum. Quadam ergo die dum inter orandum animo versaret, verène hi & ex animo, quos antè nominauimus, nouam hanc Excalceatorum reformationem destructam vellent, ilicò respondentem sibi Dominum audijt: *Ita quidem nonnulli cuperent, verùm id minimè continget, sed longè secùs*. Etsi verò certiora hæc spiritus ac diuina adhiberet præsidia, humana tamen minimè sibi negligenda putauit. Magnatum itaque fauorem & beneuolentiam captauit, maioris auctoritatis Religiosos adhibuit deprecatores, verbisque demum ita efficacibus Regi perscripsit, ijs vt magis illius sit Maiestas, causæ vt se propitiam exhiberet, quàm omnibus aliorum deprecatorum patrocinijs emota. Interim à Dei id profecturum ipsa censebat manu, singulari cum patientia exspectans, quidquid in hoc tandem negotio decerneretur. hinc licèt interdum rei non eum quem volebat, interdum etiam longè deteriorem successum cerneret, non idcircò vel minimum ab ea desciscebat. Sæpè, cùm optato res exitu iam concludenda videbatur, subitò mutato euentu, pessimo erat loco,& denuò inchoanda; ipsa verò solita sua patientia,& viua in Deum fide nixa, successum semper lætum exspectabat. Tandem itaque Catholicum illum Regem impulit Deus, vt seruis ille suis, qui aduersis exagitabantur, suppetias ferret, cùm non solùm Apostolicum Nuntium huius esse causæ iudicem voluit, sed quatuor ei sua ipse sponte designauit assessores, viros

Teresæ afflictio.

Iona 1.

Teresæ facta reuelatio, quoad rem cœnobiorũ.

Teresæ patientia,& in Deum fiducia.

graues; & horum tres esse Religiosos iussit, atque inter hos Petrum Hernandium, qui illius olim fuerat Visitator, & rem omnem perspectam habebat. Quod cùm Teresa inaudisset, negotium vt confectum habebat. Et est sanè secundo lætoque id successu terminatum. Cùm enim iam inde ab Vrbe Generalis Minister Inspectorem misisset, qui comperto delationes veras fuisse, & testes verum deposuisse, sua in Excalceatos auctoritate pro rei grauitate animaduerteret, quin illorũ etiam penitùs molimina subuerteret, sua illum vti potestate Philippus Rex vetuit. Longiùs etiam prouecta Regia benignitas & beneuolentia, tum suo, tum Excalceatorum nomine à felicis recordationis Papa Gregorio decimotertio instanter petijt, multis eisque grauibus hanc in rem propositis rationibus, vt Excalceatos æquè atque Excalceatas à Mitigatorum obedientia absolueret, quò singulares sibi hi possent constituere prouincias, solum Generalem totius Ordinis Præpositum in Superiorem agnoscentes. Veritate porrò rei diligenter excussa Pontifex, nec non labores & ærumnas, quas hi Dei serui subierant, miseratus, insigni cum liberalitate hanc ipsis potestatem, illorum institutum & vitæ rationem amplissimis verbis deprædicans, est elargitus, æquum esse dictitans, vt suus vnicuique familiæ, qui eiusdem foret instituti, Superior obtingeret. Copiam adhæc fecit nouas passim vbiuis locorum tum fratribus, tum monialibus sedes excitandi. Hæ quidem anno octogesimo decimo Kalend. Iulij ab Antistite supremo missæ litteræ sunt: verùm, quòd casu nulli earum esset exequendarum facta potestas, & denuò de eadem Romam rescribere oportuisset, eius demum rei executorem Pontifex nominauit Petrum Hernandium. Ilicò igitur Salmanticam Apostolicas ad eum litteras Rex misit: at, quòd ad mortem vsque ex morbo tum ipse decumbebat, has nondum resignatas ad Regem remisit. quare tertiò demùm hac de re Philippus Rex ad Vrbem cùm scripsisset, ac duos designasset, vt, si alterutri interim quid accideret humanitùs, alter saltem accepta potestate rem exequeretur; executio tandem concredita F. Ioanni de las Cueuas, de familia Dominicana Talabricensis cœnobij sancto Genesio dedicati tum quidem Priori, postea verò Castellanæ Prouinciæ Prouinciali, viro insigni, religione & auctoritate magno. Missum hoc diploma XII. Kal. Decemb. anni eiusdem: cuius vi Excalceati, F. Ioanne de las Cueuas Præside, primam suam Compluti congregationem, Dominica IV. Quadragesimæ. anni insequentis primi post octogesimum indixere: in qua, Prouinciæ facta diuisione, Prouincialis illius primus constitutus est Hieronymus Gratianus. Exinde omnia in pace & tranquillitate fuere, vniuersaque Excalceatarum cœnobia vni proprio subiecta mansere Prouinciali. Abulense quidem decem ac septem circiter annorum spatio loci Episcopo subditum fuit; sed, euolutis his, cùm Aluarus Mendozius hinc ad Palen-

Rex Philippus Pontificem Gregorium XIII. orat, vt Excalceatos ab obedientia Carmelitanorum eximeret: cui Papa libēs annuit.

Hieronym⁹ Gratianus primus Excalceatarũ Prouincialis.

Palentinum Episcopatum transmigrasset, Teresæ Toleti agenti significauit Dominus, operam vt adhiberet, vt quæ in S.Iosephi Abulæ agerent monachæ, obedientiam Ordinis superioribus etiam præstarent: hoc enim ni fieret, fore, vt domus illius religionis vigor propediem interiret. Hoc ipsa de negotio cum Doctore Velascio, qui ea tempestate illi à confessionibus erat, & Canonicum Toleti agebat, ac deinde ad Episcopatum Oxomensem, tandẽ ad Compostellanum Archiepiscopatũ est euectus, communicans, illius hunc suasorem habuit & suffragatorem. Abulæ quoque cum Episcopo eadem super re contulit, item suis cum Sodalibus. Tandem, ita vt constituerat, res confecta est, atque exinde in aliarum domus hæc numero recenseri cœpit. Septem post annos aliud ijdem Patres à sanctissimo Domino nostro Sixto Papa V. diploma VI. Idus Iulias datum obtinuere, quo potestatem fecit, vt quæ iam excreuerat in domos plurimas prouincia, in plures distingueretur, & suus cuique Prouincialis assignaretur, eæque omnes eligendo postea Vicario Generali subijcerentur. Litteræ hæ octauo Idus Maij, anno duodenonagesimo executioni cùm mandarentur, quinque constitutæ sunt prouinciæ, Castellana duplex, in Veterem & Nouam distincta, Granatensis, Catalauniensis, & Lusitana, & singuli singulis dati Præpositi Prouinciales: in Generalem verò electus Vicarium est Nicolaus de Iesu Maria, qui tum Prouincialem agebat.

*Domini iussu Abulēsis domus Excalceatis subijcitur.*

*Excalceati in prouincias dist nguuntur, & Generalem eligunt.*

## CAPVT IX.

### *DECIMVMTERTIVM EXCITATVR DOMICILIUM IN OPIDO Villanoua de la Xara, D. Anna dedicatum.*

EX ijs quę suprà commemorauimus euidenter satis patet, ecquę fuerit ratio, quòd quadriennio illo toto nullum de nouo excitatum sit Excalceatarum cœnobium, cùm etiam quæ iam antè erecta erant, summo ipsa essent in periculo, ne penitus subuerterentur, & etiam viuere multum esset. Primum itaque, post has procellas compositas, cœnobium fuit Villanouę de la Xara excitatum, quod iam inde ab anno septuagesimosexto postulatum erat, cùm Toleti ageret Teresa iam Hispali reuersa. Tum sc. ad eam sacerdos quidam ab eo missus opido venit: hic iam abhinc annis aliquot in eremitorio à S.Anna denominato, cui vicina erat domuncula, nouem ibidem virgines nuntiauit coaluisse, tanta in sanctitate & solitudine viuentes, vt vniuersam opidi permouerint multitudinem ad pijs ipsarum desiderijs satisfaciẽdum. B.Matri ea res operæ pretium nõ videbatur,

*Nouem ancillarũ Dei sanctitas opidum vniuersum mouit, vt cœnobium ijs excitaretur.*

ob

Digitized by Google

Qui vni vitę rationi assueuerunt, difficulter aliam assumunt.

ob nõnullas quibus ad hoc adducebatur rationes, quarum ea princeps erat, quòd virgines iam certæ vitæ rationi assuetas suos ad religiosum institutũ mores minimè accommodaturas crederet, tum quòd exigua illarum esset domuncula, & vix vlla supellex; deniq;, tametsi illarũ se resp necessitatibus prospecturam sponderet, minimè ea ad perpetuitatem stabilis promissio futura videretur. Accedebat ad hæc, quòd, quamuis harum virginum probitas omnium sermone extolleretur, cùm eæ de plano sibi visæ non essent, ignoraret, num quæ suis in Sodalibus talenta posceret, hæc ipsæ præferrent. Hanc ipsa cum Magistro Velascio, quem Toleti illi confitenti operam dedisse nuper diximus, rem communicauit. Respondit ille, spem illis aliquam per litteras faceret; cùm enim tot simul corda in vnum, Deo mouente, scopum collinearent, euidens id signum esse, Dei hæc voluntate videri fieri. Interim opidani litteris continenter insistebant. Verùm hæc dum fiunt, simul etiam patroni adhibentur, qui negotium apud beatam Matrem conficiant; & ipsa assensum tandem præbet, cùm ea tempestate Ordinis sui inchoati negotium varijs rerum vicissitudinibus ac procellis exagitaretur, ad annum vsque octogesimum res protracta est. quamquam etiam toto illo medij temporis spatio huiusce illi monasterij fundationem admittere semper parum congruum & importunum videbatur. Si quando tamen ad postulata oppidanorum responderet, numquam omnem rei spem illis poterat adimere. Erat tertio ab Villanoua lapide quoddam Excalceatorum fratrum cœnobiũ, quod à B. Maria de Auxilio nomẽ habebat, cuius Gabriel de Assumptione Præpositus, vnà cum Patre Antonio de Iesu, qui eodem in cœnobio ad dies aliquot est commoratus, interdum Villanouam, verbi diuini prædicationis ergo, excurrebat. hi cùm illas Dei ancillas identidem alloquerentur, ita ipsarum sunt sanctitate prouocati & moti, vt summis Teresam precibus & omni studio inducere sint conati, huc vt domum erectura concederet; atque inprimis ipse Gabriel, qui inde Malagonem sex & viginti leucarum itinere abijt, vt hanc ipse beatæ Matri rem coràm verbis persuaderet. Non immeritò porrò ipsarum Patribus illis virtus placuit: quinquennio enim toto, eoque amplius, quo in eremitorio illo sunt commoratæ, insigni probitatis ac sanctimoniæ exemplo omnibus vicinis præluxere. Summa licèt rerum penuria premerentur, stipem tamen in necessarios vitæ vsus petere noluere, sed suarum opere manuum victitabant, è lucro verò quotidiano corporis subtrahebant sustentationi, quo nuntijs ad beatam Matrem mittendis necessaria subsidia suppeterent. Insolitis frequentibusque membra rigoribus, nec non crebris ieiunijs emacerabant. Noctes & dies continenter ad Dominum ingeminatis precibus clamabant, B. Matrem ad se vt dirigeret, à qua religiosi instituti formulam ediscerent. Vnaquæque adhuc vestem, quam huc initio tulerat, induta erat, nec antè eam quàm in monachas cooptarentur, mutare decre-

Nouem ancillarũ Dei probitas.

cre-

creuerant. Vultus ipse pœnitētiæ vitęq; seueritati respondebat: nulla inter eas ceteris præerat, sed fraterna sororiaque inuicem caritate iunctæ erant. Nulla domus claui claudebatur, sed pessulo dumtaxat, & hunc sola quæ ceteris ætate anteibat, obducebat. duæ quoque, alijs ætate prouectiores, rem familiarem curabant, & de necessarijs prospiciebant, hinc reliquæ nemini externorum loquebantur. Exiguus omnibus erat somnus, oratio diuturna & prolixa, dies verò festiuos totos in precibus traducebant. Hæc Gabrieli commemoranti suas tamen Teresa, ob quas ipsas admittere parū expedire censebat, rationes afferebat: cessit tandem oportunioribus illius precibus, id tum eius, tum P. Antonij conscientiæ se committere dictitans, & facturam se non inuitam, quod illis, re maturiùs examinata, potissimum conuenientissimumq; videretur. Quòd videret autem, in huius ipsum domicilij erectionem admodum propendere, & fore, vt de hac ipse re ad Prelatum, quem tunc Nuntio Apostolico designante nacti erant, Angelum de Salazar ex ordine Mitigato referret; eum ipsa præuertit, ab illo impensè postulans, ne rei huius illi facultatem concederet. Quamquam verò summa B. Mater opum vi obluctaretur, assiduis tamen continentibusque illarum Dei famularum orationibus rem confici contigit. Hanc ipsa quoque identidem Domino inter orandum commendabat, vt quod ad ampliorem illius cederet gloriam, id ipse fieri permitteret. Quadam autem die à sacro surgens Eucharistiæ epulo, dum eodem super negotio cum Altissimo tractaret, acriter est ab ipso obiurgata petente, quibusnam reliqua, quæ hactenus erecta erant domicilia, thesauris fundata essent; & mandante, hanc vt domum admitteret. hanc enim partim suum in obsequium, partim in plurimarum salutem animarum cessuram. Ad hanc tandem ipsa vocem victa manus dedit, simul etiam grauem se credebat noxam contraxisse, quòd humanis rationibus plus æquo hic niteretur, cùm quæ sua hactenus opera Dominus fecisset, adeò omnem rationem transscenderint. Videbatur illi necessarium fore; vt huc se ipsa conferret, etsi & valetudo, & corporis iter hoc constitutio dissuaderet, quòd ægra admodum Malagonem peruenisset, & ægritudo indies ingrauesceret. Sed quòd è re diuina id fore præuideret, suo id Superiori indicauit, petens vt id ipse faciendum præscriberet, quod expedire magis iudicaret. Is ergo non modò huc concedendi potestatem fecit, verùm etiam addito imperio mandauit, illarum quoque monacharum conducendarum, quas huic fore domo aptiores nosset, optionem illi permisit. Re ergo Domino per preces communicata, vt, quæ illis Dei ancillis erudiendis maximè conuenirent, sanctimoniales seligere posset; è Toletana domo Annam de Matre Dei Præpositam futuram, & è Malagonensi Eluiram de sancto Angelo Vicariam eius selegit, nec non Annam de sancto Augustino & Constantiam de Cruce. Tum quoque comes eius extitit, quæ nec ab eius postea latere

Dominus Teresam reprehendit, quod nouę ancillarum suarum ipsa votum differret.



Digitized by Google

tere vmquam ad mortem vsque recessit, soror Anna de sancto Bartholomæo; quæ sedulam eius curam gerebat, & quibus poterat officiosæ caritatis illi succurrebat auxilijs, vt quæ illi ministrando gratificari Domino summoperè desideraret, & sciret quàm gratum illi hocce famulatu præstaret obsequium. Has accersitum iuere Patres Antonius de Iesu, & Gabriel de Assumptione, omnibus secum donarijs, quibus eos Resp. instruxerat, assumptis. Itaque Malagone, sabbato ante Quadragesimale ieiunium, Idibus Februarij discessum est. Adeò porrò confirmatam eo in itinere sibi Teresa valetudinem experta est, perinde ac si nullam hactenus ægritudinem sensisset. quam illa vicissitudinem mirata, simul etiam considerabat, quanti referret, exiguas corporis vires & inualetudinem parum morari, cùm diuini cultus & gloriæ amplificandæ sese offert occasio. Hoc in itinere, quòd Patres illi in regione illa, à Mancha cognominata, notissimi essent, vt primùm increbuit, beatam Matrem adesse, nec non in omnibus locis, ad quæ commeabant, tanta eius visendæ studio hominum passim affluebat multitudo, eam vt compescere non valerent. Hinc cùm quodam in pago, cui nomen Robledo, apud honestam probamque matronam diuersaretur, tanta huc confestim mortalium vis confluxit, vt duos ante ianuam collocare lictores fuerit opus, qui ingruentem multitudinem, interim dum ipsa cum suis pranderet, submouerent. sed ne ij quidem compescere affluentium ardorem poterant, cùm muros extimos domus transscenderent. Vnde, vt populi accurrentis vis coerceretur, & ipsæ commodè inde possent recedere, nonnullos abducere in custodiam fuit necesse: omnes namque incredibili eius saltem videndæ desiderio tenebantur, cùm nulla alloquendæ daretur facultas. In alium haud procul inde pagum cùm primùm inueheretur, tanta hominum turba, ipsam vt videret, obuiam prodijt, vt postridie, eius compescendæ ergò, tres ante auroram horas in viam se dederit. Inde cùm adeò tempestiuè recederet, ea, qua ipsa vehebatur, rheda confracta est; sed quia nondum dies illuxerat, eius fracturam & damnum nemo antè aduertit, quàm tria prouecti milliaria ad alium peruenissent locum; tum demum, visâ rhedæ iacturâ, mirari omnes, quomodo tantum conficere itineris potuissent; ipse etiam lecticarius asserere, id miraculo non vacare. Omnes porrò incredibili hisce in pagis erga ipsam studio & affectu tenebantur; hinc in illorum vno agricola quidam, locuples imprimis & pecuniosus, cognito hac illam pertransituram, lautum illi domi suæ parauit conuiuium & cibum, suosque filios & generos per alios hinc inde dispersos pagos adesse iussit, vt Teresa eos præsens benediceret; nec non vniuersa armenta & greges vnum coegit in locum, vt & his benedictionem cœlestem apprecaretur. Hunc tamẽ ad pagum cùm delata esset, subsistere noluit, ne rheda quidem de-

*Vbi diuinus agitur honos, sanitatis non est habenda ratio.*

*Teresam videndi desiderio omnes tenẽtur*

*Casus rarus in rheda fracta.*

*Agricola suos à B. M. benedici volebat.*

descẽdere, tametsi instantissimè rogaretur. hinc ad currum adesse pius suos agricola iussit, vt eam hic alloquerentur singuli, & benedictionem ab ea acciperent. Inde ad B. Mariam de Auxilio, quo nomine Excalceatorum domicilium nominatur, peruentum est. Sed antequam huc ingrederetur, omnes illi Fratres, agmine facto, in speciem supplicantium obuiam prodiere. quod B. Matri officium mirè placuit, & quamdam animi teneritudinem, ac singularem pietatis sensum in illa causabatur, quòd primorum ordinis sui Eremitarum ea re diceret imaginem referri ac pietatem. Omnes in genua prostrati, supplices illius benedici manibus postulabãt; quam deinde surgentes agminatim ad ædem sacram deduxere, eamque ingressi, lætum DD. Ambrosij & Augustini hymnum congratulando concinuerũt. Cœnobium porrò hoc intra siluarum est abdita à Catharina de Cardona, insigni pietate, & insolita & incredibili vitæ asperitate notissima muliere conditum: vnde factum, vt in multis Manchæ partibus Excalceati Patres, *Bonæ mulieris fratres* vulgò dicantur. Subterraneus templi illius est aditus, qui illa ipsa cauerna fuit, in qua multis sancta illa mulier annis in mira vitę asperitate vixit. cui cùm condendi monasterij desiderium incidisset, & cuius illud instituti potissimum excitaret, anceps nutaret; pallium illi album est, monstrante Domino, exhibitum; necnon vox allapsa Excalceatis id Carmelitis parandum monuit, etsi ipsa, talesne in rerũ natura vspiam existerent, ignoraret. Cognito deinde Pastranæ tales agere, eò se contulit, vt in eius, quod construere in animo habebat, aliquod subsidium colligeret. in eodem ipsa B. Mariæ vestem sumpsit, etsi non ea mente, vt monasticen profiteretur; anno porrò septimo post septuagesimum de vita meritis cumulata migrauit. Interea verò dum hic B. Mater agit, plurimi vicinis è locis eius videndæ studio acti confluxere. Cùm autem die quodam, post Angelorum sumptum hoc in templo panem, mentis & sensuum alienationem pateretur, hanc ipsam Catharinam glorioso in corpore, nonnullis comitatam Angelis, conspexit, dicentemque audijt, *Noli in hisce cœnobiorum fundationibus defatigari, carissima, sed semper vlterius progredere; equidem tibi apud Dominum præstò futura sum.* Inde non multò pòst, hoc è cœnobio discedens, prima Quadragesimæ Dominica, IX. Kalend. Martias anni octogesimi, ante summum Sacrum Villanouam de la Xara peruenit. Multò etiam antè quàm opido accederet tempore, campanis sonantibus lætum illius sunt aduentum ciues testati, & ingens puerorum agmen mira pietate illi obuiam prodijt: qui vt ad vehiculum, quo ipsa vehebatur, accessere, submisso eam sunt poplite venerati, & nudato capite incedentes, antecessere, donec ad templum eam deducerent. Omnis item Senatus, & loci Curio, multiq; alij viri spectabiles omniũ ætatũ, atq; ordinũ, eam excepturi foras prodiere; nec antè exscẽsionẽ fecere, quã ad S. Annę tẽplum, quòd ab priori lõgiꝰ distabat, peruẽtũ esset. Festiua totiꝰ populi erat cõgratulatio & plausꝰ,

Excalceati supplicatione prævia B. Matrem recipiunt.

Catharinæ de Cardona dotes.

Teresa Catharinam de Cardona per visum conspicit.

Honorificè Teresa Villanouæ excipitur.

templumq; ſubeuntibus omnibus, *Te Deum laudamus*, clerus vniuerſus intermodulantibus organis, cantare cœperunt. His peractis, accepto Venerabili Altaris Sacramẽto, cui thenſam honorabilem adaptarant, & Deiparę Matris effigie, quæ in alio quodam feretro geſtabatur, nec non crucibus cũ vexillis, ſupplicantium ritu, ad S. Annæ eremitorium, quo monaſterium futurum erat loco, ſimul omnes ordinatim proceſſere. In medio agmine, haud procul à ſanctiſſimo Euchariſtiæ ferculo, ſuis cum ſodalibus, pallia alba indutis, & velis ad ora demiſſis, Tereſa gradiebatur; nec procul inde fratres ipſi Excalceati, quorum huc plerique excurrerant, quòd in vicinia commorarentur. Erectæ per viam hinc inde erant aræ, in quibus, pauliſper agmine quieſcente, pium aliquod in Carmelitani inſtituti præconium ac laudem carmen ſymphoniaci modulabantur. Vbi demum huc peruentum eſt, ſolenni pompa ac ritu ſanctiſſima hierotheca illuc eſt illata, & loci adita poſſeſſio, eo ipſo indito illi à S. Anna cognomine, quo antè vocabatur. Nouem porrò illæ Dei ancillæ introrſum ianua recluſæ latebant, & veniẽtem Matrem quã ardentiſſimè exſpectabant, & miro geſtientis animi ſenſu ac lacrymis exceperunt: quibus tum Excalceatorum collatus eſt amictus. Quas vt Tereſa eiuſque ſociæ primùm viderunt, & de plano allocutæ ſunt familiariùs, tantam in eis vitæ notarunt ſanctimoniam, & ad parendum promptitudinem, vt miram inde voluptatem hauſerint, & ſibi bene cum illis conueniret: quas vt quotidiano crebriùs vſu tractare cœpere, adeò nõ itineris ſuſcepti eas piguit, vt etiam de hoc ipſo ſibi ſint congratulatæ. Dicebat idẽtidem Tereſa, ſe, tametſi grauiſſimi ſibi exantlandi eſſent labores, & ferenda incõmoda, ſine piaculo omittere non poſſe ſuo pias has aduentu animas conſolari, & maiori domum hanc theſauro locupletatam ſibi videri, quòd huiuſmodi eam animæ incolerent, quàm ſi ampliſſimis dotata eſſet prouentibus. Statim ergo inſtructis hinc inde ædibus, in cœnobij eas formam redegit. Quadam verò die, cùm apud fabrum, qui vaſto quodam in puteo rotam adaptabat verſatilem, ageret; hæc ipſa illi de manu caſu excidens, eo in Tereſam impetu prolapſa eſt, eam vt ſolo affligeret. Turbatus faber eam ſolo leuare cùm non auderet, ea Tereſa promptitudine & animoſitate ſurrexit, perindè ac ſi nihil illi humanitus accidiſſet. Adeò tamen ingens orbitæ cadentis fuit vis, vt eam viuere, prodigio & miraculo omnes aſcriberent. Hæc in peruigilio ſancti Ioſephi facta ſunt, vnde ea cunctis inſedit opinio, Diui illius interceſſione ſoſpitem illam hac è ruina euaſiſſe.

*Nouem illę Dei ancillæ Tereſæ placent.*

C A-

# CAPVT X.

## *QVARTVMDECIMVM PALENTIAE EXcitatur domicilium, à Sancto Iosepho Deiparæ Matris de Platea cognominatum.*

VIllanoua tandem Toletum concesit, atque inde Superiore suo suadente Vallisoletum. Aluarus namque Mendosius, qui iam cum Palentino Episcopatum Abulensem commutarat, hoc ab illo contenderat, dum in vrbe sua Cathedrali monasterium erigi summopere desiderat. Vallisoleti verò dum agit, tam vehemens eam opprefsit ægritudo, vt de vita pafsim omnes desperarent: verùm, vt habere primùm meliusculè cœpit, Maria de S. Baptista, quæ Præpositam ibidem agebat, omni qua potuit contentione ac precibus eam perpellere est conata, Palentiæ sedem vt constitueret: sed eius postulatis condescendere B. Mater minimè poterat, quòd, cùm sine redditibus annuis hoc construi domicilium vellet, id illi opidum tenue nimis, & alendis pauperibus monachis impar videretur. Agebatur eisdem etiam diebus de Burgensi domo fundanda; sed tam ab hac, quàm ab illa, alieniore Teresa erat animo, nec eam, quam in cæteris hactenus prætulerat, animi in diuinam benignitatem sentiebat fiduciam: diabolus enim, quoad eius fieri poterat, fundationes has euertere & interpedire satagebat. Consulentium alij animos addebant, alij è contra propositis difficultatibus deterrendo formidine eam complebant. Eo ipso tempore Vallisoletum appulit Hieronymus Ripaldus Societatis Iesu, quem confessorem habuerat, Salmanticæ dum ageret. huic ipsa animi sui tum statum aperiens & motus, DEI se illum loco accipere velle significat: proindè quod expedire censeret, liberè id sibi ipse ac candidè depromeret. Ripaldus itaque suasor exstitit, Palentiam vt abiret (nam de hac illum profectione potisimum consuluerat) simul etiam animum addidit tergiuersanti ac stimulos. Idipsum Toleti ei suaserat Balthazar Aluarius, quo olim directore ac magistro fuerat vsa, quique per id tempus Toletanam Prouinciam cum potestate moderabatur. Hæc quidem dubitantem animum aliquatenus inclinabant, verùm nec Ripaldi consilium, nec vrgentes Matris Mariæ à S. Baptista preces Teresam huc penitus perpellere valuerunt. Cùm verò ostendere illi clariùs Redemptor Christus vellet, se directore omnia hæc peragi; ijs fortè diebus cùm sacrâ synaxi perceptâ lucem cœlitus ipsa infundi sibi peteret, qua illustrata, hoc in negotio diuinæ illius voluntatis beneplacitum certò exequi posset, ipsam velut increpans ait: *Quid metuis? ecquando tibi vmquam defui? Idem qui hactenus fui, sum modò.*

Teresa solito meticulosior.



Digitized by Google

Domin' Teresam timoris coarguit.

*bas noli fundationes intermittere.* Hæc illam reprehensio ita exstimulauit & animauit, vt ab illo ipsam proposito nihil potens fuisset diuertere. Hinc, etsi dissuasores Palentiæ opidi tenuitatem identidem obiectarent,& fore, vt stipe collata suæ ibidem viuere non possent, nihil hæc ipsa morabatur, quòd eius niteretur potentia, à quo fundādi accepisset imperium. Quamquam verò nondum planè cōfirmata vteretur valetudine, ipso sanctorum Innocentium Natali die Vallisoleto discessum adornauit, cùm sæculi huius annus ageretur vndeoctogesimus. Quoniam verò Eques quidam, eius quam ipse conduxerat domus, vsum, aliò profectus, ad vsque præcursoris Domini Ioannis ferias concesserat; ante abitum, ea in suum aduentum vt habitatoribus vacua foret,per epistolam monuit. Secretò hocce negotium Canonicus Palentinus Reynosus peragebat,cui,etsi de facie ignoto, Teresa,audito dumtaxat diuini eum obsequij promouendi studio teneri, hac de re scripserat. Nec modò in domo vacua præstanda nauum hic se præstitit,verùm etiam in lectulis quibusdam,&aliquibus ad animi remissionem viresque recreandas faciētibus rebus ( quæ sanè pernecessariæ fuere, quòd aspero & duro in itinere valetudo esset aliquantulum detrita) nec non ijs, quæ ad rem diuinam postridiè faciendam in sacrarij vsum necessaria videbantur,comparādis. Itaque postera quàm appulerunt die, postridie scilicet diei Innocentium cæde nobilis, sacrificatum est, ac loci inita possessio,& de Dauide Rege, cuius agebatur commemoratio, officium magno Teresæ cum gaudio cantatum, quòd erga hunc ipsa Prophetam miro studio afficeretur. A S.Iosepho cœnobium hoc cognomentum habuit. Postridie manè Aluarum Mendosium vrbis Præsulem de suo reddidit aduentu certiorem; qui statim eôdem se cum suis contulit, & insigni cum liberalitate necessarium se illis suppeditaturum quotannis frumentum spopōdit; simul etiam tum temporis de multis rebus oportunis domui prospexit. Vniuerso porrò opido magnæ noua hæc domus voluptati fuit & gaudio, vicissim quoq; opidanorū B. Matri genius & indoles ita fecit satis,& quotidianæ vitæ vsus, vt indies magis & magis huc se Excalceatarum institutum inuexisse lætaretur. Vt primùm adita possessio,& sedes in ciuitatem inuecta est,omnibus in hoc Teresa neruis incubuit, vt proprias suis ædes compararet. hinc, Canonicis Reynoso,& Salinas, quo amico vtebatur, allaborantibus eas opido toto conquirere cœpit; quibus etiam eximia cum caritate, & omni quo poterant studio enitentibus, rei huius antiquissima cura fuit. Est illo in opido ædicula Deiparæ Matri, quæ à Platea nomē habet,dedicata, religione & pio cultu celebris, quæ tum à ciuibus loci, tum à vicinorum opidorum incolis ritè peregrinatione instituta frequentatur. Visa hæc est Episcopo haud incommoda illis futura; nam, tametsi ædicula adiunctam domum non haberet, duæ in vicinia sitę erant, quæ si coniungerentur, quoquo modo oportunæ esse possent. Aediculæ conferendæ

ius

ius penes Capitulum Cathedralis Ecclesiæ, & Sodalitatem quamdam cùm esset, eam haud inuiti tum Canonici, tum Sodales illi dederunt: ceterùm domuum possessores nonnisi enormi eas pretio diuendere volebant: qui cùm Teresæ & Canonicis etiam displicerent, placuit ab eorum domibus mentem auertere. Hinc de alia, quæ visa commodior, comparanda agi cœptum, & ad eius dominum, qui inde non procul aberat, scribere, & quidquid in eius postularet pretium, offerre placuit. Inter hæc cùm rei diuinæ Teresa interesset, agitare animo cœpit, consultóne domus illas priores coemere omitteret: quæ ipsam cogitatio ex interuallo recurrens ita torsit, vt eâdem distracta, mente rei sacræ adesse præsens vix posset. In hac illa cogitatione sacrosanctam Eucharistiæ mensam cùm adiret, in eiusdem sumptione hanc vocem sibi inaudire visa est, *Hæc tibi quadrat*, quæ de ædicula B. Mariæ, atque ædibus eidem adiunctis verba sine controuersia capienda erant. Durum verò cùm illi videretur, quæ Canonici, quibus tantum ipsa debebat, conceperant, & acri studio perfecerant, dissoluere; extemplò dicentem Dominum percepit; *Ignorant illi, quibus illo in me delictis loco incurratur, quibus sceleribus numen meum violetur; quibus, huc ipsa si commigraris, via præcludetur.* Dicebat hæc Dominus, quòd singulis ibi noctib. plurimi cõuenirent, & vigilias agendo nocturnas varijs in Deum criminibus offenderent. Tum reputare secum Teresa cœpit, veréne ea à DEO vox profecta esset, etsi ex ijs, quos in se experta erat, effectibus & motibus, liquidò satis perspexisset, nonnisi à Patre luminum, & magni consilij Angelo eam dimanasse: quocirca vt omni vacaret dubio, ilicò idẽ renium scrutator inspirauit, dicens, *Ego sum.* His auditis serenata quidem mens est, etsi non modicè aliunde turbata, quòd ignoraret, quomodo quod Canonici inchoarant, in irritum bona illorum cum venia, & non læsâ amicitiâ recideret; præsertim cùm & ipsa in sermone etiam antè parum erga domos illas afficeretur. Sed hanc tandem rei dissoluendæ rationẽ excogitauit. Quòd enim Canonico Reynoso in noxis confitendis ipsa vtebatur, hinc illi, quæ agerentur, in confessione aperire constituit: id etiam illi pergratum fuit, nec penitus ab hoc alienus consilio exstitit. A sua etiam parte Dominus ad dissoluenda inchoata alia non minùs oportuna ratione est vsus. Nuntius enim, quem ad posterioris domus possessorem, vt stipulando rem transigeret, offerendo illi tantum, quantum antè petierat, emiserant; reuersus nuntiauit, nisi trecentos vltra condictum aureos adderent, domum venalẽ non fore, cùm tamen antè etiam hic in pretio exigendo, & monachæ in offerẽdo plus æquo excessissent; atque ita irrita fuit stipulatio. Quamprimùm igitur illæ vili satis pretio coemptæ sunt ædes, quæ haud procul ab ædicula B. Virginis à Platea cognominatæ sitæ erant: in quarum instaurationem duo illi Canonici argentum subministrarunt: in quibus singillatim, vti in omnibus omninò Palentinis, tantam B. Mater caritatem & benignitatem

Suadet Teresæ Domin' non deserere ædem B. Virginis de Platea.

repe-

Palentinorũ charitas.

reperit, vt obstupesceret, & eam nullo non tempore & loco extolleret, vt non iam senescentis, sed nascentis Ecclesiæ tempora, incalescẽte nimirum caritate, videre se diceret. Sacratissimæ Virginis effigies cùm incommodo sita esset loco, Episcopus singulare ei collocandæ sacellum construi iussit. paulatim quoque alia omnia debito congruoque ordine disponebantur. Vt primùm domus adornata & munita est, solenni pompa huc transire Monachas Antistes iussit, qui ea dumtaxat de causa Vallisoleto Palentiam suam reuertit. Igitur intra octauam festi Ven. Sacramenti, Capitulo Cathedrali, Religiosis familijs omnibus, & ciuibus in vnum collectis agmen, Teresa cum sodalibus pallia alba indutis, & faciem velo opertis, in modum supplicantium, quadrato agmine, lætà vocum perstrepente harmoniâ, ad vicinam quamdam ædiculæ Beatę Mariæ Virginis paræciam deductę sunt. in hanc illa, quam dixi, Deiparæ Matris effigies illata est, atque inde Venerabilis Eucharistia ablata, magna omnium ordinum atque ætatum congratulatione, lætitia & pio populi totius plausu, in ædiculam Deiparæ inuecta est. quia verò antè à Sancto Iosepho domus hæc nomen nacta erat, & ædes, quam sibi adaptarunt, à Deipara de Platea vulgò cognominabatur; vtrimque mutuato nomine, domicilium id à Sancto Iosepho Deiparæ de Platea est appellatum. In huius sedis primordia constituenda secum Teresa duxit Agnetem de IESV, Catharinam de Spiritu sancto, Mariam de Sancto Bernardo, & Ioannam de Sancto Francisco: Salmantica verò euocauit Isabellam de IESV, quam alijs hic voluit imperare; primam verò ab illa creauit Beatricem de IESV, quæ modò Numantinam domum regit.

Quãdo Carmelitæ Excalceati à Calceatis diuisi sint.

Hæc dum fierent Palentiæ, facta pariter est Excalceatorum à Calceatis Carmelitis distinctio & discrimen; ac primus Excalceatorum electus est Prouincialis P. Hieronymus Gratianus, vti suprà iam suo indicaui loco. Fuit hoc vnum ex ijs, quæ maximè hac in vita recreare Beatam Matrem poterant, & quo nihil videre ardentiùs exoptabat: quòd id ad diuinum obsequium, atque Ordinis sui bonum tranquillitatemque permagni facere intelligeret.

Teresæ raptus.

Cùm quadam verò nocte hoc in cœnobio Teresa scribendo occuparetur, ita alienata mente & absorpta visa est, vt intrantem ad se monialem, & sibi assidentem minimè perciperet: quam hæc deinde curiosiùs intuens, calamum de manu ex interuallo deponentem, ductis imo pectore interruptè suspirijs, è vultu verò radios quosdam, velut solares, & ita fulgidum promicantem vidit splendorem, vt eam reuerentia quadam perculsa vlteriùs inspicere non auderet.

C A-

Digitized by Google

## CAPVT XI.

### *DECIMVMQVINTVM NVMANTIAE fundatur domicilium, SS. Trinitatis titulo dedicatum.*

ANtequam Palentia B. Mater digrederetur, à Magistro Velascio Episcopo Oxomensi, deinde verò Compostellano Archiepiscopo, quem Canonicum Toletanum Toleti iam olim familiariter nouerat, & ad noxas in confeſsione audiendas sæpiùs adhibuerat ( vti iam suprà commemoratum est) ac cui exactam rerum suarum rationem reddiderat, & quo magistro permultum in spiritu profecerat, literas accepit; quibus illam rogauit, Numantiam vt abire, domicilij constituendi ergô, dignaretur. agebat in eo tum ipse opido, quod suę diœceseos pars est. Causa scribendi fuit piũ quoddam honestæ matronæ desiderium, Excalceatis monialibus sedem constituere percupientis: huic ipse verbis pollicitus erat, ita secum Teresa rem transacturum, vt huc concedere pòst cum suis graue non duceret. Atq; hanc ob causam hasce illi litteras misit. Quæ domicilium fundare matrona desiderabat, Beatrix erat Viamontia, vidua: quæ, quia fortunis abundabat, & earum hæredem prolem non habebat, monialium ex ijs construere domicilium decreuerat. Quo super negotio cùm Præsulis sui sentẽtiam percũctaretur, & ille eorum, quæ à Teresa de Iesu paſsim erigebantur, cœnobiorum ei mentionem fecisset; ipsa rogante has Antistes illi litteras scripsit. In hanc ipsa fundationem ingentem, benè materiatam, optimoque sitã loco domum contribuit, additis omnibus ad eius instructionem necessarijs membris & instrumentis, & quingentos aureos annuo redditu è regio ærario persoluendos, quinquiplicato è cẽtenis nummis fœnore. Episcopus verò ædem, in vicino positam, solida structura fundatam, illis addidit. Placuit ea res B. Matri, nec non Prouinciali, qui Palentiam tum fortè venerat. Illi porrò eò id fuit acceptius, quòd bono Pręsuli gratificari hoc pacto posset, ipsiusque coràm videndi, cumq; eo de animi sui rebus de plano communicandi daretur occasio. Vnde quamprimùm eas Episcopus ad se euocauit, & septem secum Teresa moniales, ita id petẽte pia fundatrice adduxit, Catharinam de Christo, quæ Antistita pòst domui præfuit, & Beatricem de Iesu eius vicariam, Mariam de Christo, Annam de S. Baptista, Mariam de Iesu, Mariam de S. Iosepho, Catharinam de Spiritu S. & Laicam vnam, nomine Mariam de S. Baptista, feruentem Dei ancillam, quæ non ita pridẽ Pompeiopoli demortua est. Hanc ipse Monacham familiariter noui, quòd Villacastinensi esset opido oriunda, cumq; ipsa iam inde à prima sua conuersione frequenter egi. hæc, iam inde ab initio, religione & humilitate, ac

silentio monastico fuit excellens,& semper tam ante, quàm post initam vitam religiosam, bono æqualibus suis exemplo præluxit. Cum Teresa profecta pariter est fida illius comes Anna de S Bartholomæo, cuius iam suprà memini: de qua plura etiam commemoranda mihi essent, nisi id mihi soléne ac propositum esset, de superstitibus nōnisi quàm breuissimè loqui. Huc etiam eam comitatus est Nicolaus de Iesu Maria, qui hoc ipso tempore, quo hæc à me scribuntur, Generalis totius est Ordinis Vicarius; eximij vir spiritus ac prudentię, suæq; familiæ cumprimis vtilis, non modò postquam hoc illi munus cōcreditum est, verùm etiam antea. Hic pro sua, qua valebat prudentia, magno in suis B. Matri laboribus ac difficultatibus auxilio fuit; hinc etiam illi exstitit carissimus, permagnique eum faciebat. Hoc porrò in itinere pauca illis subeunda fuere incommoda; quòd ab Episcopo publicus esset apparitor submissus, qui itineris impensas suppeditaret, & de cōmodo proficiscentibus diuersorio per viam prospiceret. Maximam verò Teresa voluptatem cœpit, auditis ijs, quæ passim de Episcopi sanctitate in omnibus, ad quæ concedebat opidis, fama communi dicebantur. Numantiam tandem, quinta post meridiem hora, peruenere, & basilicam Episcopalem prętereuectas sua Pręsul ipse, qui in fenestra eas operiebatur, eminus est benedictione dignatus: quod Teresæ longè acceptissimum fuit, & maximum etiam solatium attulit, quòd à Præsule, viroq; sanctissimo hæc benedictio descenderet. Ipsa verò Beatrix Viamontia ardēti cum desiderio eius ante fores domus, in qua erigendum erat cœnobium, venientes præstolabatur. quo autem ædes subirent modo, vix apparebat, quòd ingens hominum vis, earum videndarum studio, huc vndiquaque confluxisset. Domū ipsa omni necessario instrumento instruxerat, & atriū quoddam egregiè adornarat, quod sacrarij tamdiu vicem suppleret, quoad ambulacrum, per quod ad illam, qua eas Episcopus donarat, ædem transirent, absolueretur. Quamprimùm igitur postera luce, Elisæo Prophetæ sacra, postridie nimirum Iduum Iuniarum, primo post octogesimum anno, res diuina primùm ibidem peragi cœpta est, & inita possessio; loco porrò à Sāctissima fuit Trinitate nomen datum. Eo autem die, quo Dominica recolitur in monte Transfiguratio, eodem anno, sacrosanctum Altaris ferculū, insigni pompa & apparatu in ædem ab Antistite donatam inuectum fuit: quam solennitatem, quia iam inde Velascius recesserat, habita ad populum concione cohonestauit Franciscus Carrerius Societatis IESV Ecclesiastes. Inita iam quidem possessione, sed antè, quàm in oratorium ab Episcopo contributum Eucharistia inferretur, Numantiam ipse pertransiens, dum Roma reuerterem, Teresam maximo meo gaudio & solatio adij, vti superiore eam anno, dum eōdem abirem, Vallisoleti, quò ipsa Palentiam concessura venerat, conueni. Verùm huius Numantinæ visitationis magis memini, cùm quòd eadem postrema fuerit (nam exinde eam videre post non con-

contigit)tum verò,quòd etiam modò doleam,me,cùm quatuor illic commoratus esse diebus, non nisi vltimo demum eorum Teresam ibidem versari comperisse,qui si id initio aduentus didicissem, omni illo tépore multiplicem ipse mihi fructum pio eius è colloquio, & è sancta conuersatione consolationem capere potuissem. His iam Numantię constitutis cùm Abulam ipsam redire oporteret, illò, Anna de S. Bartholomæo comitante, profecta est. hoc in itinere magnas ambæ passæ difficultates sunt, quòd viæ essent incommodæ proficiscentibus, ac præsertim curribus; quiq; illarum se ducem obtulerat, viam regiam ignoraret, callium dumtaxat gnarus. hinc ipsas interdum exscensionem facere fuit necesse,& vehiculum velut in humeros,ob ingruentia viarum præcipitia,sustollere. Erat cùm præsenti in periculo versabátur,ne inuersis rotis currus prolaberetur; vt taceam etiam vehementes,quibus torrebantur de cœlo,calores. Pridie natalis Bartholomæi Apostoli Segobiam appulit, quo loco perhumaniter ac benignè à suis fuit filiabus excepta,metuentibus,quia iam vespera ingruebat, ne quod in via discrimen adisset:apud quas cùm octiduo eoque ampliùs esset commorata, Abulam contendit.

## CAPVT XII.

*ABVLENSIVM MONIALIVM PRAEPOSITA electa Teresa, inde suas, sextumdecimum Granatæ fundaturas cœnobium, emittit.*

TERESA Abulam ineunte Septembri eodem anno primo & octogesimo peruenit; cùm verò filiæ eius,in S. Iosephi domo commorátes, magno eius apud se perpetuò retinendæ desiderio tenerétur, de illa in Pręposítam assumenda agere inter se cœpere. atque adeò Maria de Christo, quæ tum domum moderabatur, à Prouinciali obtinuit, vt sui ab hoc munere amotæ in locum Teresa de Iesu eligeretur. Laborabat sub id tempus domicilium hoc magna rerum ad vitam necessariarum penuria; verùm tã prouida & industria ei pręposita est moderatrix, vt iam inde à primo electionis tépore ad vsq; præsens nihil temporalium subsidiorum illi vnquã defuerit; imò verò eò proucecta res sit,vt,quamuis ingéti domus ęre alieno grauaretur, illa non modò exinde sint dissoluta nomina,verùm ét sufficiétibus instructa per se sit oportunitatibus,ne ad similem,qua tum affligebatur,victus inopiam posthæc redigatur. Si verò insignis quoad téporalia per eam domui facta sit accessio, longè sanè maius rerum ad animi & spiritus decus spectantium singulis accessit incrementum, suos ob oculos quotidie perfectam virtutum omnium, quam à Deo acceperant, imaginem habentibus. Nondum duos Abulæ Teresa substiterat menses, cùm Ioannes à Cruce de primis Excalceatis Patrib. vnus,eò delatus est, equos,& quidquid

Teresa in Antistitam eligitur domus Abuléfis, & quod inde domui bonum accesserit.

ad iter ineundum facere videbatur, conducens, quò Granatam ipsa ad sedē stabiliendam commearet. Censebat enim, quòd primum id esset, quod eo in regno huius instituti domicilium excitaretur, Teresam huius fundationis primordijs necessariò adesse debere. Videbat verò iam tum ipsa, huc se commodè concedere non posse, quòd iam Burgensi fundationi, de qua sequenti agemus cap. inchoandæ esset destinata; idcircò duas alias de suarum delegit numero, quæ rei huic Granatæ auspicandæ satis forēt idoneæ. Primam, Mariam de Christo, quæ iam nuper Præpositurā, vt Teresæ ea prouincia demandaretur, defuncta erat, & iam Malagonense domicilium gubernat; alteram verò Antoniam de Spiritu S. Hæ in vigilia S. Andreæ iter ingressæ, Granatæ in ædibus Annæ de Pegnalosa, qua poscente sedes hæc erigebatur, quæq; suam huc opem nauiter contulit, diuersatæ sunt, & illius è benignitate toto illo, quo necesse fuit tempore, necessaria cibaria acceperunt. Sed cùm non multò pòst moniales nouo huic se deuouerent cœtui, præter eximias animi dotes ea etiam fortunæ adduxere bona, quæ necessarijs vsibus vtcumque sufficiant. Erat Granatæ quidam vir magni nominis, qui, quòd acrem se Excalceatarum aduersarium præberet, vindicem fortè Dei dextram expertus est: nam brumali & insolito tempore domus eius de cœlo tacta deflagrauit. quod illum ita perculit infortunium, vt non modò rancorem indignationemq; posthac animi posuerit, sed benignè etiam & liberaliter de suo stipem contulerit. Huius monasterij B. Mater suo in fundationum libro non meminit, quòd, ipsa de vita emigrante, nondum id perfectum esset, & necdum proprias possideret ædes. Anna de IESV, quæ modò Madriti præfectæ munus exercet, prima eiusdem fuit Præposita constituta, & huius Vicaria Maria de Christo.

Fulmine deflagrauit domus ei⁹, qui Excalceat s aduersabatur.

## CAPVT XIII.

*DECIMVM SEPTIMVM ET POSTREMVM IN ciuitate Burgensi Teresa condit cœnobium, quod à S. Iosepho de S. Anna est denominatum.*

ETsi iam tempus instaret, quo ad beatiorem melioremque Teresa vitam transiret, in qua sempiterna & perpete quiete frueretur; nullam tamen illi hac in vita quietem aut relaxationem Dominus indulgebat: nam vt eminentis illius gloriæ coronam in hoc mundo promereretur, quæ in altero erat ei destinata; ad Burgensis illam domicilij fundamenta ponenda abire voluit, vt in eo nimirum purissimum illud caritatis illius aurum aduersis patienti lætoque animo perferendis purius redderetur, sanctaque hæc anima penitus se gloriæ, quæ ipsam manebat, disponere pergeret. Ipsam ergo Vallisoleti in fundationibus vrgendis languescentem, ac velut

ac velut segnescentem Dominus coarguit, & ad Palentinam Burgensemque, quod tertio ab hinc capite prosecuti sumus, inchoandas monendo exstimulauit. Hoc porrò Teresa, vt solenne vsu iam obseruarat, si quando singularia in fundandis domibus suis aduersa ac tristia sibi ferenda erant, à Domino verbis eam operibusque, quod in alijs non consuerat, animante, semper se solitā præmoneri. Iam sex & amplius euoluti erant anni, ex quo graues aliqui è societate nostra Patres beatæ Matri scripserant, è re diuina futurum, si Burgensi in vrbe suarum ipsa Sodalium sedem conderet. huc quidem & ipsa animo ac desiderio ferebatur, sed planè id nondum apud se decreuerat; donec tandem, Domino adhortante, vti iam diximus, hoc ipsa propositum sententiamque re exequi statuit. Interim tamen rem paulisper, quòd Palentinam & Numantinam fundationes vrgeret; scilicet vsque ad id spatium temporis, ad quod modò peruenimus, differendam censuit.

Dominus Teresam præuenit, si quando in fundationibus aduersa subeunda erant.

Teresa ergo Vallisoleti cùm versaretur, antequam Palentiam tenderet, & Christophorus Vela, iam olim Canariensium Præsul, tum verò Burgensium Archiepiscopus, vrbem illam attigisset, etsi eam minimè ingrederetur; per Palentinum Antistitem eum Mater rogauit, facultatem sibi vt faceret suam in ciuitatem Excalceatarum instituti inuehendi. Hanc se Archiepiscopus, vti diuini vir erat reuerentissimus Numinis, eiusque cultus amplificandi omni occasione studiosissimus, quàm libentissimè elargiturum spopondit. Hinc ipse deinde per litteras rei huius Palētinum Antistitem commonuit, ac Teresæ significari iussit, vt à ciuitatis Rectoribus eam sibi potestatem exigeret: debebat enim monasterium id vel annuis certisque firmari prouentuum præsidijs, vel à senatu ciuibusque eius inducendi facultas concedi. vnde vlteriorem accitum ipsa non exspectans Burgensem ad ciuitatem profecta est. Eo porrò hæc Vela tempore scripserat, quo ad Numantinæ domus initia vrgenda Teresa abierat; vnde haud inani ipsa colligebat coniectura, maiorem opinato in Reipubl. facultate impetranda difficultatem fore. Antè tamen, quàm Numantiam peteret, ea quam Archiepiscopus faciebat spe nixa, rem se in manibus iam habere arbitrabatur; & Palentiæ Catharinæ de Tholosa curam dedit, Burgis sibi domum vt conduceret, in qua & reticulatos ipsa cancellos, & orbem versatilem, prout illi designarat, adaptaret, itaque monasterio caperetur possessio. Erat Catharina vidua, natalium splendore nobilis, & pietate erga Deum, inque miseros & indigos liberalitate spectabilis, magnique nominis fœmina, ita denique in Excalceatarum Ordinem piè animata, vt Vallisoletano duas è filiabus iam dedicasset cœnobio; vti & Palentino alias duas, cùm id recèns erigeretur, etiam antè quàm inde Teresa digrederetur. In hoc porrò ipsa negotium tam nauiter excubabat, vt omnis illi mora esset ac dila-

tio peracerba. hinc Teresa Abulæ agente, & Burgos abire cunctante, Catharina, beata Matre omnium ignarâ, facultatem Reipublicæ ideò haud difficulter obtinuit, quòd ære se suo domum, si aliunde eis non suppeteret, comparaturam, ac victus angustijs sponderet prospecturam. Hoc illam pacto & sponsione cùm obtinuisset, ad Episcopum de ea retulit. Hæc dum fiunt Burgis, dumq; Teresa octaua post sancti Martini ferias die, animo reputat, quidnam ipsa, si à magistratu ea facultas daretur, faceret (quòd è Catharinæ nimirum litteris intellexisset, in hoc illam negotium omni qua poterat ratione incumbere;) & parum illi tutum consentaneumque videretur, durissimo se & incommodo brumæ tempore, corpore adeò exhausto & attrito, cui frigida tempestas quàm maximè officeret, in immite adeò terræ solum se conferre; simul etiam statueret Palentinam huc Præfectam rei auspicandæ suo nomine emittere, dicentem sibi Dominum audijt: *Noli frigus exhorrescere: ego namque verus sum calor. omni diabolus connititur opum vi, hanc vt fundationem disturbet; tu etiam omni econtra nomine meo comitere, ipsa vt ad exitum perducatur. Ipsa huc te conferre ne negligas: magnum enim inde resultabit commodum.* Quibus è verbis facilè ipsa intellexit, iam rei copiam factam; inque suum induxit animum eòdem proficisci: atque hæc fuit ratio, cur Granatensem per se ipsa ordiri sedem non posset. Liquidò pòst patuit, Dei hæc solius fuisse verba: nisi enim Burgos ipsa adijsset, nulla rei conficiendæ fuisset spes, vti in sequentibus perspici licebit. Etsi verò perfrigida cœli illius sit tempestas, adeò tamen hanc ipsa non sensit, vt sibi eam pòst dictitaret non magis duram atq; acerbam fuisse, quàm quod Toleti frigus iam antè tulerat. Non multis interpositis diebus, è litteris à Catharina de Tholosa aliaq; muliere illius vicina acceptis didicit, iam optatam à magistratu domus erigendæ facultatē datam. addiderant quoq;, festinato opus esse, & magnum in mora discrimē situ: appulisse enim Burgos iam recenter Patres Minimos, suam illuc familiā inuecturos: & pręter illos, instare etiā ardēter Carmelitanos Calceatos, sibi vt in eam vrbem aditus daretur: nec multò pòst Monachi à sancto Basilio cognominati se, rerum suarum prouehendarum gratia, Burgos contulere. Hanc ob causam solito magis rem Teresa vrgens, & ad iter se celeriùs accingens postridie Kal. Ianuar. anni octogesimi secundi Abula recessit. Comitabatur eam, quæ solebat, Anna de S. Bartholomæo, & duæ aliæ Sodales, quas Albano domicilio euocarat; quamquam pòst comitum inauctus numerus fuerit. Dum enim Palentia egrederentur, nouem vniuersùm erant, B. Matrem si connumeres: harum quatuor, addita etiam administra domestica, Burgis erant hæsuræ; duæ alię cum Matre sociaq; rediturę. Illarum hæc sunt nomina, Thomasina de S. Baptista, Catharina de Iesu, Agnes de Cruce, quæ in præsentiarum Huetensi domui præest, Catharina de Assumptione, Maria de S. Baptista, & alia Catharina de Iesu, Laica. Eodem quo-

Redemptor Teresam ad iter Burgense animat.

Digitized by Google

quoque properabant P. Hieronymus Gratianus Prouincialis, nec non alij duo de Excalceatorum numero. Quo primùm die ad hanc fundationem abiere, illius etiam cœpere ærumnæ & incommoda. nam potissima die parte, continuis de cœlo pluuijs, niue intermixta, perpluti sunt: vnde, qua vexari aliquoties solebat, torpida B. Matrem membrorum paralysis inuasit. tandem tamen magno cum labore Metinam eo peruentum est die. Triduò hic cùm hæsisset, Vallisoletum concessit. Hic morbi eam vehemētia ita prostrauit, vt fore dicerent medici, nisi quātociùs inde se subduceret, ita vt ægritudo increfceret, vt opinato diutiùs hic manere illam oporteret. Quocirca inde digressa, Palentiam deportatur. Illius hic aduentus tantos vndique indigenarum concursus ad spectandum, & audiendum, benedictionemque illius accipiendam exciuit, vt locum omnem ad exscensum è rhedis monialibus obstruerent. Vt primùm cœnobium ingressa est, læto carmine & hymno pro more à monialibus excepta est: quoties enim aliquod ipsa suorum monasteriorum subibat, eo excipi hymno à suis solebat. Animi in domesticis gaudium ac lætitiam prodebat festiuus domus apparatus, erectis in area ad congratulationem altaribus, alijsque pietatem excitare natis. Omni eo, quo hic Teresa mansit tempore, parum secunda vsa valetudine est; quam augebat & immite anni tempus, & fœdum imbribus cœlum. Nemo non vlterius illis iter dissuadebat, temeritatisque non modicæ esse dicebat, hac præsertim anni tempestate velle proficisci: metuendum enim esse, ne fortè per viam quid illis accideret humanitùs. Verùm nihil afferri ab alijs potuit, quod generosum illius animum à proposito deterreret. Visum igitur fuit, hominem præmittere, qui reliquarum viarum statum exploraret. Sed hic sinistra omnia cùm renuntiasset, angebatur pia Mater animo. quamquam mœroris nubilum diuina extemplò vox discussit, dicens: *Ire potes, noli metuere: equidem namque præstò vobis futurus sum.* His illa verbis animata, rursus in viam se dedit, etsi nonnisi temerarium videretur, tam prostrata valetudine itineri sese committere. Stetit porrò promissis rerum moderator Dominus; etsi enim grauissima illis subeunda essent incommoda & discrimina, diuina tamen eas prouidentia in tutum prouexit. Cùm secundùm flumen eundum curribus esset, tam impeditæ cœno altiore viæ erant, vt exscendere omnes identidem vectrices oporteret, & pedibus porrò progredi, quòd luto infixa vehicula pergere nequirent. Inde cùm cliuum quemdam præcipitem ascenderent, ipsum Teresa carpentum, quo sociæ vehebantur, adeò vidit in latus vergere, vt iamiam in aquam prolapsuræ viderentur; & ita quidem præceps & asper is cliuus erat vt ne multorum quidem manus vel eas periculo eximere, vel proruentis impetum currus sistere potuissent. Hoc cùm adolescens quidam de ductoribus notasset discrimen, rotarum vnam apprehendens, currus ruinam inhibuit,

buit,

buit, quamuis solus ille iam prolabentem morari non posse videretur; nisi quia suas protegere Deus ancillas & sospitare volebat. Hoc Teresa excita & anxia discrimine, quòd iamiam vndarum vorticibus suas absorbendas crederet, suum reliquis anteire exinde currum voluit, vt, si quod adeundum esset periculum, huic ipsa primò inuolueretur. Hoc vt labore defunctæ quietem illi aliquam comites indulgerent, diuersorium subire placuit. Verùm, in quo hanc ipsa capesseret, deerat lectulus. In huius tamen domus incommodis è re futurum videbatur, aliquot illic dierum moram trahere, quòd vlteriora itinera etiam longè impeditiora futura nunciarentur. Vlteriùs progressis occurrebant aggeres quidam haud procul à ciuitate Burgensi, quos cubitali altitudine aqua supereminens transscenderat; & horum etiam à dextris & sinistris omnia longè lateque aquis profundissimis stagnabant. Hos vt tutò pertransirent vehicula, hominem vadi gnarum conduxerant, qui aggeres vadaret: sed illorum hæc erat angustia, vt, si vel minimum currus deliraret, in flumen præceps abiret. Monachæ, discrimen veritæ, animorum negotium, declaratis sacerdoti noxis, in tuto collocarunt, &, beatæ Matris benedictionem efflagitantes, Apostolicum trepidantes decurrerunt Symbolum. Quibus intrepida, & explicata fronte Mater, *Eia, inquit, ecquod, carissimæ filiæ meæ, maius optatis bonum, quàm, si opus foret, hic Domini nostri Iesu Christi nomine martyrium oppetere? Sinite me, nam prima ipsa transire volo: si verò me mergi contigerit, vlteriùs ipsæ ne progrediamini, rogo quàm enixissimè; sed retrò, vnde venistis, ad hospitium redeatis.* Teresa igitur, ducem se præstans, reliquis viam strauit ac securam reddidit. Ceterùm pessima erat valetudine, & linguam illius languida insederat paralysis: vt tamen quodam in oratorio, ad quod concesserat, rei diuinæ præsens affuit, & sacra capessiuit altaris mysteria, linguæ nonnihil laxata sunt vincula, & habere cœpit meliusculè, etsi febris eam non desereret. Hoc tandem die, qui in septimum ante Kalendas Februarias incidit, Burgos delatæ sunt. ante omnia verò sanctum ab ipsis salutari Crucifixum Prouincialis iussit, cùm vt vniuersum illi negotium commendarent, tum vt, interea nocte ingruente, minori cum strepitu inuehi possent vrbem: quam iam inuectas amicè benigneque excepit Catharina de Tholosa, à qua etiam ardenter exspectabantur. Laborabat tum potissimum anginâ Teresa, quæ fauces ita constringebat, vt, nonnisi maximo cum dolore escam traijceret: quod illam malum adusque Kal. Augusti torsit, etsi non eâ quâ sub initium vehementiâ. Quòd verò ab imbribus madescens vrbem & perpluta subisset, ea ipsa nocte diutius solito ad focum assedit. verùm tantum inde secutum est malum, vt ea ipsa nocte ingens illam capitis dolor occuparit, quē etiam tam crebri secuti sunt vomitus, vt faucibus lęsis sanguinē exscrearit. Insequenti verò die surgere ad ea, quæ opus erant, peragenda non potuit; hinc lectulo, quo affixa iacebat, ad fenestram

Teresa prima in discrimen se offert.

Teresa suas ad martyriū animat, ac prima se discrimini exponit.

Teresa ægra in lecto decumbens rē suam gerit.

in

in porticum quamdam despicientem, & cancellos habentem, veloque obtenso tectam collocato, ipsam conuenire volentibus forinsecùs stantibus responsa dabat. Plurimi hic illam compellarunt, atque imprimis missi nomine Reip. nuntij, nuntiantes, adeò non ciues concessæ iam facultatis pœnitere, vt eius etiam aduentu mirificè exultarent, rogantes insuper, videret, quanam illi in re gratificari resp. posset. Volupe hæc Teresæ fuit oratio, vt quę nihil aliud verebatur, quàm ne quod à rep. sibi obstaculum fieret. quare hoc metu libera, rem vt planè confectam habebat. Teresa Burgensibus grata.

## CAPVT XIV.

### *INGENTES HVIVS MONASTERII ERECTIONI obiecta sunt remoræ. Ipsum tandem erigitur: cuius in vsum commoda admodum ædes comparatæ.*

ANtequam verò quid moliretur, Archiepiscopum Prouincialis adiens, facultatem ab illo fieri sibi possessionis stabiliēdæ petijt, quam sine vllo sibi omnes negotio concessum iri arbitrabantur. Archiepiscopus post multa interrogata & responsa in eam tandem venit sententiam, vt antè se potestatem facturum negaret, quàm domum propriam haberent, & aliquatenus ipsis de stabili esset censu prospectum. Ità enim illi id expedire & fieri debere videbatur, cùm quòd ea tunc ciuitas tenuis esset, tum quòd cœnobijs abundaret. Hinc tametsi Teresam sese euocasse non negaret, non aliud voluisse tamen se aiebat, quàm vt sola ipsa, non tot succincta monialibus, Burgos veniret, quasi rei iam nulla restaret exhaurienda difficultas. Et sanè vtrumque non sine singulari Dei nutu factum est, vt hoc nimirum pacto monasterij huius res meliùs succederet: si enim non eo, quo venit, comitatu appulisset, non est ambigendum, quin, facultatem negante Archiepiscopo, retrò vnde venerat irrita re Teresa abijsset: deinde, si quamprimùm eam, vt optabat, impetrasset, fortè & domo, & oportunitatibus, quas nactæ dein sunt, caruissent. Hinc etiam illi postmodum Palentinus Episcopus scripsit, Deū vnà cum ipso quodammodo conspirasse videri in eo, vt, prout oportebat, monasterium fundaretur. Sub idem tempus Teresam continens adurebat febris, & iugulum torquebat angina, nihil vt solidioris cibi in stomachum traijceret, sed dumtaxat liquida & sorbilia. Hanc ob causam, adhæc quia tū sibi, tum sodalib. permolestum erat, foras prodire; Archiepiscopū per aliū rogauit, bona illius vt cum venia sibi in quadā domus, in qua cōmorabantur, parte sacra celebrarentur solennia: quòd huic esset rei peridonea, & hac

aliquot annorum spatio ædis vice Societatis IESV Patres vsi essent, cùm primùm Burgos aduenissent. Ne hoc quidem concedere voluit Præsul, veritus, quantum quidem ipse mihi persuadeo, ne & hoc loco iniretur possessio, & ante monasterium sedem stabiliret, quàm aut ædes proprias, aut prouentus in necessaria alimenta & vsus domesticos pares haberet. Atque hoc sacrosancti Tridentini Concilij Decretorum seruandorum ergo faciebat: nam Teresæ quidem morem volebat vtcumque gerere, & amore quodam singulari ipsam complectebatur, illique Abulæ perfamiliaris antè extiterat. Inter hæc, dum vltrò citroque varia geruntur, trium effluxit hebdomadum interuallum; interim moniales sacra Missarum non adierunt mysteria, nisi Dominicis ferialibusque diebus, ac tum quidem summo manè templum quoddam vicinum lutulentas & cœnosas per vias adibant. De cetero abundè ipsis prouisum erat. Nam Catharina de Tholosa copiosè satis ac benignè eas habebat; vti Prouincialem Magister Mansus, Magistralis illius Ecclesiæ Canonicus; ad quam ille est dignitatem electus, cùm in Collegio Archiepiscopali Salmanticæ Collegialem (vt vocant) ageret, sicut eum antè Compluti in Theologorum Collegio eo ipso egerat tempore, quo Hieronymus Gratianus ibidem etiam Collegialem agebat. Vt primùm habere meliusculè Teresa cœpit, statuit per se ipsa Antistitem adire, atque interim domi sodales eius ex interuallo continuata serie in corpus suum flagellis sæuiebant, vt, quamdiu Mater foris monasterij rem vrgebat, aliqua domi monacha corpusculi castigatione diuinum propitiaret Numen. Verùm non vtiliùs suam ipsa quàm alij hactenus apud illum operam locabat, etsi, si quis eius redeuntis vultum esset contemplatus, vtpote ad hilaritatem compositum, aliter se rem habere censuisset. Iam Prouincialis post assiduam contentionem, irrito semper successu, defatigatus, & nihil hactenus hoc in negotio perfectum esse, molesto animo ferens; decreuerat re infecta, cum suis retrò, vnde venerat, reuerti. Teresæ hoc visum est peracerbum, quia enim antè apparens Dominus fuerat exhortatus, suo vt rem nomine auspicaretur; hinc ope cœlica affulgente, negotium hoc conficiendum planè sibi persuadebat. Vnde nihil ipsam affligebat magis, quàm quòd afflictum Gratianum, mœstumque cerneret. Hanc itaque ob animi anxietudinem prostratæ rursus apparens Dominus ait, *Sume animos Teresa, & confortare*. Quo illa animata monito, maiori quàm antè generositate, Prouincialem cohortatur, ipse vt abitum maturet, se verò cum suis Burgis relinqueret: quod iam Quadragesimales feriæ imminerent, quibus illum Vallisoleti ad populum habere conciones (vti etiam pòst habuit) oportebat. Dedit igitur & ipse, & Magister Mansus operam

Collegiales sunt, quos nonnulla alunt Collegia ad studia Theologica & Iurisprudentiæ; & tales sæpe ad publicas vel in Ecclesia, vel in tribunalibus dignitates assumuntur.

Teresam consolatur Dominus.

ram, vt aliquot in nosocomio à Conceptione denominato, in quo & Venerabilis asseruabatur Eucharistia, & quotidie res diuina peragebatur, ipsarum in vsum cubicula conuerterentur. Verùm nec hoc ex animi successit sententia; nam & dilata res diutius est, & maleuolis aduersantium obtrectationibus patuit. Etenim vidua quędam, commodissimo ex illis conducto cubiculo (etsi nonnisi post semestre huc esset commigratura) non modò cedere ipsum noluit, quamuis assignatis monialibus cellis, quarum tectum rimosum erat, vicinum foret; verùm etiam, cùm satis non esset ipsum forinsecùs occludere, clauos trabales introrsum iussit infigi, vsui vt ineptum foret.

Adhæc Sodales illi, quorum id contubernium curæ concreditum erat, metuebant, ne tenui hoc se initio insinuantes monachæ paulatim hic stabilem sedem figerent. Ipsas igitur visum est tantisper excludere, quoad coram scriba publico tum Prouincialis, tum Teresa ipsa, factis tabulis, inde se egressuros, quandocunque id Sodalium Præfectis videretur, sponderent. Attributa igitur ipsis pars hospitij suprema, vnde in inferiorem ædem per fenestram cancellatam patebat ad sacra audienda dispectus. Erat hæc ab habitatore vacua, quòd nemo eam, quia semiruta, vellet incolere: cumque tenue esset tectum, à quo non procul illarum erat mansio, & locus eminentior, hibernis erat infestus frigoribus & ventis. Frigus autem valetudini beatæ Matris apprimè noxium erat. Dicebatur adhæc nocturnis spectris & lemuribus locus infestus esse. fidem fecere nonnulla, quæ ibidem monialibus terricula oblata sunt. Ceterùm non deerant Burgis, qui egregiè in ipsas animati, liberaliter necessaria submittebant, atque inter reliquorum subsidia maximè enituit Catharinæ de Tholosa, à qua quotidie, etsi domus eius distaret remotiùs, identidem interuisebantur, & necessaria omnia accipiebant, in pio hoc opere numquam deficientis tempestiua benignitas. Pridie natalis sancti Matthiæ valetudinarium hoc subiere. Inter hæc tamen diligentissimè tota ciuitate ædes conquirebantur pretio venales, vt his demum comparatis, non ita se in facultate concedenda difficilem Archiepiscopus præberet. Iam ad vsque sancti Iosephi peruigilium nulla commoda se obtulerat domus, quòd in oblatis hactenus semper quæ deesset oportunitas desideraretur. Interim angebatur vehementer beata Mater; quòd nonnisi ad vsque Paschales, quæ instabant, ferias, illius nosocomij vsum Sodales concedere se dixissent. Vnde necesse erat eas, si interea se nullæ offerrent ædes, Burgis re infecta discedere. Iam demum exposita à diebus aliquot viri cuiusdam patritij erat domus, &, quamuis plurimi tunc temporis Religiosi Sodales domiciliũ, vti iam antè diximus, quęritarent; Deo tamen prouidente factũ, vt nullis horũ penitus hæc arrideret. quod illi deinde non parũ sunt mirati, quin imò eorum nonnullos eam non coemisse valdè pœnituit. Iam de hac

Efficit Dominus, vt domus, quæ Teresæ quadraret, omnibus displiceret.

ad Matrem relatum erat; sed tot illius auribus acceperat vitia & incommoda, omnem vt erga ipsam affectum iam dudum, imò etiam memoriam eiusdem excussisset. Verùm, quòd alia in ciuitate non occurreret, quin alterius habendæ spes nulla affulgeret, animum denuo ad eamdem adiungens, eam coemi hoc in statu iussit: si enim dein displiceret, alteri facilè reuendi posse. Hanc ipsa cùm spectatura adisset, ita sibi placentem reperit, vt, si duplum eius, quo venalem fore audierat, pretium emptor postulasset, ipsum non illibenter persoluisset, atque etiam tum vili eam sibi cessisse pretio credidisset; nam idem iam ante biennium domino eius oblatum pretium erat, & tamen eo vendere noluerat. Visa nihilominus nonnullis plus æquo carior; hinc, etsi Teresæ infra condignum pretium id videretur, religioni tamen ipsa ducebat, quidquid emptor exigeret, offerre; quòd non de ære proprio, sed communi Ordinis totius id emptori esset pretiũ persoluendum. quare à sacro rursus vt partes conuenirẽt, edixit. Re itaque inter hæc Domino per preces iteratas commendata, Teresam acri hac percontatione ipse perursit dicens, *De pecuniáne sollicita es?* Tum demum, stipulatione inita, eodem sancti Iosephi peruigilio conuentum est: omnes enim Diuum hunc erant precatæ, vt in die eius natali habere domum possent. Et vt conceptum, sic factum; etsi multis antè diebus nulla prorsus occurrisset, imò ne eius quidem diei manè spes vlla eius inueniendæ fuisset vel vmbra. Vt primùm id in vulgus innotuit, permulti accessere emptores: nemo quippe sibi persuaserat, tam paruo eam ære venalem futuram fuisse, venditoremque aiebant eius domum vltrò & gratis quodammodo suam ipsis elargiri voluisse, cumque adeò manifestus esset error, contractum rescindendum videri. Ipse tamen venditor eiusque vxor, domini ædium, cognitis ijs, quæ in vrbe transacta erant (aberant enim tum fortè foris) auditoque illas in monasterium esse conuersas; magno perfusi sunt gaudio pactaque conuenta rata firmaque esse voluere. Venditionis igitur confectis tabulis, tertiam pretij partem ilicò Catharina de Tholosa insigni munificentia persoluit; reliquam verò summam non minori pòst eadem liberalitate contribuit. Omnibus prodigio persimile videbatur, tam luculentam munitamque domum ita vili pretio comparari, & aliorum institutorum Religiosos, à quibus & domicilium quærebatur, & hoc inspectum erat, adeò in huius inspectione cæcutijsse, vt ipsum quasi sibi minimè expediens neglexerint. quam illis imprudentiam nemo non probro vertebat. Ac præter Religiosos illos, quos domum Burgis quæsisse dicebamus, Minimos nimirum, Carmelitas Calceatos, & sancti Basilij sectatores; duobus etiam alijs Monialium cœnobijs domus idonea iam dudum, nec non alij, de quo iam instituendo frequens erat sermo, conquirebatur. Omnes illi hanc

Permittente Domino decepti plures in domus cuiusdam coemptione, Teresiæ eam seruãs.

hanc inspexerant, omnes item neglexerunt, suisinet ipsi in rebus caligantes, etsi postmodum vna singulos caperet pœnitentia. Insignem huc operam contulit Licentiatus Aguiar, magna quadam caritate huic se negotio impendens, Teresamque vrgens, vt confestim illarum possessioné iniret. qui ni institisset identidem ardentiùs, nihil dum peractum esset: hinc ipse mensem & ampliùs sedulus & nauus huc adiuuando incubuit, & quomodo ipsa instrueretur designando, in quo nec temporis multum, nec argenti opus fuit. Vt primùm eam Teresa ita instauratam & munitam vidit, vt suos in vsus iam inde à principio condita solùm videretur, & quidem tantillo temporis interuallo, incredibili cumulata fuit lætitia, imo somnium illi merum videbatur, omnia adeò celeriter confecta cernere. Ipsis etiam monialibus mira inde secuta est consolatio: nam prærerquam, quòd commodæ essent idoneæq; ædes, horto insuper erant, & aqua, amœnisque & latè patentibus aspectibus instructæ.

Nec minor Archiepiscopi fuit lætitia, vt primùm cognouit de tecti illis esse oportunitate prospectum. hinc secundò Teresam de domo congratulaturus adijt, eamque coràm inspexit: facultatem tamen sedis locandæ, etiam rei diuinæ in eadem peragendæ (quam enixè monachæ ab eo insistendo contendebant, ne foras illius audiendæ ergô concedere eas oporteret) negabat. Hinc, postquam ad has commigrassent ædes, (quæ triduo ad summum à coemptione facta commigratio est) mése toto, ad sacrum Missæ audiendum, proximum eas adire templum oportuit. Has tergiuersationum moras Teresa pertæsa, ad Palentinum Præsulem Mendosium scripsit, vt sua ille hanc ab Archiepiscopo auctoritate potestatem obtineret: quam cùm in Paschales ferias exspectarent, tribus primis diebus frustra fuere, adeò vt ipsas, non sine magna molestia, quò sacris adessent, foras egredi fuerit necesse. Die verò quarto Fernandus de Matança, qui nullo eis loco deerat, facultatem optatam, quam intercedente Episcopo Palentino, deprecante etiam Doctore Manso, Burgensis concesserat, attulit. Ipsa verò Teresa, cui nulla vmquam in re defuerat fiducia, superiore nocte aliquo cœperat modo diffidere, atque adeò omnes mœrore constratas, imprimis autem Catharinam de Tholosa longioris tædebat moræ. Fernandus porrò de Matança, facultatis litteras afferens, nullo prolato verbo, campanam pulsare aggressus est; qui pulsus læti fuit eis nuntij significatio. Hinc die sequenti, qui fuit XIII. Kalēdas Maij, anni octogesimi & secundi, Augustisimum Christi corpus hic ritè collocatum est, inita loci possessio, & à S. Iosepho S. Annæ monasterio cognomentum inditum. Primam Deo hic obtulit hostiam Doctor Mansus: summum verò Sacrum Prior Paulinus, de Dominicanis sodalibus, magno apparatu, festo symphoniacorum & citharædorum sua sponte venientium, & gratis vltroq; operam addicētium concentu, magno omniũ ordinum ętatumq; consensu & congratulatione

tione celebrauit. Catharina porrò de Tholosa satis non habuit domus pretium venditori persoluere, & necessaria subsidia suppeditare; nisi ét instrumentum domesticum, lectulos, aliasq; oportunitates conferret. Promiserat insuper annuum vectigal, cuius sponsionis tabulæ iam confectæ erant; at ipsum nec Prouincialis, nec Teresa pòst admittendum ob incommoda, & litium Catharinæ hinc imminentium, turbarumq; forensium strepitum censebant: adeò, vt non multò pòst, clanculò admodum, præsente Tabellione, illud à se abdicātes, suas Catharinę tabulas reddiderint. Quamquam, vbi duas illius filias, quas Teresa Palentiæ in familiam cooptarat, emittere vota contigit monastica, etsi suam antè legitimam portionem matri addixissent; tamen pòst mutata sententia in Burgensis huius monasterij hanc iura ab ipsis voluit transscribi. Egregiè verò hanc illi liberalitatem Deus Opt. Max. rependit. nam Teresa etiamnum Burgis agens filiarum illius vnam sacra veste donauit; quam etiam Archiepiscopus solēnitatem concione ad populum habita cohonestauit, qua & suam erga hunc Ordinem voluntatem, & quod ex illius huc inuectione ipse perceperit gaudium testatus, dolere se exinde ait, quòd tamdiu illius fuerit hactenus delata fundatio. Quin etiam eodem inspirante Deo hunc ipsamet pòst Palentiæ est Ordinem ingressa, Catharina de S Spiritu cognominata; & hoc ipso, quo hæc litteris mandantur tempore, ipsam Deo vota nuncupasse crediderim. Pòst etiam duo eiusdem filij in Excalceatorum fratrum cœtum transiere: itaque in ipsa re adimpletum, quod Regius cecinit vates, *Generatio rectorum benedicetur*. *Psalm. 111.*

*Aquarū Burgis inundatio.*

Cùm iam Teresa cum suis lętè propria in domo & claustro monastico ageret, ipso Ascensionis Dominicæ die ita Burgēse flumen aquis ingruentibus intumuit, vt per omnia vrbis loca latè stagnans magnam ediderit stragem, ipsósque Religiosos, suis exire compulsos domibus, aliò migrare coegerit, ne in ijsdem diutiùs commorantes, subita aquarum vi opprimerentur. Is enim vndarum erat impetus, vt domorum fundamenta subruerentur, conditaq; terra cadauera enatarent. In summo inprimis discrimine noua hæc domus versabatur, cùm quòd plano esset loco, tum quòd haud procul à flumine sita. Suadebant Teresæ amici, vt, aliorum Religiosorum exemplo, fuga sibi consuleret: sed cùm nullis ad hoc faciendum adduci aut verbis posset, aut rationibus, Sacrosanctum Christi corpus in supremam ædium partem deferri imperans, eòdem suas extemplò voluit succedere, atque ibidem tantisper Diuorum Litanijs lectitandis opem implorare, quoad aqua detumesceret. Archiepiscopus autem plurimique ciues, idcircò Deum ab vrbe eluuionis periculum aiebant auertisse, quòd in eadem tum dilecta sibi commoraretur Teresa. Suis autē ipsa illic præesse voluit Thomasinam de S. Baptista, quæ Albano antè domicilio fuerat præposita; illi verò vicariam adiunxit, quam Vallisoletana domo acciuerat, Catharinam de IESV.

C A-

Digitized by Google

# CAPVT XV.

## *TERESA BVRGIS DIGREDIENS Albam venit : atque ibidem sanctè in Domino demoritur.*

HIs compositis rebus, Teresa continenti à Domino supplicatione cõtendebat, vt, cùm nutu eius ac directione felicia monasterij huius fuissent initia, efficeret etiam, vt non modò nihil ad victum, sed ne ad cæteras quidem vitæ commoditates illi deesset; hinc votorum eius illa erat summa, vt, priusquam inde excederet, videret diem illum, quo aliquæ huic domui nomina darent virgines, quarum hæreditate ac dote monasterij res firmarentur. Hæc agitanti ait illi Dominus: *Quid dubitas? ea enim iam constituta res est, vt tutò hinc ipsa digredi possis.* Hinc Teresa, coniectura haud ambigua, augurabatur fore, vt illius Domino sedis curam suscipiente, necessaria illi ciborum subsidia nullo vmquam tempore deessent: Itaque hæc illam sponsio confirmauit, & securam reddidit, perinde ac si amplum illi vectigal annuum relictum esset. Quare interpositis diebus non multis, de suo agere reditu cœpit. videbatur quippe illi sua Burgis opera minimè posthac necessaria futura. Omnibus itaque ad reditum comparatis, Burgis Palentiam, atque inde Metinam tetendit, cùm in animo haberet inde rectà Abulam, vbi Præpositam agebat, petere, atque eodem loco Teresæ de IESV sacrum conferre velamen. Sed aliter rem Altissimus constituerat. Metinæ siquidem P. Antonium de Iesu, Prouinciæ vniuersæ tunc Præpositum, reperit. Hoc ipse loco Beatæ Matris reditum præstolabatur, secum eam vt Albam, Mariæ Henriciæ Ducis flagitatu & inuitatu conduceret. Vt primùm hæc ex Antonio didicit, magnam vehementemque in se experta repugnantiam est: quòd suam Abulæ præsentiam pernecessariam esse crederet, & hoc iter suum Ducis causa impediri iniquissimo ferret animo. Credi itaque non potest, quantam in animo sit passa hic difficultatem. Verùm, quòd promptissimè semper, quoad eius hactenus fieri potuerat, Superiorum iussis paruerat, etiam hic quàm poterat maxima obtemperare perfectione, morti adeò vicina, graue non duxit; hunc imitatura nimirum, qui factus est obediens vsq; ad mortem, mortem autem crucis. Lectica igitur Albam vecta est, non sine ingenti labore, & affecta pessimè valetudine. Vnde cùm in proximum Peynarandæ pagum appulisset, tam ingentes passa dolores est, viriumq; languorem tam incredibilem, corpore exhausto, vt in deliquium animi inciderit.

*Albam Teresa inuita abit.*

*Philip. 2.*

quo

quo tristi spectaculo nemini non adstantium sui miserationem mouit. Nihil quod elanguidæ imbecilliq́ue Matri ad virium restaurationem daretur, ad manum erat, præter ficos, & vnicum dumtaxat ouum toto reperiri potuit pago. Annam de S. Bartholomæo imprimis vexabat, quòd tantis in necessitatibus constitutæ piæ Matri opem ac lenimentum aliquòd ferre non posset. Sed hanc ipsa consolata, *Noli*, inquit, *ang., carissima: hi namque fici optimi sunt, multis namque pauperibus ne huiusmodi quidem suppetũt.* Postera die alium adeuntibus pagum, pridiani prandij angustias & inediã nonnisi coctis oleribus cepa permixtis resarcire licuit: his illa tamen esurienti stomacho, vt potuit, fecit satis, etsi valetudini hæc esca aduersaretur. Eadem ipsa nocte Albam defertur, ipsa inquam Matthæi Apostoli & Euangelistæ vigilia. Exhausto affectoque corpore huc cùm peruenisset, Ioanna de S. Spiritu Præfecta, & sociæ summis ab ea precibus postularunt, ad quietem vt se paulisper componeret, quarum illa consilijs ac precibus paruit, dicens: *Quàm, Deus bone, me defatigatam sentio! iam abhinc annis viginti tam tempestiuè cubitum me concessisse non memini, atque hodie.* Manè tamen strato se corripiens, & domum sursum ac deorsum vniuersam accuratè lustrauit, & templum petijt rei diuinæ adfutura: vbi etiam insigni animi feruore, & pietatis sensu sacras Eucharistiæ epulas inijt: atque ita ex interuallo alternatim in morbum incidens, alternatim etiam lectulo surgens, dies aliquot trahebat. Donec, ipso Archangeli Michaelis die, cùm sacro audito, & Eucharistiæ Sacramento (vti iam quotidie eadem ardoris significatione sacra Altaris mysteria frequentabat) percepto, lectum petijsset, inde non ampliùs surrexit: sanguinis namque fluxu laborare cœpit, vnde etiam intermortua creditur. Tribus antè quàm spiritum redderet diebus, attenta integram propè noctem in oratione, & pia ad Deum deprecatione traduxit: vt verò illuxit, Antonium de Iesu ad se euocauit, qui sibi culpas confitenti operam daret. Fama est tum illi diem obitus à Domino reuelatum fuisse. Moniales enim quædam hunc ipsum Antonium, postquam delicta eius excepisset, dicentem illi audiere, Dominum vt precaretur, ne se hac è vita tam maturè educeret, neue suas adeò ipsa citò desereret: Cui tum Mater, ampliùs se hoc in mundo necessariam non videri respondit: simul etiam plurima filiabus salutaria depromere monita & consilia exorsa est: & licèt hactenus numquam ea intermisisset; iam tamen, vtpote morti & termino proxima, maiori hæc ardore, & efficacia, euidentiorique amoris significatione, quàm consueuerat, deprompsit. Pridie eius diei, qua gloriosi Minorum auctoris Francisci natalis celebratur, hora quinta vespertina, augustissimum Dominici Corporis viaticum poposcit: ita enim imbecilli iam erat corpore & attrito, vt se in strato mouere non posset, nec, nisi alienis manibus, in aliud atque aliud latus conuertere. Interim dum sacrum morientium affertur pignus, iunctis in hæc verba manibus suas alloqui

Teresæ patientia in morbo.

Teresa sanguinis passa fluxum.

Teresa priusquã moreretur, salutaria suis dat monita.

Quid suis Teresa moriens commendarit.

loqui cœpit, *Obsecro vos in Domino, filiæ meæ carissimæ ac dominæ, vt primæuas instituti leges simul & constitutiones quàm accuratissimè integerrimeque obseruetis: simul etiam prauum, quod hæc parum diligens vobis Religiosa exemplum dedit, nolite, quæso, respicere; sed quidquid hoc ipso deliqui, eius à vobis mihi velim veniam dari.* Vt primùm in conspectum prodijt, & cubiculi sui ianuam subire eum vidit Dominum, quem tam ardenter ipsa diligebat; etsi antè adeò infirma & prostrata esset valetudine, & ita morbi obsessa angustijs, vt loco se mouere non posset; animosa lecto, nemine auxiliante, sese violenter extulit, perinde ac si eodem exilire vellet, & ipsam contineri oportuerit: facies autem eius insolitam induere pulchritudinem, ac velut radios flammantes eiaculari, & alia longè quàm antè apparere cœpit, simul etiam maiestatem quamdam verendam, & non eam vitæ ætatem, qua erat, sed longè minorem præferre. Tum illa ceu candidissimus quidam olor, manibus iunctis, maximo cum spiritu, & gaudio interiori repleta, vitæ instante termino, maiori quàm vmquam hactenus vocis suauitate canere orsa est, & cum summo suo bono, dilectissimoque, quem suos iam ante oculos habebat, colloquens, sublimia quædam, suauia, & amica verba ex mentis abundantia eructauit. Atque hæc inter cætera: *Venit iam, Domine mi, & sponse, optata illa, quam toties expetiui, hora. Iam tempus est, vt inuicem conspiciamus. Iam eundi tempus est, Domine, quod felix faustumque sit: fiat voluntas tua. Venit iam tandem hora, qua hoc egrediar exilio, & anima mea simul tecum fruatur eo, quod tantopere concupiuit.* Tum immensas illi gratias agebat, quòd in Ecclesia sese genuisset, & in eadem emori concessisset, atque illud identidem repetebat, *Tandem, Domine, Ecclesiæ sum filia.* Simul etiam magna animi demissione, ac pietatis sensu commissorum à Domino veniam poscebat, ac per IESV CHRISTI se dicebat merita sperare, æterna vt salute donaretur: filiabus quoque suis supplicabat, sibi vt hoc à Domino precarentur, tum eorum, quæ vmquam admiserat, supplex eas veniam rogabat. Orantibus his vicissim Matrem, supremùm se vt compellaret, aliud dicere noluit, quàm vt regularum statuta, & constitutionum decreta ad vnguem seruarent, superioribusque suis numquam non obedientiam sinceram præstarent. quod ipsa monitum aliquoties inculcando repetebat. Inter hæc sæpiùs hæc Psalmi quinquagesimi verba pronunciabat, *Sacrificium Deo spiritus contribulatus. Cor contritum & humiliatum non despicies. Ne proijcias me à facie tua, & Spiritum sanctum tuum ne auferas à me. Cor mundum crea in me, Deus.* atque inprimis medius ille versiculus, *Cor contritum & humiliatum, Deus, non despicies*, identidem in os recurrebat, donec illam loquelæ potestas deficeret. Extremæ inunctionis Sacramentum cùm poposcisset, nona id noctis hora eodem in peruigilio Sancti Francisci, magna etiam reuerentia accepit, exinde monialibus Psalmos de more recitantibus simul ipsa recitabat, & ad orationes ritè singulas

Eius ad Ven. Sacramenti conspectum motus.

Verba Teresæ ad Dominum in vltima hora.

Quæ Teresa verba in suprema hora sæpè repeteret.

respondebat. Hoc ergo suscepto, supremo denuo Numini gratias ex corde egit, quòd Ecclesiæ se filiam fe isse. Sciscitabatur dein ex ipsa Antonius de IESV, suumne à morte corpus Abulam transferri, an Albæ id manere vellet. Quantum è vultu colligi potuit, hæc illi displicuit petitio, & ait, *Aliquidne habere proprium me par est? hiccine terræ pauxillum corpori meo negabitur?* Integram illam noctem intensissimos passa dolores est, etsi superiores illos Psalmi versus sæpiùs iterare non intermitteret. Postridie verò, horâ septima matutina in latus recubuit, eo prorsus situ ac ritu, quo D. Magdalena pœnitens exprimi vulgò à pictoribus solet, CHRISTI cruci confixi effigiem arctè manu stringens, quam antè non deseruit, quàm eius iamiam tumulo inferendæ manibus eam moniales tollerent. Vultum interim præferebat inflammatum, vtpote quæ, magna corporis quiete ac compositione, exinde se neutiquam mouens, in contemplatione interna continenter versaretur. Postquam verò iam ad extremum vitæ spatium venisset, attentiùs eam quædam de monialibus contemplata, certa in ea sibi visa est CHRISTI loquentis illi, & magnalia mira ostendentis notare indicia: Teresa namque euidentes cuiusdam ob ea quæ videret admirantis gestus præferebat. Hoc illa pacto ad vsque nonam vespertinam mansit, & ea ipsa die Iouis, Sancto Francisco sacra, IV. Nonas Octobres, anno M. D. LXXXII. (fuit hic annus, quo facta temporum est & Kalendarij correctio, decem ex illo sublatis, qui excreuerant, diebus, atque idcircò primus post eius obitum dies fuit eiusdem mensis decimus quintus) suam Creatori DEO reddidit animam, Cathedram Petri Romæ occupante gloriosæ memoriæ Pontifice Gregorio XIII. & regnante in Hispanijs Catholico Rege Philippo illius nominis Secundo. Natalis eius, vti initio dixisse recordor, in quintum ante Kalendas Apriles diem incidit, anni eiusdem sæculi quinti decimi: vnde vniuersim vixisse eam efficimus annos sexaginta septem, menses sex, & dies septem. Quadraginta & septem ipsis in vita religiosa vixit annis: quorum viginti septem primos in Incarnationis cœnobio, posteriores verò viginti in originaria primigeniaque Carmelitanorum regula traduxit. Adeò quidem mors eius quieta & tranquilla fuit, vt quæ sæpiùs ipsam orantem viderant, etiam modò in oratione attentiori eam agere crederent.

Dies & hora mortis B. Teresæ.

CA-

Digitized by Google

# CAPVT XVI.

## QVO CORPVS EIVS A MORTE HABITVM modo; sepulturæ ritus describitur, quaque cùm ante mortem illius, tum post eam contigerunt.

CVm sancta hæc anima corpore excederet, facies illius exstitit formosissima, nullasque in rugas contracta, etsi, dum viueret, plurimæ senilem vultum ararent: vniuersum quoque corpus mirum prætulit candorem, nullibi rugosum, vt læuissimum id dixisses alabastrum. Caro adhæc non minùs tractabilis & glabra, quàm duorum triumve annorum pueri caro esse solet. In ipsa igitur videre licuit, quod de S. Francisco refert Bonauentura, carnem nimirum eius niuis instar candidam apparuisse, hanc iam tum in terra præsignando gloriam, qua pòst donanda erat in cœlo. Mẽbra item eius tangentibus tam blanda & flexibilia cedebãt, vt puerilem læuorem teneritudinemque exhibere viderentur; imò nescio quam pulchritudinem præferebant, quæ innocentiæ simul & sanctitatis foret argumentum. Totum quoque corpus, quantum quantum erat, suauissimum exhalabat odorem, qui qualem aromatum nidorem referret, dicere nemo poterat: cuius deinde etiam ex interuallo suauitas crescebat, & tanta tandem existebat vehementia, vt, quia caput præsentium feriebat, forinsecus aperta fenestra admisso fuerit aere temperandus. Hoc in aliquo inferiori monasterij cubiculo fiebat (in quo modò conuenire quothebdomadis monachæ capituli celebrandi ergò solent) multa tamen ad vsque superius cubiculum etiam fragrãtia dimanabat; imò verò per vniuersam domum nocte illa ac sequenti die diffusa est: nec non ad vestes B. Matris, & stragula, & omnia, quæ illi ægrienti vsui fuerant. Et ita quidem odoratè, vt etiã multis inde diebus soror quędam, hanc in culina olfaciens fragrantiam, & vndenã ea dimanaret, curiosiùs inquirens, tandem sub arca paruum quoddam repererit salinum, salem ẽt tum continens, in quo digitorum B. Matris, dum ad ipsam ægrotantem is delatus est, reliqua exstabant vestigia, atq; ab eodẽ illa proficisci comperta sit. Adhæsit hic etiam odor ijs, quib. vsa fuerat lancibus, & aquæ qua demortuę corpus ablutum est: & si quo in angulo, aut inter exutas vestes aliquid lateret, quod ipsam tetigisset, eumdem id exhalabat odorem, atque inde conijcere odorantes poterant, latere hic quippiam, quod eius aliquando cessisset vsui. Illa ipsa, quæ sacrum illius corpus terræ mandauit, cùm mox à pio illo officio persoluto manus nihil minùs cogitans abluisset; tanta ab ijsdem erumpere cœpit suaueolentia, vt nonnisi cœlestis ea esse videretur, quòd similem hactenus in terra non percepisset.

*Quomodo post mortẽ Teresa manserit.*

*Vita c. 15.*

*Suauis odor è corpore Teresæ exhalat.*

*Odor suauissimus Teresæ in vestib. manet.*

*Manus eius, quæ ipsam terræ mandauit, odorẽ spirant.*

Neque verò tam obſtupeſco, quòd tum ſpirare ſuauiſsimos cœperit odores, cùm apertiſſima iam illius ſanctitatis dare Deus documéta volebat, quã dum conſiderare incipio, talem etiam, dum ægra lecto decumberet, ex interuallo ſuas naribus odorem percepiſſe. Conſtat namque, & indubitatum eſt, mirabilem ſæpè ab ea fragrantiam, interdum quidem dum mentis alienationem patiebatur, nonnumquam etiam dum nihil tale ſuberat; idque tam ad externos, quàm ad domeſticas promanaſſe. Teſtatur hoc matrona quædam Palentina, apud quam Tereſa ſemel eſt diuerſata: id genus enim illa odorem ſentiebat, quoties ad ipſam accederet. filiolus item eiuſdem illi factus benedictionis recipiendæ gratia vicinior cùm hanc fragrantiam percepiſſet, poſtea hoc de illa dedit teſtimonium: Quàm, matercula, ſanctæ illius manus redolent! Ipſa etiam Anna de S. Bartholomæo, quoties in ſupremo illam morbo aut loco moueret, aut veſtiret, hanc ipſam, de qua loquimur, ſentiebat fragrantiam. Tota illa nocte, & ad vſq; decimam antemeridianam ſequentis diei, apud ſanctum hoc monachæ commoratæ ſunt corpus, quod à tot iam annis Diuum Spiritus diuini fuerat téplum, & ſanctæ illius animæ compar & ſocium, illius identidem pedibus & manib. pia figétes oſcula. Agebat tum eo in cœnobio monialis, quæ quia omnem odoratum amiſerat, mœrore conſiciebatur, quòd illam percipere non poſſet fragrantiam, quam reliquæ ſe ſodales dicebant ſentire. hinc cùm pedibus illius piè reuerenterq; oſculum dediſſet, extemplò ſenſu hoc recuperato, id olfecit quod cæteræ. qui etiam odor multorum interuallo dierum naribus illius inhæſit; nec non manibus adeò pertinaciter, vt etiam ſæpiùs illæ ablutæ redolere non ceſſarent.

*Odor, qui è Tereſiæ ex o-tātis corpore manabat.*

*Monialis odoratum recepit tactu Tereſæ corporis.*

Alia ſoror, quæ intolerabili capitis, nec non alterius oculorum dolore conflictabatur, ilicò vt B. Matris exoſculata eſt pedes, ſanitaté recuperauit.

*Alia à capitis dolore liberatur.*

Alia graui oculorum dolore laborabat; hinc, cùm incederet, manum ijs applicabat: ea namque mali erat vehementia, vt, niſi manu eos premeret, ingredi nequiret. Continens quoq; ipſam iam abhinc quadriennio cephalalgia cruciabat. Verùm cùm Tereſæ demortuæ iam recenter arreptos digitos oculis applicuiſſet ſuis, & manus capiti admouiſſet, nullo alio adhibito remedio, vtriuſque mali leuamen ſenſit.

*Alia à dolore oculorũ.*

Poſtera luce, in feretro, quod aureo erat panno conſtratum (vti multis id ipſa antè annis præuiderat futurum, dum ad dies aliquot ſemianimis, & ſenſuum motuſq; expers iaceret) corpus impoſitum, apparatu, quàm fieri poterat illo in municipio, maximo & pompa honeſtiſsima cõditũ eſt in parietis fornicis cuiuſdam concauitate, quæ in choro inferiori ferreis obducta erat cancellis, & in templo etiam videtur, vt tam qui extra, quàm intra agunt, eiuſdem conſpectu potiantur. Sua corpus veſte tectum loculo inditum eſt, qui tot iniectis lapidibus foris, calce ac lateribus eſt adobrutus, vt non modicum ſimul in eum confractũ terræ penetrarit. Hoc Tereſæ Laiziæ domi-

*Quo Tereſa ſit loco ſepulta.*

Digitized by Google

domicilij huius fundatricis consilio nutuq; factum, cùm hoc se pacto sacri huius pignoris huic loco possessionem tutiorem reddere ac stabiliorem crederet, nullius vt suasu hanc ipsa mutare sententiam voluerit.

Suo in sepulchro Teresam nostram iam requiescere sinamus, donec eam inde producamus, (quod libri quinti principio facturi sumus, cùm scilicet prodigiorum, quæ post mortem eius contigerunt, erit narrandi locus) & quæ, antequam exspiraret, mirabilia, & quæ item ipsa exspirante facta sint, disquiramus. Interdum namque quædam Dominus, aliquo primariorum seruorum suorum ex hac vita decedente, præmittere signa consueuit, è quibus tum illius sanctitas, tum gloria instans cognoscantur. Moniales siquidem aliquot, priusquam beata hæc Dei ancilla defungeretur, ingentem aliquoties & oppidò rutilantem sacrario imminentem conspexere stellam. Alia, inter octauam & nonam horam matutinam, haud procul à fenestra loci, in quo deinde beata mater demortua est, radium quemdam coloris crystallini subitò transparentem conspexit. Fuit, quæ & duos alios fulgores, ad eamdem cellæ fenestram, eodem etiam tempore est conspicata. Eodem quoque nonnumquam anno, cùm vel matutinas horas canerent, vel simul in oratione versarentur, splendores quidam insoliti monialibus in choro visi sunt. Ceterùm tam frequentia & passim obuia hæc erãt omnibus spectacula, vt inuicem singulare ipsæ Ordini aut incrementum aut decrementum dicerent accessurum. Hac ipsa etiam æstate, antequam Albam Teresa veniret, cùm in oratione moniales iunctim agerent, placidum quoddam & amicum, haud procul à se quæque inaudiere suspirium; quo autem die ex hoc mundo beata Mater migrauit, idem etiam gemitus est exauditus, ac tum in mentem singulis eius venit gemitus, quem in oratione olim agentes perceperant. Plurimis verò eiusdem generis omissis, alia illustriora addam: Quædam cognitæ sanctitatis monacha, quæ modò cum Deo agit in gloria, tum verò valetudinario domestico præerat, cùm in eiusdem cubiculi, in quo Teresa iacebat, fenestra quadam inferiori, quæ in monasterium prospicit, sederet; confusum quemdam, velut exultantis plaudentisque cuiusdam multitudinis strepitum audijt. inde mox illi apparent per cœnobium transeuntes plurimi, miro fulgore coruscantes, & amicti stolis albis: qui idem ingressi cubiculum cum plausu ita sua ipsum multitudine complebant, vt licèt vniuersæ in eodem præsentes adessent monachæ, non apparerent. his dein ad lectulum, in quo Teresa decumbebat, accedẽtibus, extemplò ea ipsa animã pio creatori Deo reddidit. Vnde haud obscurè animaduertere licet, hos, vt animæ emigranti comitatum præstarent, vltimo eo momento ingressos esse. Quo autem tempore exspirauit, vidit de adstantibus sororibus columbulam candidam ore iacentis euolantem. vnde verisimile fit, adstitisse tum illi sponsum, ac dixisse: *Surge, propera amica*

Visiones, quæ Teresæ obitum antecessere.

Cant. 2.

 *mea,*

Digitized by Google

*mea, columba mea, formosa mea, & veni.* Eodem etiam alia soror mortis momento ingentem quamdam & crystallinam haud procul à cubiculi eiusdem fenestra lucem conspexit. Ad eumdem porrò modum sanctæ Gertrudi morienti adfuisse legimus Redemptorem Iesum Christum, à dextris dilectissima genitrice sua MARIA, à sinistris verò Ioanne Apostolo & Euangelista stipatum; hos secutos dein esse innumeros alios vtriusque sexus Diuos, ac nominatim ingentem virginum exercitum, quæ toto eo die albis vestitæ inter monachas in monasterio comparuere. Vnde & mihi facilè ipse persuaderem, multitudinem illam albatam, copiosum quoddam fortè fuisse virginum agmen, quæ virginem hanc adeò puram, ac tot virginum parentem, ad cœlestem deductura gloriam descenderint; nisi aliud longè exploratius mihi constaret. Ita porrò se res habet. Cùm quodam anno natalem decem millium Martyrum diem magno pietatis sensu & apparatu solenni Teresa pro eo quo erga eosdem animata erat affectu, celebraret; ingens illa athletarum Christi multitudo illi se in gratiarum signum spectandam dedit, & in mortis à se hora ad cœlestia ipsam gaudia stipandam, & ad eumdem secum gloriæ gradum euehendam promisit. Sicut etiam Gertrudi eidem reuelatum fuit; eam sibi in cœlo paratam esse gloriam, qua ibidem perfruuntur, quæ ab Ecclesia Dei in sanctarum virginum relatæ sunt catalogum, & suum pro CHRISTO IESV sponso sanguinem intrepidè fuderunt. Et sanè vero mihi fit simile, hos ipsos Martyres illi præsentes fuisse: est namque certissimum, hanc beatæ Matri visionem obtigisse, vti sequenti sum libro pluribus declaraturus. Quod autem hocce capite de mira corporis fragrantia, alijsque prodigijs commemoraui, indubitata res est, atque vt talem eam ipse litteris mando, quod id & oculis perspici, & tangi etiam manibus licuit. Quæ verò ante obitum eius contigisse prodigia narraui, ea ipse ex ijs accepi, quibus ea in viso oblata sunt, quarum magna est auctoritas & religio, & quæ nihil, nisi cum veritate coincidens, testarentur aut dicerent. Cùm verò reuelationes quædam veræ sint, sanè, si quibus est adiungenda fides, quibus ea meliùs poterit adiungi, quàm quæ tali in tempore contingunt, quo nimirum illustris aliquis sanctitate vir ex hac vita est discessurus, cùm & ad sanctitatem illius declarandam hæ rectà dirigantur, nec Dei seruis dæmon fauere, nec aliquo illorum, dum hoc è mundo transeunt, aut vnquam transiere, approbare sanctitatem soleat signo.

*Lib 5. c. 2.* Adest Redēptor S. Gertrudi morienti.

Decem mille martyres Teresæ promisere illi se morienti ad futuros.

*Lib 5. c. 2.*

Si quibus reuelationibus credendum, ijs sanè credēdum, quæ in illustrium Sanctorum morte accidunt, ad sanctitatem illorum declarandam.

Plenæ sunt huiusmodi visionibus historiæ omnes Sanctorum. Refert quippe sanctus Pontifex Gregorius, iuxta martyris nostri Hermenigildi corpus suauissimos de nocte auditos Angelorum choros; quin etiam testatos nonnullos, ibidem se faces quasdam vidisse accensas. Morientis item ex ore Abbatis Spei nonneminem adstantium euo-

*Lib. 3 dial. c. 31.* S. Hermenigildus.

*Lib 4. c. 0.* S. Spes Abbas.

euolantem vidisse columbam, quæ per tectum sibi quæsito exitu, recto in cœlos volatu contenderit. In sequentibus verò capitibus ad Vrsinum presbyterum venisse scribit Apostolorum Principes Petrum & Paulum, animam illius in cœleste habitaculum deducturos: ad Probum autem Episcopum duos albis vestitos, & solis instar fulgidos eadem de causa descendisse Diuos, SS. nimirum Martyres, Eleutherium & Iuuenalem. Quando Seruulus mortali hoc è carcere exibat, auditum ab eo narrat in cœlo suauissimũ modulantium Angelorum concẽtum & in eius auditu animam illam creatori reddidisse, & fragrantissimum mox eodem in loco ab omnibus perceptum odorem esse. Exspirante Romula, visam eius in cubiculo mirificam quamdam ait lucem, & ingentem etiam exauditum, velut turbarum ingruentium strepitum. exinde è loco gratissimam quandam exhalasse suaueolentiam, quæ triduum omnium nares afflauit; ac quarta demum nocte, haud procul inde, cantantes auditos Angelos qui Romulæ excedentis celebrarent exequias, & tum demum sanctam illam animam euolasse. Excedenti verò amitæ suæ Tarsillæ adstitisse prodidit Christum Dominum, & odore iucundissimo locum vniuersum repletũ fuisse; Musæ verò puellæ Deiparam adfuisse Matrem cum lecta aliarum virginum manu. Alia his affinia idem Pontifex commemorat; quibus etiam omnibus ipse, tametsi iudicio iuxtà atq; eruditione summus, fidem adhibet: cùm enim pariter sanctitate excelleret, nouum illi aut peregrinum non videbatur hæc aliaq; cũ suis Deum ter maximum seruis mirabilia operari. Qui porrò attẽtiùs hæcce in Gregorio capita euoluerit, non plures ipsum ad his credendum, non certiores, non etiam fide digniores habuisse testes comperiet, quàm ipsi in præsens habemus ad credendum ijs, quæ hic scribo. Quod autem de vno dicimus Gregorio, idipsum de alijs dici queat Sanctis, qui similes de viris illustribus conscripsere historias. Bathilda instituti sancti Benedicti monacha decedente, omnes ad eam moniales descendentem conspexerunt sanctum Genesium Episcopum, nec non sanctos alios; quorum in comitatu sancta illa anima in cœlum modulantium Angelorum alis subuecta ducebatur. S. Elisabetha dum diem vitæ clauderet, in ipso Ecclesiæ tecto visæ aues hactenus omnibus inuisæ, quæ suauissimè pro se quæque modulabantur. Quoniam verò finem non reperiret oratio, si singula huc afferrem, vnum hoc nimirum addam, existimare me, quibus defæcatum modò & perspicax est iudicium, & verum esse norunt Aristotelicum illud dogma, Imperitorum & pauca scientium esse, eamdem omni in re certitudinem requirere; quæ à me dicta sunt, plusquam sufficere; quibus verò illud defuerit, nihil omnino sufficiens fore. Vt verò nouerimus, his nostris temporibus, moriẽtibus pijs aliquibus viris accidere posse, & etiã reipsa accidere affinia similiaq; illis, quæ antiquitùs & abolitanis tẽporibus facta audimus vel legimus; historias, quibus sanctorum FF. Petri Nico-

Vrsinus. Probus. Seruulus. Romula. Tarsilla. Musa. Reuelationibus credidit S. Gregorius. S. Bathilda. S. Elisabetha. 2. Mor. c. 3.

Nicolai, & Ludouici Bertrandi vitæ continentur, & aliorum, qui haud ita pridem ante illos exceſſere, percurramus; ac tum demum ea quæ ipſi hic diximus, admirari deſinemus; cùm nimirum tanta Tereſæ de Ieſu fuerit ſanctimonia, & gloriæ diuinæ ſemper promouendæ, & animarum ſaluti procurandæ tam nauiter impigreque, vti feciſſe eam legimus, incubuerit.

FINIS LIBRI TERTII.

# VITAE
# B. MATRIS TERESÆ
# DE IESV
# *LIBER QVARTVS.*

## PROLOGVS.

*EX ijs, quæ duobus ſuperioribus libris dicta ſunt, ex parte quis colligat, quàm meritò in ſecundi proœmio à me dictum ſit, parua eſſe ea, quæ tum mirabamur, ſi cùm ijs quæ poſt narranda occurrerent conferrentur; quamque verè Pſaltes dixe-*
Pſalm. 67. *rit*: Mirabilis Deus in ſanctis ſuis, Deus Iſrael ipſe dabit virtutem & fortitudinem plebi ſuæ: benedictus Deus. *Hinc noua illi &*
Iudith 13. *generoſiſſimæ Iudithæ, quæ tantum Aſſyriorum, id eſt, dæmonum, exercitui damnum intulit, non ſine ratione dicere poſſumus,* Benedicta tu à Deo tuo, in omni tabernaculo Iacob, quoniam in omni gente,
Quàm ſanctus aliquis mundo ſit vtilis. quæ audierit nomen tuum, magnificabitur ſuper te Deus Iſrael. *Hic videlicet ad oculum video, quod ſæpenumerò ſtuporem etiam mihi mouit, quantum ab homine verè pio mundo emolumentum accedat, & quomodo is numquam ſolus ingrediatur, ſed innumeros alios ad ſui ſe-*

*que-*

Digitized by Google

*quelam semper rapiat; ac meritò dicere Salomonem potuisse:* Multitudo sapientium sanitas est orbis terrarum. *Cùm euidentissimè pateat, quotnam mulier vna sapiens animas verbis simul & exemplo persanarit, quot etiam mulieres, quot viros sapientes post se reliquerit, qui sanitatem hanc quaquauersus diffundant & amplificent. Hoc sufficere nobis profectò deberet, vt alacriter & magno cum feruore in perfectionis semita progrederemur, quò nimirum sanitas Domini multis per nos animabus communicetur, & innumeri, quos passim omni in loco videmus, ægri, nostrâ operâ & adminiculo sanitati restituantur, ad potentis scilicet huius Domini honorem & gloriam, qui non nisi vitæ dispendio & iacturâ salutem nobis comparauit. Ex hac mihi cogitatione nata confestim alia: quantum videlicet, si Teresa olim in veste religiosa petenda repulsam fuisset passa, & alia eius in locum cooptata esset, inde tum noua hæc illius familia, tum Ecclesia vniuersa dispendium & iacturam fecisset: quantique etiam referat hanc vel illam in sacras familias adlegere, quanto denique in illarum sit admissione opus iudicio & examine. Ceterùm omnia Religiosa instituta sancta sunt, omnesque illorum leges & statuta nonnisi perfectionis Euangelicæ disciplinâ nituntur, neve vmquam ipsarum dissolutio & laxior disciplina monasteriorum ab ipsis oritur constitutionibus, sed quòd qui in ijsdem degunt, has, vt oportet, non seruant. Primaria autem, cur eæ non obseruentur, causa, & omnis disciplinæ dissolutioris principium est, cùm quòd in religiosas cooptētur familias ij, qui à Domino ad easdem non vocantur, tum quòd hi ipsi, ex quo admissi sunt, maturè tēpestiueque inde nō pellātur, quia nec ipsi hoc vitæ genus & disciplinam seruare queunt, nec alios quidem ipsam seruare, prout oportebit, sinūt. Hanc ob causam sæpenumerò in eam veni sententiam (& est ipsum etiam verissimum) vt omne religiosorum institutorum in eo bonum situm esse existimarem, si nulli in ipsa alij cooptentur, quàm quos certò à Deo constet ad hoc vitæ genus, quod inire cupiunt, vocari; ac deinde si, postquam iam adlecti sunt, sedulò, matureque, & per otium toto à superioribus probationis tempore aduertatur, num in ijs ipsi admittendis peccarint vel decepti sint; ac tum si deceptos se deprehenderint fuisse, inutiles hosce fucos foras expellant: non secùs ac sanus stomachus à se, etsi non sine molestia ac difficultate, nimium quem admisit cibum, quique corpori afferret detrimentum, eijcit. Non possum verò,*

Sap. 6.

Omnes religiones sanctæ sunt.

Primaria religiosorũ institutorũ intermorientiũ causa.

Quàm sit noxium in religionem admittere, qui ad hanc à Deo non vocantur.

Si quis tirocinij tempore instituto cuidam ineptus comperitur, expellendus.

 *quin*

Digitized by Google

quin aliquid hac de re hoc loco dicam, cùm quòd hisce monasterijs non nisi quàm optimè amicissimequé velim, tum quòd nihil illis à quoquam posse dici norim aut salutarius, aut quod magis dicendum sit. Deinde si, vti antè dicere memini, liber hic ætatem ferat, volupe mihi quàm maximè futurum est, numquam non inclamare, quod Deo docente disco, nullo non tempore clamare expedientissimum esse. Nec dubito, quin diuinæ id illius maiestati sit futurum gratissimum, vt non ea modò vtilitatem inde eliciāt quibus hæc dicuntur monasteria, verùm etiam alia cùm virorum, tum virginum domicilia. Atque hanc ob causam dari mihi beneuolo à Lectore facultatem postulo longiùs hac me in re diffundendi, etsi ad historiam quam molior parum facere videatur. Hinc etiam satis mihi erit, vt quæ hocce in proœmio deinceps sequuntur, ab ijs solùm legantur, qui se religiosis domibus vel iam dicarunt, vel dicare cupiunt. Alij interea ad primum, his omissis, libri caput transeant.

Principio itaque è monialium harum cordibus noxium quoddam auferri pietatis, vel naturalis compassionis genus, quam honesto caritatis tegunt velo, peruelim. quæ agente fit, vt religioni sibi ducant, si vel quampiam, quæ in ipsarum transire cœtum velit, eodem excludant, vel, si opus id fuerit, aliquam earum, quas apud se retinere minimè expediat, domo pellere cogantur: quòd sibi perperam nimirum persuadeant, in causa se futuras quòd tam eximio anima hac bono caritura sit, seque suis proinde partibus satis non facere. Zelus hic animarum esse prima fronte videtur Zelus honorisque diuini; in recessu tamen ab eo nimis quàm distat, ac nonnisi mera tentatio est. Si enim hæ necessarias religioni dotes & partes præferant, ipse etiam, vt cooptentur, auctor & suasor sum; ac de his loqui non est animus: at si ijsdem careant, hoc ipsum argumento esto, à Deo eas non vocari. Si enim is huius illas religionis esse vellet membrum, etiam ea sine controuersia dedisset, quæ huic sunt necessaria. Qui enim quæ ad concionandum, confessiones excipiendas, aut docendum requiruntur, non prætulerit; quis sibi hunc persuadeat ad hæc ipsa munia à Deo esse appellatum? Illas igitur admittere, quas Omnipotens huc non vocarit, quid obsecro est aliud, quàm religionem penitus euertere & destruere velle? Qui enim ad hanc ipsas disciplinam non vocauit Deus, ad aliam fortè eas, vel aliud vitæ genus vocabit, atque in eodem suam operari haud

Scrupulus auferatur, quo Superior angitur, quòd aliquem in Ordinem non admittat.

Falsus zelus honoris diuini.

Non sunt in religionem inserendi, qui ad eamdem non vocantur.

haud difficulter poterunt salutem. Variæ enim ac multiplices Deo sunt viæ, & de huiusmodi animabus magis ipsi curæ est, quàm monialibus sit oportet. Videant igitur & maturè perpendant, quàm graue, has allegendo, consciscant crimen, & ad oculum videbunt verene censuerim, meram id tentationem cacodæmonis esse; & eò quidem nocentiorem, quò maiorem charitatis præfert speciem. Primò namque in longè diuerso animam illam constituunt statu ab eo, in quem ipsam Deus reseruarat, nec illic bene ei erit, atque adeò nullum ipsa commodum (vti quidem spes erat) inde referet, vt magnam potius suarum sit gratiarum iacturam factura. Secundò, maius illi reuera imponunt onus, quàm ferendo sit, vt ipsa, sub fasce fatiscens, defectura sit viribus, & tam exteris, quàm domesticis pessimo futura exemplo. Tertiò, noxia hæc cōmiseratio in causa erit, vt in multis illius peccatis superiores conniueant, itaque omnis paulatim religionis sit vigor intermoriturus. Quartò, occasionem dabunt, cur hoc sit loco suæ salutis iacturā factura, cū, si inde abfuisset, animā fortè in tuto collocasset. Quintò, non est ipsis animæ alienæ cura cōcredita, nec has ipsis Deus partes imposuit, sed duntaxat, suarum vt rationem haberent, ac suæ bono religionis consulerēt. nam propriæ domui ac monasterio nocere, quò huic vel illi muliérculæ consulatur, adeò charitas non est, vt etiam veræ caritati aduersa sit impostura; charitas quippe maius spectat bonum, & eius causa minus negligere interdū solet. nā (vt docet Aristoteles) quò ad plures bonū spectat & diffunditur, eò ipsū & maius & diuinius. Sextò, si quod spectāt, bonum esset & salutare, suam admittere in familiam deberent mulieres quàm habere possunt dissolutissimas: quòd harū maiori in discrimine versetur salus. Id porrò spectandū (& hoc etiam Deus vult) vt solæ nimirum cooptentur, quas verè huc ipse vocat, illæ inquā quæ necessarias huic instituto conditiones habēt. Ad has verò perspiciendas noscendasque, examinanda ante sunt, & quidē accuratè & magnâ diligentiâ, qualis in tanti negotio momenti requiritur. Etsi enim admissionem suam, quæ recipi petunt, perurgeant, & eam quàm citissimam esse velint, Antistitæ & trium aut quatuor è senioribus est eas sedulò inspicere, & de diuersis cū ipsis rebus interdū sermonē miscere; quocirca vocationē ipsarū penitius intelligere satagant, explorātes nimirum, quid ipsas potissimum ad hoc institutum amplectendum impellat; simul etiam prudenti suo iudicio rimantes indagent, quas naturæ dotes à datore Deo acceperint, vultū simul & corporis constitutionē, valetudinē & robur

Quàm grauiter peccent qui in religionem admittūt, qui ad hæc diuinitus non sunt vocati.

Proprio nō est nocendū monasterio, vt alieno consulas commodo.

1. Ethicor. c. 2.

Examinanda quis antè est quàm in religionem admittatur.

Quomodo sit hoc examen faciendum.

*notent: denique celeriter nihil & inconsultò hîc statuant, ne postea per otiũ re excussa maturiùs repẽtini huius inconsideratiq́ue cõsilij pœniteat. Rationi consonũ est, vt cùm omnium sit consensũ dare, & suffragari, omnes etiam antè rem perspectam habeant, eæ saltem, quæ alijs ætate & auctoritate præstãt, per quas dein ceteræ in rei cognitionẽ veniãt, & his fidẽ adiũgãt oportet. Sunt enim permultæ, quæ cũ appareãt optimæ ac prudentissimæ, deest tamen illis naturalis cõstitutio; è cõtra alijs naturale robur suppetet, at deerit prudẽtia. Nec morẽtur auscultentq́ue laudibus & exaggerationibus, quas ij, à quibus commendantur, depromunt, nisi talis fortè sit cõmendator, de cuius sinceritate cõstet, quique non minùs domus & Ordinis totius bonum quærat, quàm ipsæ domesticæ; quales perpauci futuri sunt. Tum verò id magis metuendum est, cùm qui laudant, facilè sibi satisfieri patiuntur, vel præter meritum rem extollunt, ac præsertim, quando commendatas in religionẽ cooptari, commendantiũ eorumq́ue commodorũ interest; quod plerumque fieri solet. Quò verò maior est in illis ad votorum emissionẽ non admittendis, & postea domo pellendis difficultas, eò ante assumptionẽ diligentius est & accuratius instituendum examen, vt nimirũ tales eligantur, quas postea dimittere pellereq́ue necesse non sit. De ætate provectioribus, morbidis, adeove imbecillis valetudinis, vt oneribus instituti ferendis pares non essent, loqui non est necesse; quòd illæ, etsi bonæ alioquin, penitus domibus sint excludendæ: nam iam inde ab initio & à primo ingressionis tempore cum ipsis mitiùs agendum & dispensandum est; vnde senioribus, eiusdem dispensationis, in similibus minoribusve necessitatibus exigendæ datur ansa, multæ verò relaxationes omnem statutorum & legum vim vigoremq́ue infringunt, simul etiam inertiam torporemque elanguidum secum trahunt. Videndum autem, & cautè quidem, num, quæ cooptari efflagitat, superba sit vel arrogans, suæq́ue sententiæ vel iudicij plus æquo tenax: quæ enim tales sunt, hæ religionem non dissoluunt quidem & eneruant, sed penitus destruunt, illamq́ue ijs quæ seminant litigijs & dissensionibus, & quæ inde sequi possunt factionibus, & partium studijs incẽdunt & vastant. In viduis quoque, quæ familiam aluêre (etsi generaliter omnes excludendæ non sint, modò cetera requisita non desint) admittendis eadem non est facilitate vtendum: quin potiùs illarum diligentiùs quàm aliarum est examinanda vocatio, quòd imperare, suæ voluntati obsecun-*

In admissione prima videndum est, quales sint quæ admitti petunt.

Senes ac morbidæ recipi non debent.

Quodnam è dispensatione sequatur damnum in religione.

Superbi iudicijque sui tenaces admittendi nõ sunt.

Quomodo sint viduæ assumendæ.

Digitized by Google

cundare, & prout placuerit, visumque fuerit, vitam instituere longo iam vsu consueuerint: tum verò, quod ægrè admodum flectantur, valdè difficulter pareant, suumque alieno iudicium perinuitæ subijciant, nec non graue illis sit, iter quod insistebant relinquere, & nouum quod edocentur, inchoare. Tum verò etiam est accuratiùs res libranda, quādo liberos illæ habent; etiam multò magis, vbi hi nondum certum vitæ statum iniere: numquam enim illæ obliuiscentur esse se matres, & maternum deponent affectum; hinc perpetuo in metu atque angore versantur de liberorum sorte ac statu sollicitæ. Deinde si filia sit, etsi eam m ter apud se eodem in cœnobio ante oculos habeat, tam huic tamen quàm illi societas hæc noxia est: cùm enim alterutra vel ægritudine vel tentatione opprimitur, opprimitur etiam altera. Si etiam contingat alterutram a Præfecta corrigi vel reprehendi, fieri non potest, quin se etiam alia castigari reprehendique putet. Si quando suffragiorum multitudine res aliqua decidenda est, ambæ iam tum vnam in partem propendent; hinc in monasterijs, in quibus adeò paucæ sunt monachæ, si vel vnius amplius accesserit suffragium, permulta obtinere queunt. Deinde si eas tentari contingeret, ad manum semper haberent, à qua defenderentur, itaque cœnobij statum inuerterent. Hoc hisce in monasterijs minimè contingere pro explorato & certo habeo: attamen consultum id est præmonere, id ne contingat posthac, neve rei huius vlla vnquam detur occasio. Neque etiam id eò dico, ne vllæ in hanc familiam viduæ cooptentur; sed vt magnum illarum & diligens præmittatur examen, & non nisi rarissimè atque ægerrimè ijs detur locus. Hæc autem iam inde ab initio facilè se exerunt. ipsa porrò B. Mater Teresa optimum insigni quadam cum prudētia rei cuiusdam dat documentū, quæ sæpè etiam oculatissimos quosque & diligētissimos exploratores fugit, quam tamen maximi interest bene examinari & quidem cautè, ac dissimulatione maxima, atque è frequentibus interrogatis petitionibusque erui. Atque hæc ipsa est: Multæ animum non aliter ad vitam adiungunt monasticam, quàm vt alicui qua premuntur afflictioni in eadem remedium leuamēque inueniant. tales hæc in cœnobia tantum vitæ profitentia rigorem & seueritatem, & in quibus magna pietate, & insigni Deo famulandi, & pro ipso aduersa patiendi desiderio opus est, vt in ijsdē quis degat, cooptari minimè oportet. Rei huius ratio sole meridiano est clarior: verè enim non tam Dei amore, vel cœnobiticæ vitæ stu-

Quā sit incommodū & incongruum matrem simul & filiam in eodem agere cœnobio.

Quinam rigidis monasterijs excludendi sūnt.

 stu-

*studio ista huc veniunt, quàm temporalis remedij inueniendi gratia. Dicere id volo manifestius: quod nimirum non inueniant sponsum, cui nubant, vel quod non ea, qua vellent, in mundo auctoritate vel commoditate frui possint, adeò vt potiùs vano quodam honore, quam ab hominibus expectant, vel infamiæ, laborumve metu, quàm Dei amore huc alliciantur. Si ita se res habet, certum est à Deo illas non vocari: quo igitur modo recipiantur, quæ à Deo minimè vocantur? vel quomodo hoc vitæ genus ferre, & sine vlla tristitia & mentis inquiete, nullo ipsam æqualibus suis signo declarando, ad finem vsque perdurare queant? Qui, quò vitæ ducendæ subsidia commodiùs meliusque suppetant, ad sacerdotium animũ applicat, indignus est, qui ad sacram hanc dignitatem assumatur: sic quæ mundano aliquo intuitu religioni se dicat, non verò propter Deum, non meretur, quæ in eandem adlegatur. Hæc in alijs fortasse monasterijs manere poterũt, in quibus maior sit horum species & apparatus; in his verò, etiam quæ sincerè & vera cum vocatione ingrediuntur, sæpè magnum erit, si possint tentationibus resistere, & in perfectionis semita perseuerare, quantò magis, quæ non Dei amore, sed mundano dumtaxat impulsæ huc concedunt? Scio contingere, Deum postea corda immutare, & id genus nouitias, illo mutante, meliores mores assumere, verùm prudentium & cordatarum monialium est fortunæ sua non committere, sed vbi viderint, illarum animum ac scopum non esse, sincerè pureque Deo seruire velle, ianuam illis occludere, & introitum negare. Error in initio ingens est & apprime noxius, & quò procedit longiùs, & increscit, eò maiores causatur errores, malaque affert grauiora. Omnium igitur doctorum hactenus summa hæc est, vniuscuiusque vocationem sedulò examinari debere; quæ si à Deo non venire certò comperiatur, nulla aditum inueniat (neque enim fieri non potest, quin magnam talis inquietudinem turbationemque afferat domui in qua commoratur) etiamsi stirpe alioquin sit nobilis, præstantique ingenio, & tantum afferat sola opum, quibus vniuersa prouinciæ monasteria abunde queant dotari ac stabiliri Verùm si verè à Deo vocata sit (quod non erit, nisi eas habeat, quas suprà diximus dotes) si quæ fortunæ bona habeat, secum ferat: cuinã enim operi ea melius potiusque dedicet? Si verò nullam nacta sit dotem, non idcirco religionis illi aditus occludendus: eius enim vnius causa adducet Dominus alias, quæ tum*

Qui esse vult sacerdos, vt commodiùs habeat vnde viuat, id esse non meretur.

Dote carens Virgo non propterea religione excludẽda.

*tũ in sui, tũ in aliarum sustentationẽ idoneos redditus adferent. Quoniam verò ipso in egressu esse deceptioni locus potest, quòd importunius vrgeant commendatores; etiam ob nimias, quibus admittendas extollunt, laudes; nec non quòd statim & sine mora eas adoptari petant; ideò integer Ecclesiastico iure præscribitur annus, vt medio hoc interuallo admissa exploretur vocatio, talentum, indoles & mores; deinde, verene ordini conueniat, necne. Tum quippe omnium horum faciendum est periculum: hanc etiam ob causam probationis & experientiæ dici annus solet. Quare Præpositarum, & nouitijs præfectarum aliarũque est, eas omnem in partem probare non obliuisci: nisi enim illæ tũc accuratè has explorent, hæ illas postea vice versa diligenter probabunt. Sæpè etenim fit, vt arrogans, malè morata, vel inobediens, omnis mortificationis inimica indoles, noua quadam pietate & feruore quodammodo latẽs & lãguẽs, ipso tirocinij anno, quin etiam aliquo post tempore, obsequentissimã se præbebit; quæ vel libertatem iam nacta, vel religionis diuturnitate, vel munere aliquo quod exercet insolescens, vel etiam hoc feruore decoquente, foras prorumpit, & tum sese demum indicat, cum iam post votorum emissionẽ nullus erit remedio locus. Quocirca, quò minor & breuior huic malo noscendo & tollendo statutus est terminus, eò maior ipso tirocinij anno habenda ratio, ac diligentius dispiciendum. quem idcircò Teresa annum longius voluisset extendi; & prius multũ annorum effluere, quàm solennia Deo vota nuncuparent, vti in Societate Iesu fieri nouerat, vt quæ ad votorum erant emissionem admittendæ, meliùs cognoscerentur & probarentur. Non est porrò rursus hic repetendum, si qua comperiatur, quæ nec sanitatem, nec conueniẽtem huic religioni indolem habeat, quæ orationi non studeat, vel ad eamdem facta non sit, quæ humilitatem non sectetur, & rebus terrenis animo adhæreat, hanc confestim dimittendam videri; non est, inquam, hoc iam amplius repetendum, cùm iam antè dictum sit, & mirè laudatum. Adhæc ipsum probationis annum iura concedunt, tã vt ipsa religio à se ineptiores eijciat, quàm vt ex ea egrediãtur tirones, qui illam sibi minimè fore conuenientẽ iudicabunt. Verumtamẽ sæpius id est inculcandũ; diabolus. n. religionũ turbaturus pacẽ & quietẽ, intuitus aliquot humanos ob oculos superiorib. ponit, pietatis, misericordiæ, diuiniq; obsequij specie coloratos, qui ẽt prudẽtissimos, & oculatissimos quosq; sæpè in errorẽ trahũt. Ecquæ. n. maior dari cogitariq; fra' potest, quàm, vt in priuatã ali-*

Annus probationis iure præfigitur.

Tirones nisi probẽtur, ipsi postea magistros probant.

Voluisset Teresa tirocinij tempus esse diuturnius.

*quam se pias ostendant, uniuersæ ipsas domui & religioni esse immites & crudeles: Sed publicæ magis rei habenda ratio, quiquè verè Dei timorem habet, maiorem hic etiam timorem præferat necesse. Vereri deinde, ne qua parentibus ipsarum, quæ dimittuntur, molestia & turbatio nascatur, vel aliquorum hic calumnias oblocutionemquè anxiè morari, & propterea in domo illam retinere, probrosum ac turpe est ijs, quibus viuum non solùm pro ipso labores patiendi, verùm etiam in grauißimis, quos excogitare immanißimi tyranni possent, ad finem vsque vitæ permanendi cruciatibus desiderium Deus elargitur. Quo enim modo quæ se quotidie in oratione ad tam ardua subeunda offerunt, coram illo se sistere audeant, si in his paruis tenuibusquè tolerandis deficiant? quo illi modo supplicare audebunt, sui vt ordinis procuret incrementa, si hunc ipsæ hoc pacto destruant & euertant? Quod quæ fecerit, næ illa se veram Matris Teresæ de Iesu vocare filiam nec potest, nec debet, quòd timoribus id dissoluat & demoliatur humanis, quod precationibus & rationibus beata illa Mater diuinis decreuit ac stabiliuit. Deinde, si è pecuniæ amore auriquè cupiditate id fieri contingeret, ne videlicet fortè facultatum fortunarumquè, quas monasterio virgo hæc inferet, iactura fiat; profectò turpe foret, eam, quæ paupertatis fecit votum, tam efflictim & anxiè hanc ipsam à se excutere satagere; & eam, quæ in religione, quam ipsa fiducia firmauit, & in monasterijs, quæ tanta sunt fide condita & excitata, & eâdem postea fide hactenus conseruata & propagata, moratur, tam exiguam debilemquè fidem præferre. Equidem ijs id responderem, quod beatæ olim Matri Dominus cunctanti,* Quibus thesauris omnia hactenus condita sunt monasteria? *Hispalim Teresa ingressa est vnum dumtaxat habens obolum, cùm eò ad sedem constituendam abiret; antè tamen quàm inde digrederetur, sex aureorum millia in domus emptionē impendit: quin etiam annus aut alter abhinc non effluxit, cùm aliæ illius loco comparatæ sunt ædes, quæ tredenis propè aureorum millibus steterunt; eius autem filiæ ac sectatrices in paupertate agere graue ducent, dum aliquam dotatam & pecuniosam domo excludere verentur? Si hoc ipsæ obseruarent, hac proculdubiò viâ ad paupertatem pertingerent, si modò Deum fauentem haberent; hinc, vbi non admiserint ineptas instituto, earumquè facultates reiecerint, maiorem Domino ad subministranda omnia necessaria victus subsi-*

*subsidia, illarum adhæc animas locupletandas solicitudinem inijcient. Quæ verò hactenus hoc prosecuti sumus proœmio, pluribus confirmare possem rationibus ac testimonijs, nec non exemplis probare: verum, quia ad eas, quæ rem norunt, quæque rationi ac veritati haud difficulter obsequentur, est sermo, quæ dicta sunt, sufficere existimo.*

## *QVANTOPERE TERESA DE IESV IN SCRIptis suaserit, quod hoc in proœmio propositum.*

REuocare dumtaxat illis in mentem volo nonnulla quoad hoc à beata Matre Teresa de IESV scripto consignata, vt videant nimirum, quàm proposita à me documenta conformia sint ijs, quæ à Redemptore Christo sanctæ suæ Matris ore & calamo edoctæ sunt. Sicut enim eam cœnobiorum fundatricem, sic & earum, quas monialibus inesse par est, virtutum fecit magistram, & veram certamque itineris, quod insistere eas oportet, ducem ac directricem. Hæc igitur libri, quem viam perfectionis appellauit, capite XIII. in hæc verba scribit: *Hem quàm ingentem charitatem & eximium Deo præstaret obsequium monialis illa, quæ se eos, qui hac in domo vigent, mores ferre non posse videns, & id verè in se experiens, inde ante abscederet, quàm ad votorum nuncupationem admitteretur (vti aliàs etiam dixi) ceterasque pace frui sua sineret. Imò nec in reliquis quidem omnibus monasterijs eam (si modò mihi fidem adhibeant) retinebunt, nec ad professionē solēnem vllatenus antè admittēt, quàm per plurimos eam annos probarint, vt videant nimirum, num in hac aliqua morum sequatur emendatio. Ceterùm non ea hîc voco errata, quæ in pœnitentia ieiunijsque peragendis committuntur; quòd, quamuis errata & commissa sint, non sunt talia tamen, quæ tantum damnum afferant; sed quasdam dico conditiones proprias, quas à se ipsa habet, quales sunt videlicet, velle magnifieri & laudari, in aliena errata & imperfectiones accuratè intueri, propria verò numquam considerare, aliaque his similia, quæ verè ab humilitatis enascuntur defectu, nisi sua Deus gratia & fauore auxilietur, abundantem illi spiritum com-*

Mm mu-

*municando, donec tandem aliqua, etiam post plurium annorum interuallum, emendatio appareat. Deus verò vos seruet, ne qua huiusmodi vestro in contubernio maneat. Certæ porrò estote, illam & propria pace carituram, & alijs etiam grauem fore. Quod in monasterijs nonnumquam contingit, magnam mihi commiseratione mouet. Sæpenumerò enim, vel necessariorũ consanguineorũque ipsarũ intuitu, vel ne acceptã dotis pecuniã reddere cõpellãtur, furẽ sua in domo superiores agere sinũt, à qua thesaurus domesticus surripiatur. Cùm hac in domo honorẽ mundi iã repudiaueritis & perdideritis (quòd pauperes vt plurimum inglorij sunt) nolite committere, vt tãto vestro sumptu aliæ honorentur. Honor quippe noster, carissimæ, esse debet, vni famulari Deo quæ hunc vobis se putet posse honorẽ eripere, suo cum honore domi suæ maneat. Hãc ob causam Patres & maiores nostri integrũ vnum probationis annum instituerunt; equidem verò vellem is mos inueheretur, ne qua ante decẽnium ad professionem admitteretur. quæ enim verè futura est humilis monacha, parùm morabitur, professane sit nec ne: nam indubitatum habebit, se, si modò morata & proba fuerit, domo non exigendam; si verò secùs se gerat, cur huic Domini nostri Iesu Christi Collegio ac domui obesse vult? Bonam non esse eam non dico, quæ aliquam vanitatem præferat (nam hoc Dei gratia & beneficio hac à domo longissimè existimo absuturum:) verùm eam dico bonam non esse, quæ scilicet bene mortificata non sit, & aut rebus mundanis affectu adhuc & animo adhærescat, aut suis, in ijs inquam, quæ suprà dixi. Quæ ergo parum huius in se mortificationis videbit, mihi hæc, obsecro, fidem adiungat, professionique sese non ingerat, nisi hic habere infernum quemdam voluerit. Vtinam verò auertat Deus, ne & alium postea in altero experiri mundo cogatur, quòd multæ in ipsa sint causæ, ob quas huc detrudenda videatur.*

Decenniũ vellet Teresa præmitti ante votorum emissionem.

Infrà verò hæc habet: *Iterum repeto, si rebus mundanis afficiatur, nullumque in se ipsa quotidianum profectum experiatur, hanc ipsam monasterio ineptam videri, & ad aliud quodlibet liberè, si modò religiosam viuere vitam velit, posse transire: sin minùs, videbit, quomodo sibi res hæc successura sit. De me verò non conqueratur, nec mihi imputet, quòd hoc sit opus aggressa, quòd antè ipsam non præmonuerim.* Postea verò hæc subiungit: *Alio melius loco suã operabitur salutem, fieriquè poterit, vt sensim ad perfectionem peruentura sit,*

Consulit B. M. illis, quæ non erũt feruẽdis ordinis sui oneribus pares, vt exeant illo antè, quàm professionem emittant.

*sit, quam hic ferre nequijt, quòd hic simul multis adobruetur: nam quamuis interioribus temporis hic multũ impendatur, ad sese penitus denudandũ & mortificandũ; exterioribus tamẽ nonnisi quàm breuissimum, quòd inde ad alias non parum deriuari poßit incommodi. Si verò, cùm videat hic vnanimi oẽs cõsensu nauiter in hoc incumbere, semperque in tam sancto agens contubernio, anno vel medio nihil dum proficiat, vereor sanè, vt etiam pluribus nullum sit progressum factura. Non dico, adeò quidem perfecte, vt aliæ; sed vt saltem appareat, suam hanc operari salutem: facilè namque videre est, vbi malum id est mortale.*

Iam antè dixi, quæ hoc è libro depromo, nonnisi ex autographo ipso à me depromenda: in cuius capite XIV. hæc scripta legũtur: *Crediderim equidẽ, Dominum nõ deesse, sed inprimis auxiliari illi, quæ firmiter aliquid secũ statuit: hinc diligẽter spectãda & notãda intentio illius, quæ monasterio sese dicat; vt nimirum non sibi soli dumtaxat vacare studeat ac prodesse, vti modò pluribus contingit; cùm certum sit & indubitatum hanc à Domino intentionem perfici posse.* Postquam autem præmisisset, quanti referat, boni iudicij virgines admittere, hæc subnectit: *Error hic pauculo temporis spatio sese non manifestat; sunt enim plurimæ, quæ loquuntur bene, & iudicio non valent; aliæ è contra parum, tamen non nimis parum loquuntur, & insigni ad res plurimas pollent iudicio. Concedo quidem, sanctas quasdam simplicitates esse, quæ in rebus negotijsque mundi parum, sed in agendo cum Deo optimè multumque versatæ sunt. Hanc ob causam accuratè inquirendum, antequam admittantur, & admissæ iam diutius sunt probandæ, antè quàm ad votorum emißionem transire permittantur. Intelligat porrò & cognoscat semel mundus, liberum esse vobis eas expellere: cùm in monasterijs, in quibus vitæ viget seueritas, multæ eius rei occurrunt occasiones, & vbi vobis id moris esse semel innotuerit, iniurium id esse vel graue nemini reputabitur. Hæc eò dico, quòd adeò infortunata ac dura hæc sint tempora, adeoque magna nostra imbecillitas, vt adeò satis non sit Patres nostros & maiores præcepto dato nobis imperasse, huc ne respiceremus, vt ipsi, ne quem fortè vel minimũ offendamus, atque etiam dictum quod nullũ est, reuocemus, probatas illas laudabilesq; obliuiscamur consuetudines. Auertat Deus, ne in altero hoc ipsæ mundo*

 persol-

*persoluant. Illis, quas admittimus, numquam honestus aliquis deest color, quo nobis persuadeant id licitum esse; sed in tanti ponderis negotio nullus omnino est bonus. Neque enim credo, Dominum si Superior vnicum, sine vllo prorsus affectu aut paßione, intuetur & considerat domus bonum, passurum eam labi & fallere; quin imò crediderim, illas, quæ ad huiusmodi pietatis inanias, & friuolas considerationes ita reflectunt, non posse non errare. Et est sanè ea res huiusmodi, vt ab singulis ea bene perpendi, & Deo commendari vnicè digna sit, quin etiam Præfectam quamque animare debeat, cùm tanti momenti ea sit res, & ita singularum intersit: vnde & illum ex corde rogo, vt in eadem vobis lumen submittere dignetur.*

Capite autem sexto & vicesimo libri, quo suas est fundationes complexa, hæc scribit: *Si in ipsum habeatis fiduciam, & generosa sitis mente (illius enim maiestati generositas gratißima est) nolite metuere, vt quidquam vobis sit defuturum. Nec vmquam omittite recipere illas, quæ in cœtum adlegi postulabunt, si modò illarum vobis desideria & talenta satisfaciant, & non solius malo suo inueniendi remedij gratia, sed vnica Deo perfectiùs famulandi intentione huc se eas conferre compereritis; etsi alioquin à bonis fortunæ parum instructæ sunt, modò à virtutibus sint paratæ: alia namque via sine controuersia ei Deus rei duplici cum fœnore medebitur, cui vos, hanc indotatam admittendo, succurrere neglexistis. Magno diuturnoque id ipsa vsu didici verißimum esse: & nouit illius maiestas, me, quantum quidem recordor, nullam propterea cœnobio excludere voluisse. Testes esse mihi possunt cumplures, quas è puro soloque Dei amore admisi, & vos ipsæ etiam nouistis. Et hoc vobis dicere possum, non tanta me complere voluptate solere eas, dum in institutum cooptarem, quæ amplissima erant instructæ dote, quanta illæ, quas è solo Dei amore admittebam: quin potiùs illæ aliquatenus me timere cogebant, cùm hæ meum è contra dilatarent spiritum, tantumque mihi pariebant gaudium, vt lætitiæ exultationisque mihi lacrymas elicerent. Et est hoc quàm verißimum. Si igitur, cùm domus erant & emendæ, & faciendæ, ita bene nobis successit; cur postea minùs bene succedet, vbi de necessarijs victus subsidijs agendum? Mihi credite, carißimæ, vnde vobis incrementum putatis accessurum, inde maximam vos iacturam factu-*

Placebant Teresæ eæ, quæ nihil habebant dotis.

*facturas & dispendium. Si quando tamen, cui fortunæ suppetunt, in ordinem admitti petit, si modò alijs eas conferre non teneatur, & in alios, qui fortè ijs non indigebunt, eas erogatura sit, vtile fuerit sanè vobis easdem eleemosynæ nomine elargiri. Nam (sincerè dico) si qua id facere negligeret, nec erga vos affici, nec domum hanc videretur. Semper tamen operam date, vt quæ familiam hanc ingredietur, de suis facultatibus non aliter disponat, quàm quod eruditi viri ad maiorem diuinam gloriam & obsequium fore illi consulent. Magnum enim esset malum, non aliter alicuius religionem nostram ingredi volentis bonum procurare, quàm quatenus hunc id finem spectaret. Multò quippe magis lucramur, modò illa faciat, quod Deo facere tenetur, (maiori inquam perfectione) quàm omnibus quas ipsa conferre queat fortunis; cum quotquot sumus, aliud non spectemus, nec aliud Deus fieri permittat, quàm vt diuinæ suæ maiestati in omnib. & per omnia gratū obsequium præstetur.*

Bonum est fortunas suas eleemosynæ nomine religioni cuidā esse.

Nihil ex alicuius bonis petendū est.

Potuissē omittere, quæ secūdo ipsa Cōstitutionū capite prosequitur, quòd omniū passim illæ in manibus versētur: verū quòd hūc inire ordinem desiderantibus ea nosse perutile sit, non abs re fore visum est eadem huc in ipsarum gratiā afferre. Sic igitur præcipit: *Diligens opera adhibeatur, vt quæ recipiendæ sunt, orationis sint studiosissimæ, ad omnimodam perfectionem aspirent, mundanos denique affectus exuerint: nisi enim penitus denudatæ sint, Religionis huius leges & statuta ferre non poterunt. Et sanè satiùs longè est sedulam antè diligentiam adhibere, quàm postea easdem emittere. Admittendarum ætas septemdecim annis non sit minor; corpore porrò hæ sint sano, & mente sana, & ad officium diuinum recitandū, & chorum frequentandum idoneæ. Nullæ verò professionem edere permittantur, nisi illas antè, tyrocinij anno, habere noscantur conditiones & qualitates, quæ ad eorum, quæ hic seruantur, obseruationem necessariæ sunt. Vbi verò ipsa personarum placuerit qualitas, etsi, quæ domum locupletent, fortunæ illis desint, non propterea hæ excludendæ sunt, quemadmodum hactenus facere consueuimus. Videant proinde Superiores, nullam vt priuato aliquo intuitu admittāt nouitiam, quòd paulatim opum sese ingerere posset cupiditas, itaqúe sensim maior eleemosynæ, quàm bonitatis conditionisqúe personæ ratio haberi. Numquam hoc, & nullo modo fiat; ingens enim id esset malum.*

*Paupertatem ſemper ob oculos habeant, ad quam voto ſe Deo obligarunt, vt bonum omni in re à ſe odorem exſpirent, notentque, non hoc eſſe, quo ſuſtentari ipſas par eſt, ſed fidem, perfectionem, & inſignem in Deum ſolum fiduciam. Conſtitutio hæc diligenter obſeruetur, & executioni mandetur, vti oportet, monialibuſque prælegatur.* Omnia hæc per vas hoc electum Spiritus ſanctus elocutus eſt verba, quæ etiam ipſamet non aliter opere compleuit, quàm calamo exarauit. Diligenter ſiquidem accurateque qualitates examinabat earum, quę in ordinē allegi ſatagebant; vti ſępenumerò mihi id videre datum eſt. quin etiam, ſi nec ipſo tirocinij anno exacto ſuū eas à rebus ſæculi affectum exuiſſe, vel hoc illis vitæ genus minimè arridere videret, nullius ipſa adduci poterat rationibus aut verbis, vt ad votorum earum vllas nuncupationem admitteret; ſed res ſuas habere iuſſas in ſæculum vnde venerant remittebat, ad hoc vitæ ipſas inſtitutum vocatas eſſe negās, quin etiam certiſſimum ſalutis aſſerēs damnum adituras, hac ſi in familia permanerent, ac ſuam meliùs in alio ſalutem operaturas ſtatu, domo alia. Hanc ob cauſam quamdam de conſobrinis ſacra, quam iam annū & ampliùs geſtarat, veſte priuatam paternas in ædes remiſit, tametſi ſummis apud ipſam neceſſarij inſtarent precibus & contentione, hanc apud ſe vt retineret, fieri poſſe dicentes, vt ætate creſcēte creſceret ad hoc vitæ genus propenſio & cōformatio; quamquam alioquin multis eiſque eximijs naturę hęc eſſet dotibus inſtructa. Exclamem ergo, ô feminam pluſquam feminam, mulierem fortem & maſculam, factam ſecundùm cor Dei, priſtinæ religionis reſtauratricem, perfectum ſanctitatis exemplar & imaginem, veram mundi & omnium quæ in ipſo ſpectātur rerum proculcatricem, veram item Diuini Numinis cultricem, quæ tantam interim, dum viueret, lucem diffudit, & poſt mortem, vel potius iam meliori viuens vita (qualem nimirum illuſtria & heroica illius facinora promeruere) numquam non rutilos eiuſdem quaquauerſum radios diffundit!

Tereſa quādā è cognatis ad profeſſionem admittere noluit, quòd à rebus ſęculi nondum affectum exuiſſet.

Omnia porrò hæc, quæ ſuis Tereſa de Ieſu filiabus tradidit documēta, mire cū omniū Sanctorū doctrina conueniunt & cōſentiunt, vt quæ ab eodē edocta imbutaq; eſſet magiſtro, à quo ſuā ipſi etiā hauſerant. Quod vt ad oculum pateat, paucis nōnulla de iiſ-

ijsdem visum est depromere. Docet quippe inprimis Basilius Magnus, non passim & promiscuè omnes Religiosa esse donandos veste, qui eamdem petunt: sed horum antè cõsiderandos esse mores, num scilicet inconstantes sint ac leues, nec ne; quos, si inconstantiam præferant, exerceri, ipsorumque aliquo temporis interuallo constantiæ à superioribus periculum fieri suadet, molesta, grauia, duraque illis præscribentibus: quorum si robur & perseuerantem in aduersis deficere viderint constantiam, foras pelli, ne ceteris sint graues & iniurij. Addit insuper, dispici debere, nũ magnum suorum scelerum pudorẽ & pœnitentiã, nec non promptũ ab ijs, qui sibi peccandi fuere occasio, recedẽdi afferant desideriũ.

*Reg. fusior. interrog. 10.* Non omnes indiscriminatim in religionem assumendi.

Inconstantes recipi non debent.

S. Pachomius in ea quam ab Angelo accepit Constitutionum monasticarum formula hæc habet: Si quis ad cœnobiũ venit sæculi deserẽdi voluntatẽ præferens, & monasticen profitẽdi; in domũ eũ superiores antè nõ admittant, quã hũc ad dies aliquot ante eiusdẽ fores exspectare coegerint, hoc exploraturi pacto, nũ constãs illius sit propositum, & solidum parentum facultatumq; suarum deserendarũ animũ ostendat. Cuius rei constãtiæq; præclarũ cùm specimen dederit, tum demũ in domum eũ suadet admittẽdũ; huc porrò introductũ famulari vult, & varijs exerceri modis; tũ demũ seculare schema deponere, & monasticũ assumere. Pluribus hæc declarat Cassianus dicens: *Ambiens quis intra cœnobij recipi disciplinã non antè prorsus admittitur, quã diebus decem vel eo amplius pro foribus excubãs indicium perseuerãtiæ, ac desiderij sui pariterq; humilitatis ac patiẽtiæ demõstrauerit. Cũque omniũ prætereũtiũ fratrũ genibus prouolutus, & ab vniuersis de industria refutatus atque despectus, tanquã qui non religionis, sed necessitatis obtentu monasterium optet intrare; iniurijs quoque & exprobationibus multis affectus experimentum dederit constantiæ suæ, qualisque futurus sit in tentationibus opprobriorumque tolerantia, declarauerit, atque ita fuerit explorato mentis ardore susceptus, &c. Cùm igitur iam receptus, ac depositis proprijs vestimentis habitu monasteriali fuerit accinctus; non statim congregationi Fratrum commisceri permittitur; sed deputatur seniori, qui scorsum haud longè à vestibulo monasterij commanens, habet curam peregrinorum & aduenientium deputatam. cumque ibidem integro anno deseruiens absque ulla que-*

*Cap. 16.*

Quomodo exerceri debeat, qui monachus esse vult.

*Lib. 4. Inst. renunt. c. 3.*

*Ibid. cap. 7.*

*querela suum circa peregrinos exhibuerit famulatum, imbutus per hoc prima institutione humilitatis ac patientiæ, admiscendus erit ex hoc congregationi fratrum.* Idem quoq; sua in regula fieri suasit S. Benedictus, nonnulla etiam addēs signa, è quibus constantia, & bona genuinaq; tironis dignosci magis vocatio queat. Ait igitur in hæc verba: *Nouiter quis veniens ad conuersionē, non ei facilis tribuatur ingressus. Sed, sicut ait Apostolus, Probate spiritus, si ex Deo sunt. Ergo si veniens perseuerauerit pulsans, & illatas sibi iniurias & difficultatem ingressus, post quatuor aut quinq; dies visus fuerit patiēter portare, & insistere petitioni suæ; annuatur ei ingressus. Postea autem sit in cella nouitiorum, vbi meditetur, & manducet, & dormiat. Et senior ei talis deputetur, qui aptus sit ad lucrandas animas: qui super eum omnino curiosè intendat, & solicitus sit, si verè Deum quærit: si solicitus est ad opus Dei, ad obedientiam, ad opprobria. Prædicentur ei dura & aspera, per quæ itur ad DEVM: & si promiserit de stabilitate sua perseuerantiam, post duorum mensium circulum legatur ei hæc regula, & dicatur ei: Ecce lex, sub qua militare vis: si potes obseruare, ingredere; si verò non potes, liber discede. Si adhuc steterit, tunc ducatur in supradictam cellam nouitiorum, & iterum probetur in omni patientia. Et post sex mensium circulum relegatur ei regula, vt sciat, ad quod ingreditur. Et si adhuc stat, post quatuor menses iterum relegatur ei eadem regula. Et si habita secum deliberatione promiserit se omnia custodire, & cuncta sibi imperata seruare, tunc suscipiatur in congregatione, sciens lege regulæ constitutum, quòd ei ex illa die non liceat egredi de monasterio, nec collum excutere de sub iugo regulæ, quam sub tam morosa deliberatione licuit excusare.* Cardinalis porrò à Turrecremata pluribus in hoc Regulæ Benedictinæ caput commentatus, & plurimis id ipsū auctoritatibus sanctorū, rationibusq; confirmans, insigni opus ait esse in monachis admittēdis discretione. Vt enim qui generosū habere vult vinū, magno vites cōquirit studio & discretione, è quibus id colligat: sic etiā facere oportere, qui nouos in Religionē surculos adsciscit. Et grauia interdū per recipientiū cupiditatē & auaritiā hac in parte peccata cōmitti. Sicut enim nautæ nonnūquam ægros in mare deturbāt, antequā plenè emoriantur, quò eorum possessiones occupent: ita

*Regul. c. 58.*

*1. Ioan. 4.*

*In exposit. reg S. Benedicti, tractat. 12.*

ita nonnulli in religionem veluti eijciunt eos, qui etiamnum mundo viuunt, ſpe honorum quæ ex ijſdem ſperant. Quàm verò antiquiores paſſim fuerint ab aliquibus cooptandis, vel ad votorum emiſſionē ſuis in monaſterijs opum & hæreditatis deſiderio admittendis alieni, facilè colligi ex eo poteſt, quòd (referēte Caſſiano) AEgypti monachi nouitios ac tirones nihil ſecum in monaſterium inferre permitterent, nec hoc ipſum quantulumcūq; admitterent. Sua id in regula S. Benedictus in pauperes vult erogari, ſi quando profeſſionem tirones nūcupaturi ſunt; tametſi etiam cōcedat, vt, ſi illis inſpiratum diuinitus ſit, facultates pro pio in monaſterium affectu, in ipſum donatione ſolenni facta transſcribāt. Ex his ſimilibuſq;, quæ in ſanctis leguntur rebus, quaſque commodè Abbas Smaragdus, eamdem regulam commentatus, adfert, haud difficulter intelligitur, quantus ſit eorum, qui in religionem admitti petunt, delectus habendus, & quod, poſtquam iā cooptati ſint, illorum ſit faciendum periculum, vt ex eo colligatur, num inſtituto huic apti ſunt & idonei; quàm etiam eſſe à rebus mundanis debeant alieni, quàm mundo mortui, vt inde ad votorum emiſſionem tranſeant; quanta etiam libertate & animoſitate ea ſit neganda ijs, qui tales non erunt; deniq; quàm parua ſit opum habenda & facultatum ratio. Hæc ſunt paucis, quæ pluribus B. Mater ſuis in conſtitutionibus præſcripſit.

*Vbi ſuprà, lib. 4. c. 4.*

*Cap. 58.*

*Cap. 58.*

## CAPVT I.

### *DE NATVRALIBVS DONIS, QVAE A DEO optimo maximo Tereſa de Ieſu accepit.*

QVi quæ hactenus à me dicta ſunt, euoluerit, iam viuam eam in ijſdem ſe obſeruaſſe B. Matris Tereſę de Ieſu putabit imaginem, quam hiſtorię huius initio exhibiturum me pollicitus eram; veruntamen eam in ijs quę huc vſq; commemoraui, nōniſi rudi quadam Minerua delineaui, hinc iam viuos ei addere colores, & illuſtria lineamentorum decora, & adſcititia circumſecus ornamenta, quàm poſſum elegantiſſima, apponere conabor: tametſi numquam, quęcumque demum dixero, ad illam ſim pulchritudinem peruenturus, quam reuera in ſe continebat; vt non minùs hic, quàm inter rem pictam & viuam eſt, futurum ſit diſcrimen; quin etiam maius, quòd tam imperita eam ſit depictura manus, qualis

mea ſcribentis eſt. Verùm antequam ad id, quod ipſa erat, ad virtutes inquam illius, donaque ſupernaturalia perueniam, de naturalibus, quibus eam ſingulari quadam ratione artifex decorarat Omnipotens, nonnulla viſum eſt præmittere.

Vti in Angelis, qui naturâ eſt excellentior, ita etiam gratiâ æqualibus præcellit: ita ſæpe etiam fieri in hominibus videmus, vt, quos ad altiorem cùm gratiam, tum eminentiora chariſmata ſupernaturalia Omnipotens elegit, ijs etiam perfectiorem & excellentiorem quandam naturam elargiatur: vti in ea, quam Tereſa de Ieſu accepit, natura quàm euidentiſſimè patebit. Erat ſiquidem Tereſa ſtatura decora, & in iuuentute formâ ſatis liberali, cuius etiam in decrepita & emarcida ætate apparebant indicia. Corpore toroſo, & candido; vultu autem rotundo, pleno, eoque debitæ magnitudinis & proportionis: colorem hic habebat, quem nec candidum dixiſſes, nec ſanguineum, qui, quoties in oratione verſabatur, ſuccẽſus flammeſcebat, & mirum ſplendorem induebat. Hic aſſiduè nitebat, & dulcedinem incredibilem præferebat. Capillo erat nigro, eoque criſpo, fronte lata, minimè rugoſa, & formoſa: ſupercilijs verò ſubflauis in nigrorẽ aliquatenus tendentibus, ijſq; plus æquo maioribus, & ſpiſſioribus; non tamen multum obliquis, ſed quodammodo planis & oblongis. Oculos habebat nigros & rotundos, eoſque modicè protuberantes, nec tamen ingẽtes, ſed optimè locatos, viuaces, & blandos; qui ipſa ridente, toti etiam renidebant, & comem ſuauitatem ſpirabant, miram nihilominus grauitatem, ſi quando ad illam vultum vellet componere. Naſus erat vtcumque paruus, nec admodum in medio tuberoſus; illius verò extremitas rotundior & planior, & infernè nonnihil prominens: nares anguſtiores, & incuruæ: os nec magnum dixiſſes, nec etiam paruum: labrum ſuperius delicatum & rectum, inferius verò vtcumque craſſius, & ſupernè prouergens, in quo & mirus inſidebat lepos, & color decorus. Dentes nacta erat bonos admodum; mentum, quale quis deſideret; aures nec paruitatem, nec magnitudinem debitam excedentes; iugulum verò latum, & breue ſatis, & ipſum modicè introrſũ reflexius, manus deniq; exiguas & pulchras. In faciei parte ſiniſtra tres paruas habebat verrucas, quæ naturalẽ oris pulchritudinẽ mirè cohoneſtabãt; vnã paulò infra naſum mediũ, alterã naſum inter & os, tertiã deniq; infra os. Has ipſe ſingulares corporis illius notas accepi ex ijs, qui diutiùs eam intuendo has curioſiùs notarunt. Tota, quanta quanta erat, ſpeciem quãdam præferebat inſignem: qualẽ etiam ipſe prodebat inceſſus. Tantã verò gratiam, & amabilitatẽ habebat, vt quotquot eam intuerentur, nemo non mirificè erga ipſam afficeretur. Illius, etiam viuentis, ita Prouinciali Hieronymo Gratiano iubente, eſt à fratre Ioanne de Miſeria, Excalceato, Laico viro religioſiſſimo, imago ad viuum coloribus depicta. Egregiè hoc quidem conſilio poſteritati conſuluit Gratianus, etſi in eo pec-

*Dotes corporeæ in Tereſa.*

Digitized by Google

eo peccarit, quòd non à lectissimi totius Hispaniæ pictoris manu sanctæ adeò virginis ad viuum magis exprimi, ad multorum consolationem, imaginem curarit. Ad huius prototypi imitationem & exemplum reliquæ sunt, si quæ sunt, quæ bene aut aliquo modo referunt, imagines efformatæ. Notandum porrò est, in harum nonnullis, dum in vestis, quam dum depingeretur induta erat, manicis frustilla quædam laciniosa imitari conantur pictores, acuminatas & dentatas illi affictas esse manicas, quales nec ipsa gestauit, nec vulgò Excalceatæ gestant: in velo quoque, vt exprimant filorum situm ac reflexum, plicas aliquot de industria factas, illi addidisse videri, in quo tamen nullo ipsa artificio aut studio vtebatur.

Animæ eius dotes.

Iam à corpore ad animam transeamus. Bonum Teresa à Deo nacta erat ingenium; quod vel in operibus laboribusque illius relucet, cùm vel noua inuisaque excogitat, vel historias componit, quę pium inspectantibus affectum & admirationem causabantur. Intellectum quoque præstantem nacta erat, quo multa simul complectebatur, tum etiam acutum: iudicium sedatum, nullam leuitatem præferens, sed maturitate & prudentia plenum. Quæ sibi facienda incumbebant, maturo ea examine librabat, & prudenter ea, quæ introrsum in rei, quam cogitatione expendebat, medulla latebant, inspiciebat; circa quam cùm quid firmiter iam statuisset, idipsum dein magna quadam cum constantia & animi generositate exequi ac perficere connitebatur. Prudentia, cùm ad ea, quæ moliebatur, dirigenda, animasque ad Deum deducendas, tum præsertim monasteria sua gubernanda vtebatur singulari, vti videre licet tam in ijs, quas ipsa domus condidit, quàm in illis, quæ in ijsdem degunt monialibus, quas ad tantam humilitatem, passionum victoriam, spiritumque orationis erudijt. Magna pollebat in negotijs conficiendis dexteritate, omnibus vna prout oportebat satisfaciens, & parem corporis ad eadem perficienda sanitatem ac robur afferebat. Litteras quoque ad optimates & viros principes atque alios, ad quos necesse erat, scribebat, suisque ipsa epistolis felicem res sæpè ingentes ad exitum perducebat. Facili etiam negotio ingenium, talentum, & conditiones comprehendebat eorum, quibuscum agebat: vnde fiebat, vt qua singuli deducendi erant via, ingenti acrimonia & sagacitate videret. Magna quoslibet charitate & amore docebat, præstantesq; Theologos tāti faciebat, nullū vt his inconsultis magni momenti negotium exequeretur. Animum habebat plusquam muliebrem, eumque generosum & virilem; quo fiebat, vt quidquid vellet, ad exitum optatum perduceret, & præcipites naturę impetus, Deo adminiculante, compesceret. Facilè id tum quidem perspici dabatur, cùm à suis monasterijs digredi cogeretur: licèt enim nonnisi ægerrimè suis à filiabus, quas in ijsdem abiens relinquebat, diuelleretur, ac præsertim cùm exinde sibi numquam eas visum iri præuidebat, vsque eo tamen hunc ipsa dolorem, ne quo ipsas modo affligeret, dissimu-

Teresæ prudentia.

Generositas eiusdem.

lando premebat, perinde ac si nullam in se in auulsione repugnantiam sensisset. Cùm pater in eam incidisset ægritudinem, è qua etiam decessit, etsi Teresa etiam affecta admodum valetudine tum vteretur, apud ipsum tamen, vi sibi facta, manere graue non duxit, & verbis ipsum quà poterat consolari, penitus quem hic subibat laborem nihil morata: tametsi mors illius ita filiæ grauis accideret, vt sicut ipsa pòst referre non dubitauit, interanea sibi euelli illo ex hac vita decedente, crederet viscera. interea tamen tantam ipsa animositatem prætulit, nullum vt ei signum alienioris animi aut doloris vnquam ostenderet, & tam diu apud ipsum hæserit, quoad exspiraret; non magis eum, quem animo sentiebat dolorem, exterius prodens, quàm si nihil sua rei huius interfuisset; cùm tamen non ignoraret, patre è viuis sublato, omne simul sibi gaudium & consolationem, quam habere hoc in mundo posset, sublatum iri.

Fortitudo & patientia eiusdem. Magnanimitas.

Videre hoc etiam singulari licet in patientia & fortitudine, quam in magnis quotidianisque, quibus premebatur, ægritudinibus præferebat; tum etiam, quòd numquam non insigni quadam animi æquitate aduersa, persecutiones sinistrosque rerum euentus pateretur. Magnanimitate porrò erat tanta, vt grandia, inusitata, & extraordinaria cùm suscipere non dubitaret, tum ad exitum ea etiam perduceret, idq; summa quadā spiritus cum voluptate & gaudio: quæ enim facilia erant & quotidiana, neutiquam hoc illi gaudium pariebant; vnde nec tāto in illa ardore & affectu rapiebatur. Vnumquemque colebat, & debita singulos prosequebatur reuerentia: si quando tamen cum vtriusque sexus magnatibus agendum erat, ea inter illos verenda maiestate, quam à natura acceperat, versabatur, & sermocinabatur, perinde ac si vna de illorum numero exstitisset: quibus etiam, quidquid necessariò dicendum erat, dicere intrepide non verebatur, vti errantes etiam verbis coarguere. Si cuius horum dissoluenda amicitia certis de causis videretur, magna id ipsa mentis generositate, ac facili præstabat negotio: vti nonnumquam videre licuit.

Liberalitas.

Etsi verò miro paupertatis studio teneretur, liberalis tamen cumprimis & in sumptibus necessarijs subeundis, quamuis nihil penitus argenti suppeteret, erat generosa. Denique in omnibus suis erat numeris absolutissima.

Sermo.

In sermone blanda erat, & in conuersatione quotidiana suauis, grauis, hilaris, aperta, prudens; vnde de quacumque loquendum erat re, de ea cum honore miscere etiam ipsa sermonem cùm posset, audientium quoslibet in sui admirationem rapiebat. Atque vna hęc fuit ratio, cur, ad quoscumque demum sese conferret, pari ab omnibus affectu excepta diligeretur, & ab vniuersis pariter in oculis gereretur: ipsi etiam parentes peculiari præ omnibus liberis in hanc animo essent; ipsi inter se quoque fratres

Tere-

Teresam sororem plus alijs diligerent; moniales etiam eius in ipsam plus quàm in matrem par est, animatæ essent; ipsis denique Confessoribus summè cara existeret, vti etiam omnibus, quicumque cum ipsa loquebantur; quòd mirificam ad hominum animos sibi deuinciendos potestatem & venerem nacta erat. Si quos magni nominis viros aduersari sibi, aut perperam de se sentire nosset, vel maleuolis ab ijs se criminationibus impeti, eos ipsa vltrò cùm adiret, nonnulla suorum cum ipsis negotiorum, prout id expedire magis comperiebat, communicabat, imò priùs nihil habebat, quàm pio ipsos obsequio aliquo & facto deuincire: vnde fiebat, vt meliorem hi de ipsa opinionem conciperent, atque deinceps maiori in illam amore & voluntate ferrentur. Fari omnes affabilitate & humanitate compellabat; nec non mira oris hilaritate, & amore, nullam in sermone austeritatem, nullam duritiem, sed sanctam, suauem, & amicam liberalitatem præferens; & eam quidem, vt, quotquot eam videbant, resque illius intimas perspectas habebant, non mediocriter obstupescerent, eam, cui tam sublime orationis genus familiare erat, cumque Deo quàm proximè agebat, non aliter cum hominibus agere, ac si nihil horum donorum habuisset. Quo autem alij in ipsam amore erant, ea etiam ipsa erga illos, à quibus amabatur, dilectione agebatur, nec non erga omnes indiscriminatim, quos probos, sinceros, honestos nosset, ac nominatim eos, quos peculiari cultus diuini promouendi, & proximorum salutis procurandæ studio videbat teneri. Hic porrò illius amor ortum à mira animi gratitudine habebat: vnde beneficiorum, tametsi minimorum tum in se, tum in filias collatorum, memoriam integram semper & viridem conseruabat. hinc eadem referre, verbis extollere & agnoscere numquam cessabat, & benefacientibus maximas cùm verbis, tum opere ipso, quomodocumque poterat, gratias agere. Inerat illi & hoc animi nobilitatis genus (quod omnibus longè erat gratissimum) quòd, etiam maximo suo dispendio ac labore, neminem non adiuuare, beneficijs afficere, & quoad eius fieri poterat, recreare solenne haberet. hinc in pietatis, & misericordiæ & charitatis opera impensiùs incumbebat, omnis dissimulationis & obtrectationum, etiam minimarum, aduersaria: hinc nullius, nisi sui ipsius solùm commemorabat delictum ac malum: hinc neminem non prout poterat laudabat: hinc alienas vulgabat virtutes, & amplissimis extollebat verbis, suas autem insigni quadam celabat industria & imminuebat.

*Quomodo se gereret cum iis, qui sinistrè de se sentirent.*

*Vnicuique familiaris erat & affabilis.*

*Bonos amabat.*

*Omnes adiuuare studebat.*

*Alienas vulgabat virtutes, supprimebat suas.*

In moribus singularem colebat honestatem, & naturâ tam in verbis quàm operibus, ab omni alienior erat immunditia: solitudinis ad hæc amica, & ad omnem bonitatem propensior. Honorem verò permagni faciebat, antequam eam Deus penitus sibi dicasset; vnde hac honoris æstimatione velut freno quodam retinebatur, ne quid ageret,

*Honestatem colebat, & elegantiam.*

vnde is vel minimum detrimentum caperet. Atque vt animæ & corporis munditiem maximè colebat, sic & vestium in primis nitor illi cordi erat; vnde eas nitidas semper & scitas habere solebat: omnis namque illi cùm interior, tum exterior dissolutio maximè displicebat.

Sobrietas eius.

In victu autem sobrietatem summam seruabat, (hinc vini vsum ignorabat) miram in vestitu paupertatem ac tenuitatem, etsi nitidam. In sibi præcipuum quid indulgendo parca admodum erat, etsi, ob quotidianas assiduasque ægritudines maximè eo opus haberet; in suarum verò recreationibus admittendis effusa satis, ac tum pietatis viscera velut laxabat. Hinc, dum incommodum per viam sibi suisque obtigisset hospitium, maximè de comitibus erat solicita, laborabatque, vt his quàm fieri poterat commodissimè prospiceretur, ipsa verò vel minimo ac vilissimo contenta erat. Veritatis adeò studiosa fuit, vt omnem imposturam ac fraudem perosam haberet. hanc ob causam cùm eo ipso tempore, quo orationis studio omisso, in aliena distracta erat, à patre ex interuallo viseretur, ferre ipsa non poterat, sui ipsum causa in errore versari deceptum, credentem filiam orationi & recollectioni mentis vacare; quare non antè destitit vel quieuit, quàm ab hoc eum errore penitus liberasset. Deinde etiam nihil ipsam magis torsit, quàm assiduo recurrens illa cogitatio, num suis scilicet confessoribus fucum faceret, tametsi se nosset ab ijs imponendo animo esse alienissimo. Austeriori duriorique tractari modo nolebat. si suaui blandoque ritu dirigeretur, facilem se præbebat & ductilem. Atque idcirco eo tempore, quo nondum totam Deo se dedicarat, quos ab eo accipiebat fauores, vt grauissimas delictorum negligentiarumque suarum castigationes ducebat; quia, quòd tùm se à Deo gratijs præueniri sentiret, cùm reprehensionem ac flagella promeruisset, videns, nimirum, quantopere in ipsum offenderet adeò se ingratam præbendo illi, à quo tam vicissim benignè haberetur, pudore suffundebatur, ac se torquebat, magisque cruciabatur, quàm omnibus illis morbis, doloribus ac laboribus, à quibus identidem affictabatur. His enim sibi videbatur aliquatenus satisfacere ac respondere eis nominibus ac debitę gratitudini, quam Deo suo debebat: ipsa verò noua gratiarum tum acceptio, cùm illas minùs promereretur, terribilis cruciatus illi adinstar videbatur. His quæ dixi & alijs plurimis, quæ dici queãt ab illis, qui meliùs vniuscuiusq; nosse indolem ac naturam possunt, si familiariter eum aliquando tractarint, excellentem illã exprimere naturam volui, quam huic Deus communicarat, simul etiam organum ac vas describere, quod altissimis donis, quæ in ipsum pòst insertururus erat, accipiendis destinarat. Verùm, quòd naturam perficiat gratia, hæc longè ampliùs & vberiùs in pòst sequentibus capitibus, in qui-

Teresa verax.

in quibus & gratiarum lumina, & admirabiles, quas illi Omnipotens largitor communicauit virtutes, deducemus, perſpici poterit.

## CAPVT II.

*QVIBVS EAM GRADIBVS AD TAM SVBLIme orationis genus, quod ſolenne illi fuit, Dominus euexerit.*

IAM ad ſupernaturalem partem veniamus, in qua ipſa Dei ſe magnitudo adeò potenter exerendo manifeſtauit, & perfectiſſimæ monachæ exemplar exprimamus: vt non illius modò filiæ, tam quæ ſunt, quàm quæ pòſt exiſtent, verùm omnes etiam moniales, & quotquot animæ ad perfectionis pertingere faſtigium deſiderant, ſuos ante oculos habeant, quam intueantur & imitentur; hoc exploratum habentes, quò illi ſe magis conformabunt, & ſimiliores reddiderint, eò ſe perfectiores ac religioſiores fore. Plurimi præſtanti ingenio viri maxima contentione conniſi ſunt perfectiſſimam mente ſua ideam, ac ſimilitudinem quamdam eius concipere rei, quam deſcribere ac exprimere exteriùs opere contendebant; vnde & verba conceptibus ſuis exprimendis paria inuenere: verumtamen expreſſerunt non id, quod aliquando viderant vel norant; ſed quò intellectus ingenijque acumine, & verborum eloquentia pertingere potuerunt. In ſuis de republica libris Plato, & in politicis Ariſtoteles, perfectiſſimam quamdam ambo ciuitatem & remp. depinxere; ſed eam huiuſmodi, ſimilem vt terra nulla viderit. Stoici multa de viro ſapiente prodidere, verùm, qualem eum volunt, nec ipſi quidem ſua viderunt vnquam, nec nos noſtra ætate videmus. Quis in hac mortali vita eam vnquam vidit felicitatẽ vel beatitudinem, quam in primo & poſtremo Ethicor. libro depingit Ariſtoteles? Is item Orator, quem tribus de Oratore libris delineat Tullius, & Aulicus, quem tanta verborum eloquentia & arte lectori deſcribit Balthazar Comes Caſtellonius, intelligi quidem & optari, at videri nec poſſunt, nec haberi. Equidem quæ perfectiſſima excalceatæ aut alterius cuiuslibet ſanctimonialis ſit imago, quæ partes, expreſſurus; meas vnius imaginationes non ſequar, nec ingenium ipſe meum torquebo, nec numquam viſorum exaggerationes afferam, vti nec illa, quæ de hac materia tractantes ſpirituales viri videre optarunt; ſed ea dumtaxat, quæ magnus ille Dominus in illuſtri hac ſanctaque virgine ſpectanda dedit, tum quæ in illa & vidimus & cognouimus ipſi, qui eamdem familiariter tractauimus; ea denique, quæ eius libris etiam hodie vulgata produntur. Magna nos hoc in genere laboris parte ipſemet Deus liberauit, pluraque in eadem eſt potenti ſua ipſe manu operari dignatus, quàm diuite & eloquente ſua lin-

*Multi perfectiſſima quæque expreſſere, quę nunquam tamen extitere.*

*Virtutum Tereſæ excellentia.*

linguâ quis posset extollere: adeò vt, cùm verbis simplicibus puram eius, quod reuera fuit, dixero veritatem, promissa ipse mea adimpleam, illorumque satisfaciam votis, qui opere & reipsa perfectum videre volunt, quæ de perfectionis religiosæ sublimitate varijs in libris scripta passim leguntur. De illis igitur virtutibus locuturus, quæ in beata illa anima magis eluxere, non ineptè facturus videbor, si ab oratione exordium duxero; quæ peniculus quodammodo fuit, quo pulcherrimam hanc picturam suam ad hanc perfectionem Omnipotens perduxit, cuique vni admirabilium illorum est bonorum & gratiarum, quas cælitus habuit, communicatio ascribenda. Vnde non nisi iucundum atque vtile omnibus existimo futurum, illos hic ascribere gradus, quibus ad altissimum illud orationis genus, ad quod pertigit, ipsam prouexit. Hos è varijs scriptorum eius locis eruam, aceruatim nimirum hic & simul illa producens, quæ ipsa varijs locis sparsim produxit, quibus porrò rem ipsa verbis expressit, ijsdem eam hic ego describam hoc enim pacto ea meliùs explicabitur, & maiorem apud omnes auctoritatem inueniet, velut certior & securior; ac præsertim ex ijs, quæ vitæ suæ libro complexa est, è quibus potissimam dicendorum partem mutuabor. Qui primus illi viam ad orationem ductor ostendit, fuit tertium Osunæ Abecedarium, quem ipsa librum præeuntem etiam sequi penitus decreuit; nam hactenus, quam sequi hic aut inire rationem deberet, nesciebat. Iam tunc lacrymarum illi donum Dominus communicarat, idque eius duritiei & ariditatis loco, qua frigere solebat. Paucos post menses, quibus solitudinem sectari, & orationem feruentiùs paulò colere cœpit, quietudinis illi orationem (quam vocant) dedit, & interdum etiam vnionis, etsi, quidnam vtrumque esset, ipsa ignoraret: quā ille gratiam ne quidem post multorum annorum interuallum, dare, & non nisi paucissimis solet. Tam eximios porrò in ipsa id orationis genus producebat effectus, vt cùm necdum vigesimum explesset ætatis annum, iam vniuersum sub pedibus premere sibi mundum videretur. Illius autem orandi ratio in eo potissimùm versabatur, vt Dominum nostrum Iesum Christum in anima sibi præsentem quàm posset frequentissimè habere contenderet, ac, si quod mysterium accurata meditatione peruoluebat, ipsum velut præsens in anima sibi introrsum fingeret; quamquam spiritualium lectioni librorum potissimùm tunc temporis incumberet, quòd intellectu in mysteria ipsa penetrandi, & Christum Dominum internè sibi repræsentandi vsum experientiamque nondum haberet. hinc orare non poterat, quàm è libro quidpiam legendo, nisi fortè tum, cùm à sacra communionis surgeret mensa. Hoc orationis genus duodeuiginti ipsa annis vsurpauit, & sæpe quidem summo cum labore, mira spiritus ariditate, & incredibili cogitationum concertatione & distractione: cùm enim intellectu non discurreret, nec cogitare aliquid posset, nisi simul ad amandum

*E cap. 4. vitæ.*

**Primus liber spiritualis Teresæ.**

**Quietudinis orationem pauxillo tempore obtinet Teresa.**

**Sine libro meditari Teresa nequit.**

seve-

Digitized by Google

se voluntas daret; in oratione diu perseuerare non poterat: hanc nimirum ob causam loco discursus in libro quid lectitabat. Quocirca sine libro vllo se ad orandum non aliter componebat, quàm si cum infinita hominum vi sine scuto pugnare ipsam oportuisset: in ipsa siquidem diuersarum cogitationum, à quibus miserè oppugnabatur, ictus quodammodo excipiebat. Non tamen perpetuam semper hic ariditatem experiebatur, sed tum tantùm, quando librum, è quo legeret, ad manum non habebat. Vbi enim legere quid inciperet, cogitationes euagãtes recolligebat, atq; animam diuagantem veluti per blãditias reducebat; vnde etiam sæpè vel sola libri apertione erat ad mentis illustrationẽ accipiendã opus. Aliàs pauca, aliàs multa illã legere oportebat, pro cõmunicatę illi à Domino gratiæ mensura. Hoc illa tempore orationis exercitium annum eoq; ampli⁹ intermisit, idq; per fictæ cuiusdam humilitatis speciẽ, qua illi diabolus imponebat; summũ siquidem illi nefas videbatur, hoc ipsa pacto cùm vitã institueret, nimia hac familiaritate cũ Domino agere. qua falsa sibi persuasione exinde plurimum nocuit. Illo interposito tẽpore, noua cęlitus illustrata luce, ad pristinũ intermissumque orandi modum postliminio redijt, Saluatorem Iesum interiùs sibi præsentem fingere allaborans: quem quò maiori in solitudine magisque desertum videbat, eò maius inde ad animam eius lucrum accedebat, cùm se crederet nimirum, ab eo ita solo & afflicto eò meliùs ac lubentiùs admittendam. Inde fiebat, vt ex repræsentata illius in horto orãtis imagine miram ad animam suam allabi consolationem experiretur, atque hic illi soli se sociam & comitem adderet. quare hunc illius sudorem & afflictionem animo dum volueret, eos, quos poterat, ciebat in mente motus. optasset hunc ipsa quidem sua è pio affectu manu abstergere, verùm cùm flagitiorum subiret memoria, minimè audebat pudore confusa: atque hic illa hærebat, in quantum ingruentium cogitationum multitudo sinebat. Hinc etiam multis antehac annis, singulis se hæc animo voluens noctibus ad dormiendum componere solebat. vnde etiam permultum in spiritu profecit: nam inde, etsi id ipsa nesciret, orationis est exercitium & vsum nacta paulatim. Agrorum, aquæ, florumue aspectus ingentem illi etiam fructum attulit: eo namque excitabatur, ad se introrsum collectis sensibus redibat, & creatorem ipsum sibi præsentem animo fingebat; is denique illi libri instar erat. Cælestia porrò & admodum sublimia agitare animo non poterat, sed ea dumtaxat, quæ sub aspectũ cadebant. Redemptorem Iesum, quò plura de eiusdem legebat pulchritudine, quò pluribus eum expressum videbat imaginibus, numquam sibi fingere præsentem poterat, nisi adinstar cæci cum alio quopiam loquentis, quem adesse quidem ille præsentem nouit, sed minimè videt, & nescit cuiusmodi sit: ac propterea vt aliquam eius in se efformaret imaginem, imaginum erat studiosissima. Inde cùm se magis ab distrahendæ mentis occasionibus auocaret, orationi-

*E cap. 7.*

*E cap. 9.*

**Christi imaginem sibi Teresa repræsentare non poterat.**



Digitized by Google

tioni que insisteret ardentiùs, maiores illi Deus oranti delicias, & sapidos mentis gustus dabat frequentiores. Verùm numquam hos ipsa cælitus postulabat, vti nec aliquam cordis teneritudinem, neve eamdem, quantum quidem sciret, datâ operâ petere audebat. Vnum hoc à Domino continenter flagitabat, sibi vt plenam delictorum veniam concederet, manumque auxiliarem porrigeret, ne posthac ampliùs in ipsum delinquendo incurreret; vtpote cùm sciret, nonnisi maximæ illius misericordiæ adscribendum esse, quòd suos illam ante oculos versari, & sibi præsentem, omni alio sibi denegato fauore & gratia, esse cõsentiret. Semel dumtaxat, cùm incredibili quadã mentis ariditate mens torperet, has illa animi delicias, ac recreatrices suauitates spiritus petijt: vt tamen ad se reflectens vidit quid ageret, adeò sui ipsam puduit, vt sola hac, quòd adeò parum se videret humilem, consideratione & dolore hanc sibi dulcedinem, quam petere à Deo ausa fuerat, conciliarit. Hoc ipso tempore & etiam antè paulò, aliqua interdum rei illius sentiebat principia, quam iam dicam; etsi id nonnisi breuissimè: verùm exinde id multò tum est experta perfectiùs, cùm paulatim magis ac magis ad id Deus ipsam eueheret fastigium, ad quod sanctissimæ quæque animæ pertingunt. Nam in illa repræsentatione, qua se apud Christum Dominum versari fingebat, quin etiam interdũ aliquid è libro lectitanti efficax quidã ex interuallo, nihil minus cogitanti, præsentiæ Dei occurrebat sensus, vt ingens nefas crederet dubitare, imò certa propè foret, hũc præsenté intra se versari, seque penitus intra ipsum esse absorptã. Nulla quidé hic corporalis erat visio, anima tamẽ suspendebatur, & tota extra se versari videbatur: amabat voluntas, memoria propè perdita erat, intellectus denique multarũ erat quas inaudiebat rerũ admiratione velut perculsus, quòd nimirũ illi Deus manifestaret, nihil corũ se, quæ diuina eius maiestas illi repræsentabat, penitus intelligere & comprehendere. Quò interim se ipsa magis disponebat, plura illi etiam Deus charismata communicabat, vt non aliud is velle videretur, quàm vt se ipsa recipere dignaretur. hinc illi solito frequentiùs, imò penè semper, quietum orandi genus, non rarò etiam vnitiuum dare cœpit. Hæc postrema orandi ratio magnam sat magno temporis interuallo illi delectationem & spiritus suauitatem attulit, nec non incredibilem securitatem, quòd hæc illi beneuolentia ac gratia nonnisi à Deo descẽderet. Semper porrò hinc multò discedebat melior, & maiori mentis donata robore. Tandem, confessarij sui consilio ac suasu, pœnitentiam mortificationemque suæ addere orationi comitem cœpit, nec non quotidie aliquod Dominicæ passionis mysterium meditando euoluere, & quibus poterat modis, diuinis saporibus ac delicijs resistere. Bimestri circiter hunc orandi modum tenuit, atque interim, quò suauitatibus spiritus magis obluctabatur, eò illæ dabantur frequentiùs, vt quotidie in spirituali

Teresa gustus spirituales non desiderabat.

E Cap. 10.

E Cap. 12.

Ex Cap. 24.



Digitized by Google

rituali magis & magis itinere ſtadioq; progrederetur: Hoc euoluto tempore, ſuaſor illi B. M. Franciſcus de Borgia exſtitit, ne Deo ampliùs reſiſteret, ſed ab aliquo Dominicæ paſſionis articulo orationem auſpicaretur, & , ſi in ea mentem Dominus ſuſtolleret , ab eodem ſe ſineret abripi. Vnde non multò pòſt raptus pati & exceſſus mentis cœpit; in quorum plurimis cum illa Deus etiam familiariter loquebatur. hæc autē ſummi Numinis ſermocinatio ingentes producebat effectus, & inſignē in eius anima profectum fructumque cauſabatur. Exinde inſolitū quoddā viſionis illi genus obtigit, qua nempe Chriſtum Dominū ſibi ſentiebat adſtare præſentem, ſecum loqui (quamuis eum nec corporis, nec animæ cerneret oculis;) ac denique ſecum incedere, omnium actionum ſuarum teſtē & inſpectorem: quem etiam, cùm ſe pauliſper recolligeret, vel non multum ad exteriora effunderet , manifeſtè apud ſe ſentiebat ; atque hoc pacto fiebat, vt ſublimiores multò & altiores in ſe perciperet effectus, quàm eatenus experta erat . Harum ( inquit ipſa de ſe ) gratiarum vel vna ita animam immutare potis eſt , vt nihil ipſa præter eum amet, quem videt ; qui , etſi nullam ipſa à parte ſua adhibeat diligentiam , tam ingentium illam bonorum capacem reddit , adeò intima illi arcana communicat, itaque illi familiarem & amicum ſe præbet , vt ſcribi nequeat. Hæc illi viſio ad aliquot continenter adhæſit dies , tantumque inde animæ eius acceſſit emolumentum , vt orationem interim non intermitteret, daretque omnem quam poterat operam, ne qua in re quam ageret illum ipſum , quem operum ſuorum adeſſe teſtem tam manifeſtè perſpiciebat, offenderet. Haud multò pòſt viſiones imaginarias habere cœpit , in quibus ſæpè ſe illi Redemptor Ieſus ſpectandum dabat, etſi ſub initium totum ſe non manifeſtaret, ſed per partes paulatim , donec tandem totus tanta illi vultus apparuit pulchritudine , nullis vt hominum ea poſſet verbis exprimi. Hoc viſionum genus triennio propè toto illi frequens fuit ; ſed exinde ad aliquod temporis ſpatium eodem caruit , vt interim longè illi maiora altioraque Deus munera concederet, tam ingentes ac viuos inquam diuini amoris impetus, vt deſiderio propè emoreretur, ſeque ipſa non caperet: necnon alias viſiones admodum ſublimes , quas vltimis vitæ ſuæ capitibus ipſa deſcripſit. Hæc porrò aſſidua, qua fruebatur hactenus, Ieſu Chriſti præſentia in trium diuinarum perſonarum eſt commutata præſentiam , vt de ſe ipſa quadam in ſcheda exaratum in hæc verba reliquit: *Hac trium perſonarum, quam initio dixi, præſentia ad hunc vſque mihi diem commemorationi S. Pauli Apoſtoli ſacrum vt plurimum mihi præſens in anima exſtitit. Et quoniā hactenus nonniſi ſolum Ieſum Chriſtum habere præſentem conſuetā, hinc tres diuerſas cernere perſonas ſemper mihi inſolens & alienū videbatur, quāquā nōniſi vnū eas eſſe Deū intelligā. Cūq; hac de re mecū ipſa cogitarē, dicētē Dominū audiui*

E Cap. 27.

E Cap. 28.

Viſiones imaginariæ.

Redemptor Tereſæ ſe ſpectandum dat.

E Cap. 29.

Diuini amoris impetus.

SS. Trinitatis perſonarum præſentia.

 audiui

*audiui, errare me in eo, quòd quæ animæ sunt, eadem qua corporalia, hac repræsentatione mihi imaginarer; scirem proinde ea inter se admodum distare, & ipsam capacem esse animam, vt multa comprehendat.*

Qua autem circa vltimos vitæ annos vsa est orandi ratione, hæc ipsa est, quam ad Mansionum suarum libri calcem designat, quamque Matrimonij spiritualis appellat nomine. Ita porrò arctè Domino suo ac sponso fruebatur, vt ideò sibi grauem illum capitis, quem patiebatur, à Deo dari diceret identidem dolorem, ne hac in vita dulcibus sponsi amplexibus adeò pacificè frueretur. Hæc illi oratio numquam deerat, nisi quòd ex interuallo maius, aliàs minus inde animæ lumen accederet. Interim dum hac fruitur, nihil habuit, super quo confessarios suos anxiè consuleret, nisi fortè in rebus aliquot particularibus & casibus intercurrentibus. Verùm qui aliquatenus eius, ad quam ipsa tandem longo vsu peruenit sublimitatem orationis videre voluerit, eum ipsum, quem antè paulò laudaui librum, cui *Castellum interius*, vel *Mansiones* nomen est, consulat, in cuius sexta & septima eam mansione aliud nihil tractantem, quàm quæ huc spectant, videbit, atque ita in genere loquendo, declarantem, quæ sibi à Domino in spiritu communicabantur, Doctorem gentium Paulum quodammodo imitando dicentem: *Non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Christus.* Notandum porrò hoc vnum est, raptus illos, qui admodum illi initio frequentes erant, postea quò longiùs progrediebatur, præsertim in publico & coram alijs, non adeò crebrò illi accidere solitos. Rei huius caussam quadam in charta sic scripto commisit, *Cogitanti mihi ecquæ caussa sit, cur modò in publico numquam penè me contingat mente excedere, & in Deum extra me rapi; hæc facta vox est: Non est id quidem in præsens conueniens: iam quippe satis auctoritatis tibi comparasti ad ea quæ ipse specto: nefariorum hominum imbecillitati consulimus.* Ex quo enim sanctissimæ Trinitatis visiones, de quibus capite quarto dicendi erit locus, illi exhiberi consueuerunt, mentis alienationem pati desijt; etsi interdum postea eadem recurreret; quoadusque ad Incarnationis præposituram eueheretur: ab eo enim tempore nonnisi rarissimè, præsertim publicè eam passa est.

Matrimonium spirituale.

*Rom. 5.*

Cur publicè non pateretur raptus.

## CAPVT III.

*B. MATRIS TERESAE DE IESV ORANDI MOdus pluribus declaratur, idque eiusdem verbis, è quadam scripta narratione, quæ libris illius editis non comprehenditur, depromptis.*

ETsi quidem æquo sim longior, tamen antè dicta aperire clariùs & enucleare magis est animus, quoddam hic inserendo commentariolum illius

Digitized by Google

lius descriptum manu, quod ad meas deuenit manus, quo, quos à Deo acceperat orandi modos, est ipsa exactè complexa (quæ enim suis in libris sparsim hinc inde ea de re prodidit, simul hic vno est fasce complexa) ne scilicet pereant, vel in lucem proferri negligantur verba illa lectu adeò & intellectu digna. Sanè quæ superiori sum capite prosecutus, & præsenti etiam prosequar, magna mihi laudandi Altissimi fuerunt occasio, quòd tam eximias huic ancillæ suæ communicarit dotes & influxus, quodque gradus illos apertè hic expressos videam, per quos illam sensim tam sublimem prouexit. Qui verò hæc lecturus est, eamdem ea ob causam legat oportet; non verò vt eadem se planè euidenterque intelligere, & idem insistere iter conari, pares denique reuelationes & raptus velle debere credat. Stolidum quippe id & inane foret, ac prorsus inutile, vti 8. videre capite dabitur, quo, quæ Teresa orandi tradebat pręcepta, prosequimur. Id quippe humanis comparari viribus non potest, sed à Deo, quomodocumque & quando illi allubuerit, concedatur necesse est: quod qui alia obtinere se posse via sperat, næ ille multum ab eo, quod spectat & ambit, deflectit. Quocirca nemo inde superbiendi & errandi occasionem mutuetur, vnde sui humiliandi, Deique dilaudandi capere eum oporteat. Hunc ipsa commentarium ad suorum confessariorum quempiam scribit, quem antequam incipiat, in hæc verba præfatur: *In omnibus, quæ deinceps dicturus sum, id intelligere te velim, non id mihi propositum esse, vt rem hanc quam trado certam esse cogitem. Fieri quippe potest, ne me eam quidem intelligere. Verùm vnum hoc affirmare possum, nihil me hic allaturam, quod non aliquando, vel etiam crebriùs experta ipsa sim. Rectene vel secùs id fiat, R.V. dispiciet, meq; rei eiusdem certiorem reddet.* Inde ad rem hoc pacto descendit:

Fatuum est reuelationes desiderare.

*Videbor mihi rem gratam R.V. factura, & voluptatem allatura, quòd iam inde ab initio de rebus supernaturalibus agere incipiam, quas certum & indubitatum est, posse nos Deo dante hoc in mundo per deuotionem, teneras lacrymas, & assiduas nobis meditationes comparare Prima, quam, quãtum mihi quidem videtur, sensi, oratio supernaturalis (ita enim id appello, quod nostra industria & diligentia, quæcumque demum huius habendi adhibeatur, comparari nequit, tametsi huc se quis optimè queat, Dei succurrente gratia, quæ huc imprimis necessaria est, disponere) est quadã Dei præsentia, quæ quidem nullatenus dici visio potest; quotiescumque tamen quis diuinæ eius commendare se maiestati desiderat* (modò nulla mentis sit ariditas) *etsi ore verbisque prolatis dumtaxat id fiat, hãc sibi quodammodo inuenisse videtur.*

Primus orandi modus.

Omnis quidem oratio, quę meritoria est, supernaturale quoddam est opus, quòd supernaturali quadam ope instituatur: eam tamen supernaturalẽ hic Teresa per excellentiam vocat, quam, quocumque demum huc ipsi nisu connitamur, consequi non possumus, quòd nonnisi à Deo tota ipsa descẽdat; atq;, vt S. Dionysius scriptum reliquit, diuina homo in ea patiatur potiùs, quàm operetur. Ipsa quoq; Angela de Fulginio 62. libri sui capite eodẽ hanc declarat modo:



Digitized by Google

Secundus modus.

*Alter orandi modus, interior quædam est recollectio, quæ in anima sentitur; vt nō minus suos ea ibi habere videatur sensus, quàm in corpore habet exteriores. nā in se à strepitu ac tumultu exteriori sese diuertere ipsa velle videtur: (hinc etiam interdum hunc ipsa post se reijcit) & oculos occludere, nihil penitus audire, nihil etiā videre vel intelligere aliud illi volupe est, quàm id, quo tunc anima distinetur, soli scilicet Deo posse loqui. Nulla hic sensuum vel facultatum fit priuatio: omnia enim integra manent, sed ea dumtaxat recollecta sunt, vt in Deo occupentur. Facilè id intelliget is, cui sentire simile à Domino concessum fuerit; non verò ille, cui id negabitur, nisi multis fortè verbis & comparationibus hanc ad rem adhibitis.*

Secundum hunc orandi modum Teresa primo posuerat loco: at quoniam in eiusdem fine oblitam se alterius cuiusdam ait, quem ante hunc frequentarat, ideò hunc principe loco visum est ceteris præponere.

*Ex hac recollectione nascitur in anima interdum quietudo quædam & pax interior, eaq; suauis admodum & blanda: nihil vt sibi deesse putet, imò ipsum etiam loqui graue sibi existimet, & nonnisi amare vellet. Atq; hoc aliquo modo diuturnum est, imò etiam satis diuturnum.*

Potētiarum somnus.

*Ex hoc orandi modo sequitur vt plurimum sopor quidam, quem potentiarum somnum dicunt, vt hæ nec absorptæ penitus sint, nec ita suspensæ, vt raptum dicere possis, etsi etiam omnino non sit vnio. Interdum, imò etiam sæpiùs, intelligit anima, solam voluntatem vnitam esse; facilè quippe perspicitur (vt quidem videtur) eam penitus in Deo occupatam esse, & animam ipsam videre vnde proueniat, quòd alia tunc in re esse nequeat vel operari; aliæ autem duæ potentiæ liberæ tum prorsus sint, vt alijs ad Dei obsequiū spectantibus rebus & operibus vacare possint: Martha denique & Maria simul iungantur. Percunctabar P. Franciscum Borgiam Soc. Iesu Generalem, num aliqua hæc esset illusio: hoc quippe mihi scrupulum admirationemq; mouebat. roganti is respondit, persæpè id posse contingere, si quando verò omnium animæ potentiarum est vnio, longè alia est; nullum quippe tunc exterius opus operari ipsa potest. Intellectus siquidem quodammodo perculsus & consternatus est; voluntas verò magis amat, quàm quid intelligat; nec quidem intelligit, si amet, nec quid faciat, ita vt ipsum quid sit, dicere nequeat. Neq; etiam, quātum mihi quidem videtur, vllam tunc anima habet memoriam, vel cogitationem; imò ne sensus quidem corporis tunc experrecti vigilant; siquidem is tunc eius est status, quasi eos omnes amisisset, quò magis vacet, seque dedat ijs, quibus tum fruitur: nam hi, vt ipsa quidem sentio, breui illo temporis interuallo planè perduntur. Nec verò id admodum diuturnum est tamen ex humilitatis aliarumquè virtutum ac bonorum desideriorum, quibus tum anima locupletatur, thesauris ingens apparet bonum, quod illi per hāc gratiam accessit. Sed quale demum id sit, verbis exprimi nequit. Etsi enim id animæ possidenti intelligendum detur, nescit ipsa tamen id quomodo intelligat, nec etiam, meo quidem iudicio, verbis exponere. Si gratia hæc vera est, nullam sanè ea maiorem in hac via spirituali conferre Deus potest, aut saltem de maximarum illa numero est, si & raptum & suspensionem demas.*

Vnio omnium potentiarum.

Hac,

Digitized by Google

*Hæc, quantum ipsa quidem intelligo, omnia idem prorsus sunt; vocare id tamen ipsa suspensionem soleo, ne raptum id dicam, quæ stuporem vox mouere audienti solet. Et sanè hæc quam dixi vnio, suspensionis etiam dici potest nomine. Hoc verò inter illam & raptum est discrimen: quòd raptus sit diuturnior, & magis in his exterioribus sentiatur: quia & respirandi paulatim deficit facultas, adeò vt nec lingua laxari, nec oculi aperiri queant. Etsi verò hoc ipsum in vnione etiam fiat, in raptu tamen id fit vehementiùs & apertiùs: quòd naturalis calor, quando insolitus quidam & maior raptus est, aliò nescio quò recedat: (nam in omnibus hisce orandi modis magis & minus habet locum) si enim vti dico, insolitus & ingens est, manus rigore congelascũt, & interdum etiam insensibiles adinstar stipitum extenduntur: corpus verò, si stanti vel flectenti raptus incidat, in eodem manet situ; anima verò illorum, quæ à Domino ipsi repræsentantur, fruitioni adeò immergitur, vt corpus ipsum animare obliuisci videatur, ipsumq; abiẽs deserat. si verò is diuturnus sit, ad ipsos vsq; neruos hic se sensus extendit. Censeã equidẽ, Dominũ velle, vt in raptu potiùs anima intelligat & cognoscat ea quibus fruitur, quàm in vnione. hinc etiam nõ rarò in raptu nõnulla illi diuina arcana reuelãtur; quosq; tũc ipsa in se experitur effectus, maximi sunt, vti & suipsius obliuio, quòd potentem illum Dominũ ac Deum ab omnibus cognosci ac laudari velit. Non potest, vti ipsa quidem sentio, si à Deo is descendat, non insignem tunc ipsa cognitionem obtinere ac perspicere, nihil se hic penitus potuisse, nec non suam intelligere miseriam, atq; ingratitudinem, quòd nõ pro eo atq; oportuit illi Domino seruierit, qui nonnisi è sola bonitate sua tam singularem sibi contulit gratiam: nam hic sensus & suauitas longo excedunt interuallo omne id, quod cum illis hic comparari queat: nisi enim sensim horum euanesceret memoria, semper illi voluptates & recreationes omnes mundanæ abominabiles viderentur. hinc, quidquid mundanum & terrenum est, flocci facit & velut nihilum reputat.*

Differentia inter raptũ & vnionem.

Raptus descriptio.

*Quod porrò inter id, quod suspensionẽ dixi, & raptũ sit discrimen, hoc est: in suspensione siquidem anima paulatim rebus hisce exterioribus moritur, illarumq; sensum amittit, Deoq; viuere incipit. Raptus verò cum vna tantùm venit notitia, quam diuina illius maiestas in intima animæ infundit penetralia, ea quidem velocitate, vt ab illo ipsa sibi in superiorem sui partẽ videatur sustolli nam vt illi quidem videtur, corpore se putat excedere. Quare principio insigni quadam illi opus est generositate, qua se totam intra Dei manus consignet, & voluntati eiusdem resignet, vt ipsam ille, quocumque voluerit, deducat Nam quoadusq; in pace illam diuina maiestas constituat, ad quam eam ipsa trahere vult (trahere inquam eò, vt sublimia intelligat) certum est initio promptam quamdam requiri pro ipso mortis oppetendæ voluntatem ac propositum, nescit quippe misella anima, quid illud futurum tandem sit; scilicet sub initiũ. Hoc enim pacto virtutes, mea quidem sententia, magis roborantur & indurescũt; quia magis ipsa denudatur, & magni illius Dei potestas magis manifestatur, vt proinde timeatur & ametur; quandoquidẽ hac ratione, cùm aliud nõ possimus, animã quidẽ, vtpote illius dominus, rapiat. Hinc illi summus quidã dolor manet ac pœnitẽtia, quod ipsũ offenderit, simul etiã stupor cõsternãs, quod in tã sublimẽ pec-*

Suspensio & raptus.

*peccare sit ausa maiestatem, nec non anxium & maximum desiderium, quo nullum penitus esse optet mortaliũ, qui in ipsum delinquendo insurgat, sed omnes in illius laudes prorumpere desideret. Crediderim equidem, ardentissima illa, quibus animarum salus expetitur, desideria simul etiam singularem huc quoquo modo cooperandi voluntatem, atque vt magnum illud Numen, prout meretur, ab omnibus colatur & celebretur, ab hocce fonte proficisci.*

Spiritus volatus.

*Spiritus volatus est quid (quod, quo potiori dicam nomine, nescio) ab intimo animæ penetrali ascendens. Huius solius comparationis recordor, quam eo ipsa posui loco, quo tu has orandi rationes aliasque pluribus à me deductas nosti: tam tenuis namque mea est memoria, vt statim me rerum capiat obliuio. Anima siquidem mihi & spiritus vnum quid videntur, eaq; esse velut magnus quidam ignis, & iam ad ardendum dispositus, sic namque anima è dispositione, quam à Deo habet, suam velut ignis iam iam arsurus, flammam eiaculatur, quæ sursum efferatur: quamquam ea non minus sit ignis, quàm qui infernè manet, &, licèt flamma hæc in altum feratur, non propterea infernè ignis esse desinit. Ad eumdem quoque modum hic in anima se res habet, videtur namque hæc tam repentinum quid & delicatum ex se producere, vt ad superiorem id partem sursum euolet, & eò demum properet, quò Domino placuerit: quod pluribus & apertiùs declarari nequit, adeò vt celer quidam volatus esse videatur. cui enim alteri rei comparem nescio. Scio tamen id euidenter satis intelligi, & impediri minimè posse. Censeas scilicet auiculam hanc ex huius carnis miseria & corporis huius carcere euolare, itaque magis & solutiùs ijs, quæ illi à Domino voluptates communicantur, insistere posse. Adeò id quidem subtile ac pretiosum est, prout quidem id anima complectitur, vt nulla in eo esse videatur illusio, nec in horum aliquo, si quando hoc sentitur. Exinde verò mirus enascebatur timor, quòd cui hæc obtingebant, adeò foret miserabilis, vt meritò sibi videretur posse timere omnia; etsi in anima interiori interim magna quædam lateret certitudo ac securitas, cum qua quidem viuere poterat: non tanta tamen, vt propterea omnis illi non adhibenda esset diligentia, ne quomodo deciperetur.*

Impetus.

*Impetum vehemens voco quoddam desiderium, quod animam interdum occupat, quamuis id nulla præcesserit oratio (quin etiam vt plurimum sic contingere solet;) sed nuda ac repentina dumtaxat recordatio, qua à Deo se absentem esse ingemit, vel auditum dumtaxat verbulum, quod eò referri queat. Adeò quidem potens, & eius interdum efficaciæ hæc recordatio est, vt vno animam extra se rapere momẽto videatur. Atque vt, dum subitò triste aliquod nuntiatur infortunium, quod antè ignorabatur; vel dum repentinus aliquis impetus ingruit & consternatio, quæ omnẽ intellectui ratiocinationem, qua se consoletur, auferre videatur, anima perculsa ac velut consternata hæret: ita quoque hic contingit, præterquam quòd hanc ob causam pœna nascatur; quòd scilicet ea in anima cognitionis lux maneat, vt quæ hoc nomine oppetenda esset mors, gratam & velut optandam habeat. Tale denique quid est, vt, quidquid tum anima intelligit, nonnisi maiorem ei causari cruciatum videatur, & ipse etiam Deus nolle videatur, vt omne illius Esse illi prosit; imò ne quidem recordetur,*

*tur, vnius illius se voluntate viuere, sed in tanta se agere credat solitudine, & totali ab omnibus derelictione, verbis vt exponi nequeat. Vniuersus siquidem mundus, & quidquid est, ipsam torquet; ac nihil demum creatorum ipsam recreat, nec præter vnum procreatorem suum aliud concupiscit: quem tamen habere sibi videt impossibile, nisi ex hac vita emigret. Cùm verò seipsa enecare nequeat, solo moriēdi desiderio emoritur, adeò quidem, vt verè in moriendi versetur periculo, seq; suspensam quodammodo cœlum inter & terram videat, vt, quid de se ipsa factura sit, nesciat. Paulatim quoque magnam sui illi Deus communicat cognitionem, vt videat, quantum amittat, idq; modo tam exotico & nouo, vt dici nequeat: nullus quippe in mundo modus est eorum quidem, quos ipsa experta sum, qui hūc æquet, vel assimilet. Hoc vnum sufficit, quòd vel media, qua durat, hora corpus ipsum adeò debilitet, & ossa ita luxata eneruet, vt ne manus quidem calamo characteres formare queant, & grauissimos persentiāt dolores. Nihil porrò horum anima ipsa sentit, donec hic impetus pertransierit: nam interiori persentiendo tota distinetur. imò ne dirissimos quidem mea opinione tunc persentisceret cruciatus, cùm tamen omnium sensuum functionem exerceat, imò etiam loqui, & obtutum defigere queat, non tamen incedere: ingens namque amoris vehementia & impetus ad terram ipsam deijcit. Etsi verò huiusce rei habendæ propè emoriatur desiderio, frustra tamen est, & eam impetrare nequit, nisi Deus hanc concedere dignetur. Impetus hic maximos in anima relinquit effectus, & lucra incredibilia. Qui quid sit, non conuenit inter Doctores; hic enim hoc modo, alter alio definit; nemo tamen ipsum vt delusorium condemnat. Quin imò Magister Auila per epistolam me monuit, rem bonam esse; atq; ita ad vnum omnes sentiunt. Ipsa quoque anima insigne id Dei donum esse intelligit. Quod si crebrius & frequentius foret, vita foret breuior. Impetus vt plurimum hoc solenne habet, vt hic Deo famulandi ardor, magna cum animi teneritudine, nec non lacrymarum accedente copia, & vehementissimis hoc egrediendi exilij loco desiderijs ingruat: vbi tamen liberum anima tempus considerandi habuerit, voluntatem esse Dei in hac se vita permanere, hoc se ipsa cogitatu consolatur; suum quoque illi offert viuere, ex animo eum obsecrans, vt non alium quàm maiorem nominis illius gloriam sua vita scopum respiciat.* Atq; ita vlteriùs pergit:

*Hāc anima suspensionē explicat Thaulerus cap. 35. Inst.*

*Læsio.*

*Alia denique orandi ratio, satis reuera frequens, est quoddam læsionis genus, qua anima suum veluti sagitta quadam cor transfigi, imò etiam seipsam iaculo feriri credit, vt hæc illi ingentem læsio causetur dolorem, ipsaque in planctus querula prorumpat. hic tamen dolor adeò blandus ac suauis est, numquam vt eodem carere vellet. Hic porrò dolor sensibus non percipitur, vnde nec materialis quædam est plaga; sed in intimis animæ sit est penetralibus, nullū vt corporalis doloris sit signū vel nota. Verùm cùm hoc nonnisi comparationibus ac similitudinibus possit intelligi, hæ crassiores & ab omnibus intelligibiles adhibentur: tales quippe sunt, si cum hac re comparentur; aliter enim id ipsa exponere nequeo. Hæc proinde talia sunt, quæ nec verbis exprimi, nec scripto debeant; quod eadem nemo possit intelligere, nisi fortè qui eadem in se fuerit expertus; eatenus inquam intelligere, quatenus hic se dolor*

Dolores spiritus à doloribus corporis differunt.

*extendit. spiritus quippe dolores à corporeis permultum distant. Atque hinc eruo & assequor, quo animæ, quæ in inferno ac purgatorio versantur, modo plura patiantur, quàm hac in vita, ad corporalium cruciatuum mensuram, ab hominibus comprehendi queat. Huc accedit, quòd hæc amoris læsio ab intimo animæ procedat. Vehementes porrò illius effectus sunt: quam tamen si Deus concedere non dignetur, nulla eius obtinendæ, etiam omni adhibito conatu, suppetit ratio, imò nec eius auertendæ, si quando eamdem elargiri visum Deo. Sunt hæc veluti diuina quædam desideria, adeò quidem viuacia ac subtilia, explicari verbis vt nequeant. Quòd autem anima se ligatam videat & impeditam, quò minùs Deo, vti quidem vellet, fruatur; hinc fit, vt corpus abhorreat, ipsumq; ceu parietem quemdam esse censeat ingentem, qui suo animam impediat obiectu, quò minùs perfectè potiatur eo, quo se tum intra se (vti quidem sibi videtur) intelligit potiri, nisi per corpus obstaret. Tum quoque perspicit ingens & graue illud malum, quod Adami præuaricatione in hominum genus descendit, per quod scilicet hanc omnes libertatem amisimus. Hoc porrò orationis genus ante raptus, & ingentes eos quos dixi impetus haberi solet. Dicere penè omiseram, non aliter sublimes hosce impetus plerumque semper auferri solere, quàm vbi raptus repentè ingruit, aut extraordinaria aliqua gratia, & consolatio Domini, in qua & animam ipse consolatur, & animat, vt sui vnius causa vitam viuere pergat. Quidquid hactenus prosecuta sum, non est ceu imaginarium & inane quoddam commentum, ob aliquot, quas longum enumerare foret, rationes. Num tamen hic in omnibus rectè sentiam, nec ne, nouit Dominus. Effectus, & qui inde ad animam redundat fructus, non possunt non, quantum mihi planè videtur, percipi.*

Subtilia desideria, quæ verbis exponi non possunt.

Hæc, quæ huc vsque attuli, verba sunt beatæ Matris Teresæ, quæ huc me etiam attulisse summoperè gaudeo; quòd ea manifestæ declarationis cuiusdam loco futura nobis illorum, per quos ad tam sublimem orationis modum ipsam Deus deduxit, graduum videantur. Atque hæc potissimùm causa est, cur hoc eadem loco descripserim, non verò, vt ex illis, quæ orandi sit ratio & modus seruandus, edocerem: neque enim huius ea res loci est, aut temporis. Ipsa nihilominus ceu breue quoddam nobis sunt compendium eorum, quæ grauissimi ac doctissimi quique de his sublimibus orationis modis auctores scripto prodidere: vnde, quibus horum aliquid à Deo communicatum est, proficere, & fructum sibi capere aliquem indubiè poterunt.

## CAPVT IV.

### *DE INSIGNI RERVM COELESTIVM NOTITIA, quam orationis illi adminiculo Dominus contulit.*

QVoniam verò de eius orandi genere loqui exorsus sum, quidquid huc quoquo modo spectat, antè, quàm vlteriùs prouehar, depromam ne-

necesse est; quamquam ad alias ipsius sponte sua properet virtutes oratio, quòd illarum occasione ad eius honorem & gloriam, qui vsque eò perfectas has illi tribuit, & ad animarum perfectioni inhiantium profectum plurima dicenda erunt: sed congruus dicendarum ordo rerum hoc quod proposui suo id à me iure videtur exposcere. Velim autem eos, qui hæc lecturi sunt, ea, quæ prioribus duobus libri primi capitibus prosecutus sum, denuo relegant, nec non tertij hocce libro capitis exordium: quæ enim modò allaturus sum, ijs aliud non specto, quàm vt illa & admiremur, & diuinum propterea nomen celebremus, non verò vt eadem æmulando assequamur; cùm penitùs id fieri nequeat, ac stolidum foret id velle conari. Si quando duo arcta quadam inter se necessitudine iuncti sunt, sua inuicem aperiunt ac produnt arcana; nam iuxta vetus illud adagium, *Amicorum omnia sunt communia.* Hinc, dum nefandas illas ciuitates euersurus erat Omnipotens, ait: *Num celare potero Abraham quæ gesturus sum?* Nec non apud Amos Prophetam hunc in modum loquitur: *Nõ facit Dominus Deus verbum, nisi reuelauerit secretum suum ad seruos suos Prophetas.* Apostolos etiam suos hoc modo Redemptor compellat, *Iam non dicam vos seruos, sed amicos: quia seruus nescit quid faciat Dominus eius. Vos autem dixi amicos: quia omnia quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Gen. 18. Amos 3. Ioan. 15.

Sic diuersimodis se Redemptor Christus visionum generibus Teresæ de Iesu spectandum dedit & manifestauit, ac sæpè cum ipsa familiariter admodum & amicissimè est collocutus, insigniaque illi arcana reuelauit. Iam antè narratum est, ostensum illi ab eo infernale barathrum, ac simul etiam locum in eodem sibi paratum, si, quod cœperat insistere iter, in eo vlteriùs fuisset progressa, ac nisi, velut nouus quidam Abraham, præ potenti illius dextera, à Chaldæorum fuisset igne liberata. Fuit, cùm illi gloriam manifestauit cœlestem, & præ alijs animabus ibi parentem vidit vtrumque; & breuissimo temporis spatio res conspexit altissimas, nec non profundissima intellexit arcana, quæ nullis exponi possunt verbis. quo è conspectu tam vberi plenaque perfusa voluptate est, oratione vt nequeat comprehendi. Aliàs plusquam horæ spatium apud ipsam Dominus egit, mirabilia ac magnalia illi magna manifestans. Visiones & colloquia familiaria Christi cum Teresa. E Cap. 32. E Cap. 38.

Cùm quadam vice vniuersæ seriem vitæ illi Dominus in memoriam reduxisset, ita mente extra se rapta est, vt suam extra corpus versari animam crederet; ignoraret saltem, veréne tunc in corpore animaret, vti Doctor Gentium Paulus sibi contigisse scribit; ac tum quidem sacram Domini nostri Iesu Christi humanitatem maiori, quàm hactenus gloria fulgentem conspexit. Videre tum sibi illum admirabili quadam notitia visa est in Patris cœlestis considentem sinu, vt tamen, quomodo factum id esset, ipsa ignoraret, hoc vnum dumtaxat sciret, se tam sublimi arcano mysterioque præsentem adesse. Ita quidem 2. Cor. 12.

tum abrepta fuit, vt nonnisi multis pòst diebus ad sese ipsa rediret, semperque sibi præsentem illam filij Dei maiestatem spectare videretur: è quo etiam conspectu summa ad animam & consolatio & fructus dimanauit. Hæc illi visio & aliàs deinde oblata est, quam etiam omnium sibi à Domino aliquando communicatarum esse dicebat summam & diuinissimam.

Ex Cap. 39.

Quodam tempore cùm ardens quoddam illi sacrosancti Eucharistiæ panis sumendi desiderium inspiratum esset; iam sacram subiens ædem in raptu cœlis apertis quemdam in throno vidit considentem, & sublimi quadam, quæ tum illi communicabatur, notitia præsentem illic adesse Diuinitatem (tametsi eam ipsa non videret) cognouit innumera Angelorum circumcinctam multitudine; & eam maiori sanè maiestate & pulchritudine, quàm viderat hactenus. Tam eximiam tum in se sentiebat gloriam, verbis vt nec exprimi, nec cogitatione queat comprehendi. Nihil quidem videbat, at, quidquid desiderari & optari poterat, illic congregatum intelligebat adesse. Dictú illi, nihil hic aliud ipsam melius posse agere, quàm intelligere, nihil se hic posse penitus intelligere; simul etiam perpendere, quàm vniuersa nihil essent, cum hoc si comparentur. Hoc ad duas horas in raptu mansit. Cùm verò S. Athanasij symbolum: *Quicumq; vult saluus esse*, recitaret, sublimem illi Dominus ac perfectam SS. Trinitatis notitiam dedit, quomodo nimirum vnus dumtaxat esset in personarum trinitate Deus, idque quadam charitate, quàm hoc in exilij loco haberi potest maxima. Exinde illi magna semper quoad sublime & augustum hoc mysterium lux in animo mansit, & singularis consolatio.

Quomodo sit Deus cū anima, quæ est in gratia.

Quadam in charta hanc illius manu exaratam visionem legi: *Postridie feriarum Apostolo Matthæo sacrarum, cùm essem prout solebam inde vsque ab eo tempore, quo SS. Trinitatis mihi oblata visio est, manifestè, quo illa in anima existat modo, quæ in gratiæ versatur statu, mihi reuelatum est, vt certa quadam ratione, & per similitudinem id per visionem imaginariam viderim. Etsi verò aliàs mihi intellectuali visione Sanctißima apparuerit Trinitas, illius mihi veritas ad dies pòst aliquot præsens non mansit, vti modò, vt nimirum ipsam cogitatione agitare, & inde me consolari possem. Iam video, mè quidem à litteratis id olim sic didicisse & audiuisse, non tamen intellexisse, vti modò id intelligo, etsi semper id sine vlla dubitatione ac firmiter crediderim.* Alia verò in charta id scriptum erat: *Die Martis post Ascensionem Dominicam, cùm diutiùs essem in oratione post sacram synaxim versata; etsi non sine pœna, quòd ita sensibus hinc inde aberrantibus distracta essem, vt vni alligare cogitationem rei non possem, cum Domino de misera nostra & imbecilli natura conqueri cœpi. Tum verò anima cœpit inflammescere, cùm apertè mihi audire videbar, vniuersam me in intellectuali visione Sanctißimam Trinitatem præsentem habere: in qua anima mea, quodam repræsentationis modo, qui quadam erat ceu veritatis figura, quò nimirum mentis id stupor caperet, intellexit Deum trinum esse*

*esse & vnum. Hic tres mihi simul personæ mecum loqui videbantur, ac distinctè sese in anima repræsentare, iam inde ab hoc die asserentes in tribus me rebus emendationem in anima percepturam mea, quarum singulas personæ illæ singulæ mihi collaturæ essent; in charitate primùm, dein in tolerando cũ gaudio, deniq; in charitate hac quodam cum ardore & incendio in animo sentienda. Tum aũt illa Domini ex ore verba intellexi, ipsas tres Deitatis personas cum anima, quæ in gratia diuina conquiescit, cõmorari, quòd illas eo quo dixi modo mihi præsentes adesse cernerem.* In alia scheda de eadem loquens materia in hæc verba scribit: *Ita mihi se exhibuisse visus est, vt dum aqua spongiam penetrat, & eamdem peruadit: ita enim mihi anima diuinitatem hanc mea imbibisse videbatur, & tres diuinas personas in se quodammodo cõplexa, easq; in se habere. Tum simul etiam hæc intellexi: Noli enim, vt me conclusum habeas in te, sed te intra me cõtineas. Atq; ita tres illas personas intra animã abscondi meam putabam, meq; illas ita se rebus omnib. creatis communicare videre, vt tamen à me numquam recederent.* Vt verò Salmanticam abijt, vt suarum illic constitueret domicilium, hiscè de rebus cum P. Martino Guterrio Collegij Societatis Iesu eadem in ciuitate Rectore coram contulit, qui, pręterquam quòd esset litterarum eruditione & iudicio eximius, magnam rerum spiritualium nactus erat experientiam. ab illo igitur audiuit, hęc quæ commemorauimus, à SS. Trinitate proficisci, & ita quidem sublimiter, vt altiùs ascendere in mortali hac vita nemo queat. Idẽ quoq; de se ipsa scripsit, cùm Hispalense cœnobium fundaret, *Quadam die cùm orationi ardenter insisterem, meam sensi animam tam profundè in Deum absorptam, vt nullus iam mihi superesse mundus videretur; sed is in se absorptæ & immersa hunc mihi versiculum è Deiparæ Matris cantico, Exultauit spiritus meus in Deo salutari meo, sic exposuit, vt nec id modò obliuisci possim.* Scriptum insuper erat: *Ipso S. Augustini festo die, cùm à sacra surrexissem mensa, sublimi quadam ratione (nescio tamen quomodo, quòd intellectui res repræsentaretur, & repentè pertransiret) mihi manifestatum est, tres sacratiss. Trinitatis personas, quas animo insculptas gestabã, eiusdem planè in se essentiæ esse. Declaratum hoc mihi noua quadã & inuisa fuit colligatione, & lumine adeò perspicuo, vt aliã longè ac differentem in me causata sit operationem, quàm si nuda dumtaxat credidissem fide. Hinc factũ est, vt nũquam ampliùs exinde de aliqua singillatim sanctiss. Trinitatis persona cogitare possim, quin ilicò menti, eas tres simul adesse, occurrat. Adeò vt, cùm hodie mente agitarem, quomodo, cùm tres illæ personæ vnum dumtaxat sint, filius solus carnem humanam assumpsisset; declararit mihi Dominus, quomodo, etsi vnum idemq; sint, tres nihilominus personæ inter se distinctæ ac diuersæ sint. Sunt talia scilicet hæc magnalia, vt noua animæ ex hac vita emigrandi injciant desideria, quòd terrenum hoc corpus impediat, quò minùs ijsdem hæc penitus perfruatur. Quamquam verò nostra nihil horum infirmitas comprehendere posse videatur, multò tamen, licèt hæc in momento pertranseant, inde maius ad animam emolumentum & fructus accedit, quàm vel multorum comparare annorum sibi meditatione possit, tamen, quomodo hæc fiant, intelligere nullo modo queat.*

Ioan. 14.

Cognoscit Teresa SS. Trinitatis personas vnam esse essentiam.

Eodem item loco hæc perscripserat: *Cùm quodā tempore hanc triū personarum, quā animo insixā gero præsentiā, præsentem haberem, tanta mēti oborta lux est, vt indubitatè crederē, ac certa planè esse, Deū viuū ab verū præsentē illic adesse; hic porrò mihi talia manifestabantur, vt ea pòst referre non possem. Atq; inter cetera, quo modo Dei filius solus carnem humanā assumpsisset, non verò reliquæ duæ personæ. Nihil tamen horū, vti dixi, referre possem: horū enim quadā tā profundè in anima mea penetrale penetrabant, vt intelligere ea intellectus non aliter videretur, quàm dormiens, vel semisopitus se putat intelligere, quæ ab alio dicuntur.*

Putat Teresa Deo se esse plenam.

Vltimo vitæ suæ capite hæc scribit: *Tam peregrinus mihi incidit raptus mentis, vt, qualis fuerit, explicare non valeam: videbar mihi repleta & adobruta claritate illa, quam aliàs senserā. Hac in gratia quædam mihi est declarata veritas, quæ omnium est veritatum adimpletio: quo hoc tamen contigerit modo, dicere non possum, quòd neminem viderem. Dictum mihi fuit, etsi non viderem, à quo, (quamquam facilè intellexi, hæc à veritate ipsa verba proferri:) Quod pro te facio, non sanè exiguum quid est, nam de horum est numero, ob quæ mihi multum ipsa debes: omne enim, quod mundo accidit damnum, inde ortum habet, quòd sacræ Scripturæ veritates clara veritate non cognoscantur: cùm eius ne vel apex quidem frustra futurus sit. Equidem indubitatè semper illa mihi credidisse videbar, & fideles omnes ita mihi credere persuadebam. Tum ille: Hem, quàm pauci, filia mea, verè me diligunt! qui si me sincerè diligerent, mea illos secreta non celarem. Scisne quid sit me in veritate diligere? id demum est, nosse, quidquid mihi gratum non est, mendacium ac falsum esse. Clarè videbis illud, quod modò non comprehendis, in eo, quem tua hinc anima profectum hauriet, atque ita id reipsa cōperi. nam Deo laus, quidquid ad diuinum non tendere obsequium video, tanta mihi esse videtur vanitas ac mendacium, vt, sicut ipsum intelligo, nequeam exponere, vti nec illam commiserationem ac compassionem, qua compatior illis, quos hanc ignorare veritatem video.*

Quid sit Deum verè amare.

Mox quæ inde animæ emolumenta accesserint recenset. Paulò verò inferiùs hæc subdit: *Quodam tempore oranti mihi subitò ac repentè, nihil vt formatum cernerem, in spiritu oblatum (sed oblatione admodum sublimi) quomodo nimirum creata omnia videantur in Deo, & quo hæc ipsa modo in eo comprehensa sint. Id quomodo commodè describam nescio: sed hoc animæ intimè meæ insculptum mansit: atque hoc de maximorum, quos mihi Dominus elargitus est, fauorum numero est. simul & eorū, qui maiorem mihi confusionē ac pudorē incussere, dum videlicet commissa in memoriā reuoco flagitia.* Deinde visa, prout potest, sic exprimit hac adhibita cōparatione: *Dicamus diuinitatē esse ceu adamantē vniuerso mundo maiorē, & in quo quidquid agimus, clarissimè perspicitur, ita tamen, vt omnia in se complectatur: nihil est quippe, quod extra hāc magnitudinē exclusū sit. Mirabile sanè fuit, in fulgido hoc adamante tā breui spatio tā multa iūctim videre; quin etiā meminisse piget, quotiescumq; res adeò turpes & fœdas, qualia videlicet peccata mea sunt, in pura illa claritate repræsētatas fuisse memini. Et sanè quoties recordor, quomodo id ferā nescio, atque exinde adeò plena pudore mansi, vt quò me abderem, nescire mihi viderer, &c.*

Quomodo omnia in Deo sint.

Vi-

Vidit quoque permulta ad sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum spectantia, vt suo dicam in loco. Profectò, si omnia illi à Domino communicata magnalia & reuelationes hic dicere aggrederer, numquam finem inueniret narratio. Certum quidem illud habemus, singularia ab ipsamet magnalia studio suppressa fuisse, atque horum plurima scripto committere noluisse, vt manifestè ipsa vigesimo septimo eiusdem libri capite testatur, vbi hæc scribit: *Ea porrò familiaritate & amicitia cum ipsa agit, vt nullus id oratione consequi possit: nam interdum tam præstantes in ipsam confert gratias, vt aliquam dubitandi materiam ansamque videantur includere, cùm quòd adeò illæ sint admirabiles, tum verò quia in illam collatæ, quæ eas tam parum promeruerat: nisi enim fidem quis viuacissimam habeat, fidem minimè inuenient: quapropter pauca admodum de illis referre decreui, quæ mihi Dominus est elargitus, nisi aliud mihi à superioribus iniungeretur*. Capite verò trigesimo & secundo, illâ de infernali loco commemoratâ visione, in hæc scribit verba: *Hæc postquam vidi aliasque res magnas, & nonnulla arcana, quæ Dominus per id, quod ipse est, mihi dignatus est circa illam gloriam, quæ iustis est danda, & de impios manentibus cruciatibus ostendere*, &c. Capite autem duodequadragesimo sic: *Plura his de rebus scribere ac loqui nolo, quia, vti dixi, id minimè est necessarium, etsi plurima mihi Dominus singulari suo fauore dignatus sit ostendere.*

## CAPVT V.

### *DE PROPHETIÆ SPIRITV, quem accepit.*

QVæ ad spiritum Propheticum spectant, ita cum hisce visionibus, & magnorum arcanorum, quas superiori capite tetigimus, reuelationibus coniuncta & connexa sunt, vt separari inuicem nequeant. quare mecũ ipse statui nonnulla illius hic commendare vaticinia, vt ad oculum pateat, quo id Ioelis modo in ipsa completum sit oraculum: *Effundam spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ*: *Ioel. 2.* In veteri Testamento celebres aliquot fuere Prophetissæ, quales Maria soror Mosis, Debora Isaiæ vxor, quam ipse libri sui cap. octauo Prophetissam vocat, Holda Regis Iosiæ tempore, Anna denique filia Phanuelis. *Isaiæ 8.* Apud Ethnicos verò viguere Sibyllæ, quarum etiam non minùs manifesta exstant de vitæ ac mortis Domini nostri Iesu Christi mysterijs, ac supremo iudicio oracula, quàm sunt sanctorum apud Hebræos Prophetarum.

In nouo verò Testamẽto lõgè maior vtriusq; sex' vatũ fuit numer', ꝙ in eo illud, ꝙ è Ioele iã antè deprõpsimus, oraculũ adimplendũ erat. Agmen ducit Phi-

Philippus de septem diaconorum ab Apostolis electorum numero vnus, *Actor. 21.* eiusque quatuor filiæ virgines. Eratque donum hoc illis temporibus adeò inter Christianos frequens & obuium, vt opus præmonere habuerit Apostolus, *2. Cor. 11.* quo se gerere deberent modo mulieres, quando in Ecclesia & conuentibus oracula effunderent, quomodo viri. Quin etiam è decimoquarto eiusdem Epistolæ capite liquidò satis colligitur, **Prophetiæ gratia in Ecclesia Dei continua fuit.** quàm hæc prophetiæ gratia in Corinthiorum Ecclesia communis & obuia foret: quod ipsum & in alijs Ecclesijs locum habebat. S. Iustinus Martyr dialogo cum Tryphone, ad sua vsque tempora prophetiæ gratiam in *2. 2. q. 174. art. vlt.* Ecclesia floruisse testatur. Ipse etiam Angelicus Doctor Thomas, iam inde ab Apostolorum temporibus semper hactenus fuisse prodidit, qui prophetiæ habuerunt spiritum, & hanc in rem testem producit S. Augustinũ, *Li. 25. de ciuit. c. 26.* qui Theodosium Imperatorem in angustias ab hoste redactum, ad Ioannē Aegypti monachum, prophetico donatum spiritu, misisse sciscitatum de belli euentu scribit, & ab eo didicisse, insignem se de rebellibus Imperij Rom. hostibus victoriam relaturum. quod etiam ita factum. Id Dei munus & charisma ad nostram vsque tempestatem in vtriusque sexus sanctis continua serie perpetuum fuit, vt primi libri capite primo pluribus declarauimus.

Villa Castinij (opidum est Castellæ Antiquæ notum satis, & natale mihi solum) ab hinc annis non ita multis, tempore scilicet Regis Hērici Morbidi, quidā verè spiritu instructus prophetico multas variasq; Castellæ impendentes calamitates, quæ etiam ex ordine contigerunt, prædixit. ipsum quoque Regem sancta quadam & prophetica libertate intrepidè adeò coarguit, vt linguam illi Segobiæ Rex præcidi iusserit: qua etiam abscissa nō minùs locutus est, quàm dum eamdem haberet, atque ad suam, quæ publicè in foro clauis affixa erat, conuersus linguam, ait, *Ibidem confixa hærebis, quia veritatem eloqueris.* Ipse admodum puer illo in opido anum quamdam honestam fuisse scio, quæ, quantum quidem recordor, hunc se nouisse narrabat. Non deerant etiam illic ciues alij rerum antiquarum studiosi, & *Gregor. hō. 1. in Ezech.* fide digni, qui id ipsum referebant.

Igitur ad institutum sermonem dicendorum occasione rediens, hoc S. Gregorij ab omnibus receptum & approbatum dogma primò præsuppono, qui hoc modo loquitur: *Prophetia triplex respicit tempus, præteritum,* *Isaiæ 7.* *præsens, & futurum.* Quod ipsum sacrarum litterarum probans testimonijs, *Gen. 1.* *Futuri temporis, inquit, prophetia est, Ecce virgo concipiet & pariet filium. Præteriti temporis hæc est, In principio creauit Deus cælum & terram; quòd de tempore hic* *1. Cor. 14.* *loquatur homo, quo nondum erat homo. Præsentis demum temporis illa est, S. Pauli dicentis, Si autem omnes prophetent, intret autem quis infidelis, vel idiota, conuincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus: occulta cordis eius manifesta fiunt, & ita cadens in faciem adorabit Deum, pronuntians, quòd verè Deus in vobis sit. Adeò vt,*

cùm

Digitized by Google

*cùm dicat occulta cordis eius manifesta fieri, manifestè declaretur, hoc prophetiæ modo spiritum non aperire ventura, sed ostendere & declarare præsentia.* Vnde Gregorius efficit, si prçterita & præsentia eiusmodi sint, vt naturaliter sciri nequeant, quemdam prophetiæ spiritum esse, eadem nosse ac manifestare: scire enim vel aperire quæ ventura sunt, prophetare est, quia naturali via ac ratione ea sciri non possunt. Iuxta hanc Gregorij doctrinam apparet propè omnia, quæ superiori dicta sunt capite, imò verò sine exceptione omnia ad prophetiæ posse spiritum non inscitè referri.

Huiuscemodi fuit item visio illa, qua in festiua Assumptionis Deiparæ solennitate hoc ipsam ritu ac pompa vidit, qua in cœlestem ea die est gloriam assumpta; eodem etiam plausu, apparatu, ac festiua congratulatione, qua ibidem à cœlitibus admissa fuit, nec non gloriæ quem obtinet locum. Conspexit item singillatim, ad quem gloriç gradum beatæ aliquot animæ euectæ essent, & quod singularum esset in gloria discrimen. Vidit plurimorum animas Purgatorio egressas in cœlum ascendere, de quo illa viso capite duodequadragesimo scripsit: inter ceteras animam cuiusdam è Societatis nostræ fratribus, quam, cùm in Collegio nostro Abulensi sacro adesset Missæ sacrificio, ac pro ipsius salute seriò Dominum deprecaretur, vt qui superiori nocte exspirarat, in cœlos abeuntem magna circumdatum gloria, Christo Domino comitante, conspexit. Capitibus verò trigesimo primo ac quarto aliorum id genus visorum mentionem facit. Vidit insuper, vt ab innumera cacodæmonum vi diuitis cuiusdam cadauer raptaretur, atque indignis haberetur modis, & quomodo ferratis ipsum vncis magno sibi quisque conatu vindicare contenderent. Iam suprà, dum Vallisoletani cœnobij referremus primordia, visam ab ea diximus Bernardini Mendosij animam ad Superos euolantem, & quidnam etiam quoad prius ab ipsa conspectum esset.

*Cap. 39. vitæ.*

*Cap. 38.*

**Cadauer opulenti cuiusdã à diabolis raptatur.**

Eo ipso tempore, quo in Incarnationis Præpositam agebat, contigit Eleonoram Cepediam, Mariæ de sancto Baptista sororem, beatæ Matris consobrinam, quam iam inde à teneris apud se habuerat annis, quamq; ob eximiam vitæ probitatem & eximia virtutum decora miro complectebatur amore, (seriò namque mundanis rebus omnibus se abdicarat, orandiq; exercitijs rerumq; diuinarum studio impensiùs incũbebat) ex hac vita decedere. quæ antequam suam creatori animam redderet Deo, beatum Teresa, quo excessura esset, finem Domino reuelante didicit, nec non à purgatorio eam cruciatu immunem fore. Hinc cùm beatũ virginis corpus sociæ ad inferius odæũ, quò terræ conderetur, deferrent, Angelos vidit monialibus in baiulando auxiliarias dexteras dare, quin imò suis ipsum manibus ferre. quod ipsa visum deinde commemorans addebat, *vt appareat nimirum, quantoperè Deus illa honoret corpora, quæ sanctarum fuere animarum organa.* Hinc id illa suadente terræ fuit summi sacri tempore mandatum; sacrificium

**Angeli baiulant corpus Eleonoræ Cepediç.**



Digitized by Google

porrò in sanctissimi fuit Sacramenti honorem decantatum (quòd sepulturę dies intra octiduum Venerabili corpori Christi sacrum occurreret) idq; festo organorum cantu, & lætis multorum *Alleluia* carminibus, ramorumq; virore; sacra quoque vnà cum Christi corpore supplicatio corpusculum exanime circumsecùs ambibat. Vidit etiam in cœlos ascendentem Doctorem Honcalam, Canonicum Abulensem, insignis sanctimoniæ virum, & Theologica scientia præstantem, vti ex scriptis eius, quæ ad posteritatem transmisit, legenti fit manifestum; audijtque, propterea purgante ab igne illum immunem exstitisse, quòd illibatam virginitatem coluisset.

Doctor Hōcala in Purgatorio nō fuit, quod virginitatē coluisset.

Ioanna Brocheria, Petri Aluari Cimbronij vxor, Teresæ Abulæ versanti insigne quoddam Christi cruci confixi simulacrum dedit; & paucis illam à morte diebus hæc Purgatorio egredientem vidit, crucem hanc manibus gestantem; simul etiam gratias agentem, quòd pro sua apud Deum liberatione deprecatrix exstitisset, nec non declarantem, hunc suæ apud Deum causæ defensorem insignem, crucifixum exstitisse.

Futura ipsam multa prænouisse, iam suprà è multis reuelationibus in primi sui cœnobij fundatione illi oblatis, nec non alijs nonnullis videre licuit. Nonnullis quoque Religiosis, quæ euentura erant, fatidico spiritu dudum antè prædixit, ac præsertim illi Societatis Iesu sacerdoti, qui cum ipsa de arcanis suis plurimùm communicabat, cùm Abulensis ille Collegij moderatorem ageret. quę deinde sibi is ex ordine ita contigisse comperit, prout illi Teresa prædixerat.

Mariæ Cepediæ sororis eius coniux cùm repentina adeò ablatus esset morte, vt ne noxarum illi quidem aperiendarum spatium esset, Deo Teresa reuelante didicit, etiam sororem defuncti vxorem subito leti genere intermorituram. idque non semel, sed sæpiùs illi reuelatum. Hinc illam ipsa accedens, frequentem illi delictorum apud sacerdotem expiationem, & sacrorum mysteriorum sumptionem suasit, nec non vt sedulò in animæ suæ statum excubaret; de reuelatione oblata tacens. quæ deinde quadriennio, eoque ampliùs, hoc modo exacto, peccatorum confessione non præmissa, & nemine præsente de vita migrauit: & ecce octiduo pòst, cùm ab Eucharistico Teresa surrexisset epulo, hanc illi Dominus, cùm in cœlum conduceretur, spectandam dedit.

Teresa præcognouit multa pericula.

Hinc, eodem reuelāte, multa tum sibi, tum alijs, etiam nonnisi quadriēnio pòst euentura, præsciuit discrimina: atque hæc etiam singulatim adimpleta comperit. vnde etiam plurimos, & absentes per epistolam similium ipsa rerum præmonuit, vt oportunè sibi prospicerent, & imminentia à ceruicibus suis damna auerterent. Religiosorum quoque familijs euentura multa prædixit, eaque insignia. Illi siquidem haud procul à sanctissimo Altaris sacramento precibus insistenti apparuit quidam è Dominicanæ familiæ sanctis, ingentem manu gestans librum; quem ille aperiens, grandes

Quidnam de ordine Dominicanorum prædixerit.

quas-

quasdam ac facilè legibiles litteras in eodem exaratas vt legeret, suasit. Scriptura autem erat eiusmodi: *Futuris temporibus Ordo hic mirificè efflorebit, multosq; habebit Martyres*. Vidit eadem operâ sex septem ve eiusdem instituti monachos gladios manu vibrantes: quo illa signo fidem ipsos didicit propugnaturos. Cùm rursus in oratione versaretur, mente in excessum rapta, vastum conspexit campum, in eoque plurimos decertantes; Dominicanos autem singulari quodam mentis ardore in hostem ruentes. horum singulis decori erant vultus & inflammati, manu verò strenui hostium plurimos solo affligebant; alios etiam obtruncabant. Intellexit autem conflictum hunc aduersus hæreticos & Ecclesiæ hostes institui.

Quodam tempore, cùm in oratione maxima mentis recollectione, suauitate & quiete ageret, maximam Societatis Iesu hominum in cœlo multitudinem vidit, candida manibus vexilla gestantium. Quod illam spectaculum cùm in stuporem raperet, simul & voluptatem adferret, quòd erga hunc ipsa Ordinem peculiari quodam studio ferretur, à Redemptore Iesu ilicò audijt: *Si verò ipsa scires, qua hi futuris sæculis Ecclesia laboranti modo suppetias sint laturi*. Hanc sibi ait visionem etiam sæpiùs oblatam; etsi verò in illa Teresæ vita, quæ typis edita circumfertur, suo hæc familia singillatim nomine non indicetur, in ipso tamen autographo, & in omnibus quos videre contigit calamo exaratis libris illius apertè nomen proditum est. *Cap. 38. De Societate Iesu.*

Hæc quidem Redemptoris Iesu verba infrà cap. XL. rursus repetit, non tamen declarato religionis ipsius nomine: quod tamen dixi, certissimum est, & ipsiusmet Teresæ ex ore acceptum. Ceterùm de propheticis hisce visionibus mihi agere incipienti iamdudum in mentem venit, futurum fortasse nonneminem adeò quidem ignarum ac rudem, qui hæc, vt vaticiniorum digna nomine non suspiciat vel habeat, quòd non à Domino illi hæc, sed per visum dumtaxat declarata sint. Sed qui hoc sibi persuaserit, næ ille ineptus & bardus foret; omnes siquidem omnium Prophetarum prædictiones aliqua fuere visio; visum nimirum aliquod Deo illis monstrante, &, quid eodem signaretur, aperiente, ac tum ore suo, tum per Angelum, futurorum, vel rerum adeò arcanarum, vt naturali eæ scientia sciri non possent, aliquid reuelante: quemadmodum omnia sacrorum vatum in sanctis libris oracula fidem facient. quod quia sole meridiano clarius est, eidem adstruendo diutiùs non immoror. *Prophetarũ vaticinia fuere visiones.* Etiam viginti antè annis, quàm funesta illa ac feralis Lusitaniæ clades, qua & ipse Rex Sebastianus, ac Lusitanicæ nobilitatis flos in Africana expeditione profligatus occubuit, contingeret; Angelum Teresa conspexit, nudum in florentissimum id opibus regnum, & sanguine madentem ensem vibrantem; nec *Videt Teresa Angelũ, qui nudo Lusitaniæ ense comminatur.*

Alium, qui Galliæ minis intentaret.

non alium, qui simili mucrone diras Galliæ minas intentaret (etsi non ex indignatione succensum, qua priorem) qui simul illi indicaret, quàm aduersus hanc prouinciam Dei esset Maiestas concitata, nec non copiosum illum, qui sequentibus pòst annis in eadem effusus fuit, sanguinem exhiberet: demum tempus cùm aduenisset, atque ipsa coram Domino non mediocriter animo ob Sebastiani Regis ac suorum stragem internecionemque affligeretur, responsum accepit; *Quid si dispositos eos inuenerim, vt ad me eos adducerem, quid affligeris?*

Reuelationes quoad ordinē Excalceatorū.

Cùm in Episcopum Oxomensem Magister Velascius Canonicus Toletanus electus esset, & in odæū hunc Deo comendatura Teresa concessisset; è re diuina & obsequio in primis hanc electionē fore audiuit. Cœlitus item didicit, Excalceatorum familiam, quæ tum summo in discrimine & angustia versabatur, adeò non dissoluendam, vt etiam indies magis magisque diffunderetur. Aliàs ob cœtus sui afflicti & periclitantis negotium summopere anxiæ dictum à Domino, *Quiesce, modicæ fidei femina; omnia namq; ritè & prout oportet fiunt.* & verè Dominum dixisse non multò pòst videre licuit. Facta illi etiam alia (sicut è scriptis eius eruitur) quadriennio antè quàm contingeret, de exoritura quadam persecutionum procella visio: in qua etiam, cœlo declarante, didicit, quemadmodum pelago mersi Aegyptij periere, cùm Israelitas persequerentur, vt ad internecionem eos delerent, populus autem Dei sospes euasit, & sicco pede mare pertransijt, ita à se institutum Ordinem cùm ab exagitantium furore liberandum, tum verò qui ipsum vexando persequerentur, debellandos & mergendos.

Reuelatio facta de P. Gratiano.

Aliàs cùm contristaretur anxia, quòd de P. Hieronymi Gratiani ægrotantis valetudine nihil iamdudum à quoquam intelligeret; illapsa animæ interiùs quædam lux est, in qua eum in via vultu hilari, & confirmata valetudine venientem vidit; nec non facta tum ad illam vox, *Dic illi, vt ilicò rem auspicetur: penes illum namque futura victoria est.* Abula quoque (vti libro primo dixisse memini) ad Taurum opidum cùm puerum misisset, qui pauculos quadam à matrona nummulos suum in vsum postularet, ait illi voce clara Dominus: *Argentum iam in tuto est, & id sua iam puer in potestate habet; inferiori in atrio id illi numeratum.*

Toleti cùm in ædibus Aloisiæ de la Cerda commoraretur, Mariæ de S. Iosepho, quæ modò Olissiponensis dōmus Præfecturam administrat, tum verò eadem in domo habitabat, B. Matrem eiusque socias curiosiùs obseruanti ardens eiusdem instituti amplectendi desiderium incidit, ipsum tamen nec B. Matri hactenus, nec cuiquam mortalium aperuerat. Cū verò reliquis Aloisiæ pedissequis Christi Iesu Teresa obsequium ac famulatum in suo cuique statu ac modulo suaderet, &, si ad vestium elegantiam ac splendorem parentes pertinaciter ipsas pertrahere vellent, non

Cogitata mentis nouit Teresa.

alio

Digitized by Google

alio tamen eum quàm ipsis obsequendi studio ac scopo vt sectarentur, identidem adhortaretur; Mariam de S. Iosepho quotiescumque videret, singillatim carpebat, quòd eam ornatus & apparatus elegantioris præ alijs studiosissimam cerneret, atq; hoc ornatus schema religiosum aiebat institutũ minimè sapere. Vt primùm aliquem videbat, statim ecquod orandi genus sectaretur, perspiciebat; aliorum etiam è vultu cordis arcana, nec non occultos animorum discebat defectus, aliaque quæ humanitus naturalique ratione sciri non poterant. Beatrici item Ouallíæ, sororis suæ Ioannæ filiæ, quam Excalceatarum aggregari cœtui inprimis optabat, etiam tum, cùm nondum id ipsa suum in animum induxisset, & ab ea erat cogitatione alienissima, ait: *Hoc sectare, Beatrix, iter quodcumque volueris, quia tandem Excalceatarum instituta suscipies.* Nec prædicationem fefellit euentus. hodie namque Albano in cœnobio agens, Beatricis de Iesu cognomento vocatur; de cuius in cœnobium hoc ingressu postea tractabo vberiùs.

Secreta vidit cordiũ, & q̃ quisque orationis sectaretur genus.

Duci Albanæ Mariæ Henriciæ, Albæ se prædixit demorituram: quod ipsum etiam alijs alibi retulit; atque nominatim F. Mariano de S. Benedicto octo ipsis antè quàm vita excederet annis, planè affirmauit à Domino sibi esse, Albæ vt vitam poneret, reuelatum.

Teresa prænoscit Albæ se moriturã.

De domus Abulensis, à S. Iosepho denominatæ templo hæc ipsius exarata manu, veluti vaticinium quoddam, legi: *Intellexi semel: Veniet aliquando tempus, quo, ob plurima, quæ hac in æde patranda sunt miracula, ipsa, ædes sancta deinde appellabitur Templum inquam S. Iosephi Abulæ, anno MDLXXI.* Abulæ P. Petro de Alcantara diem, quo ille de vita emigraturus erat, prædixit. Hispali versanti declarauit Dominus, salutis eam æternæ compotẽ aliquando fore. Suam etiam mortem multo antequàm de vita decederet tempore præsciuit: vti & annum, qui vitæ futurus erat vltimus. Nam cùm Metinæ Agnes de Iesu, Præposita domus, ab illa peteret, Reuerentiane vestra facilè iam quinquaginta nouem & quod excurrit annorum est? huic Teresa respondit: *Etiam.* ac deinde velut intra dentes mussitans; A quinquaginta nouem ad vsque duodeseptuaginta, nec plura. Quæ tamen verba tum tacitè notabat Isabella de Iesu, quæ tunc in tirocinio versabatur. Deinde aliquot pòst annis cum Salmanticæ malè affecta pro more valetudine versanti nonnulla medicus Tiedra, artis suæ callentissimus, conseruandæ valetudini necessaria obseruanda præscriberet; nihil horum penitus se illi respondit obseruaturam, causamque sciscitanti, *Quatuor illis*, inquit, *qui mihi vitæ supersunt annis tam laboriosa mihi cautione opus non est.* Quæ etiam cùm notata ab illa essent verba, quæ & priora audiuit, vtraque coniunxit, numeratisque ijs, qui iam inde à primis verbis ad illud vsque tempus effluxerant, annis, ad duodeseptuagesimum illum, quem Teresa indicarat annum, non-

Nouit quo anno esset moritura.

nisi vltimum hoc comperit quadriennium deesse. itaque mori illam contigit, cùm sexaginta septem ac medium, & quod superest, vitæ annos adimplesset.

Salmanticæ dum vnà cum Quiteria de Abula Excalceata matutinarum horarum pensum persolueret, per aliquod temporis interuallum mente alienata mansit; hinc, cùm deinde ad sese mens redisset, obsecrauit Matrem Quiteria instanter, dicere sibi, quod interea passa esset, ne grauaretur. Tum Teresa, *Franciscus Guzmanus defunctus est.* erat hic sacerdotio insignis, & illustri editus progenie, sed humilitate vitæ, Diuinoq; obsequio illustrior. Et sanè pòst compertum est, eo illum temporis articulo hac è vita emigrasse. Deinde sororem eius Franciscam Bracamontiam Abulæ consolata, his eam verbis appellauit. *Noli fraterno angi, carißima, decessu: optimo namque ipse est loco: nam vidi pulcherrimum quoddam corpus gloria donatum: quod etsi proprium illius non esset corpus, ipsum tamen reuera agnoui fuisse.*

Primo sumus libro de Vrsulæ de Sanctis, quæ de quatuor Primarum Excalceatarum numero fuit, excessu locuti, & hanc à Teresa Albæ, quatuor pòst horis, quàm Abulæ de vita exijsset, gloria circumdatam visam fuisse.

Segobiæ existens quadam ad suas vespera conuersa ait, *Isabella ab Angelis defuncta est, atque anima eius aliquantisper expurgatoria est flamma purgata.* & ecce, biduo pòst Salmantica, vbi decesserat, allatæ sunt decessus illius nuntiæ Segobiam litteræ.

Eadem in ciuitate cùm pro viri nobilis grauiter decumbentis salute Deum anxiè deprecaretur, diuina ad illam biduo antè, quàm spiritum redderet, allapsa vox est dicens: *Morietur quidem, sed æternùm viuet.* Nec fefellit euentus; nam ex hac vita emigrauit. Filiarum autem ipsam suarum antè obitum nosse, quàm is per litteras nuntiaretur, etiam aliàs sæpius illi cælitus datum.

Agnes de Iesu, quæ modò Palentinis Excalceatis præfecta est, cùm quodam tempore desperata planè valetudine, & à medicis omnibus derelicta, iam velut mortua haberetur, astantibus Teresa ait, *Hæc illi ægritudo letalis non erit; ad maiora enim his ipsam Deus reseruauit.*

Ioannem etiam Ouallium sororis suæ coniugem, quem omnes intermoriturum ex morbo haud obscura coniectura credebant, sanitati certò reddendum affirmauit. & vt prædictum, sic factum.

Cryptam fornicatam Albæ construi iubet, in qua corpus suu cōdeietur.

Chorus inferior templi Albani cùm construeretur, & cancellos in tēplum respicientes quadrangulos, pro aliorum cœnobiorum more, fieri amici suaderent; vetans eos ita construi Teresa, fornicē fieri iussit, eo aliquādo loco depositū deponēdū asserēs. Hoc igitur modo cācellis dispositis, moniales id eò dictū à Teresa credebant, quasi arcā depositi, quod fundatores loci

loci ibidem pia quædam in opera erogandum reliquerant, huc ipsam ferri vellet. hocce tamen depositum illatum in cryptam illam neutiquam est, sed aliud longè pretiosius, sacri inquam corporis illius pignus, quod ei loco, ad aliquod tẽporis spatium velut depositum, concreditum mansit, vt sequenti sum libro pluribus declaraturus. Opinio hinc est, etsi nõ vsq; adeò firma & indubitata, ad corporis sui depositum Teresam tum respexisse. In quadam narratione, quam confessarius eius (quẽ de Societate Iesu aliquem fuisse ipse existimo) de illa, deq; eiusdem spiritu cõtexuit, hæc verba reperi; *Plura mihi ipsa narrauit, quæ solum posse scire Deũ certissimum est: erant quippe res pòst euentura, atque ad animum interiorem & profectum spectantes, & prorsus scitu impossibiles videbantur: omnia porrò cum veritate optimè coincidere comperi.* Atque vt Prophetis olim Deus, quæ alijs significari ad animarum ipsorum salutem volebat, reuelabat; sic & huic ancillæ suæ eum plurima patefecisse constat, etsi horum alioquin illi denuntiatio grata minimè foret, & à se hanc propterea amoliri satageret. Hinc quodam tempore cum Domino ipsa expostulans aiebat, *Cur hoc me, Domine, nuntio grauas? an non ea tumet ipsis per te indicare potes? cur, obsecro, me horum vis nuntiorũ declaratione distineri?* Cui respondens Dominus, *Idcirco tua hic opera vtor, vt, cùm maioribus in rebus vsui esse nequeas, aliquatenus ipsa, vt alij mihi obsequantur, coadiuues: & quoniam minùs ipse dispositus est, vt egomet illum alloquar, tum quia, si quidem id facere ipse per me velim, mihi fidem, quia non adeò orationis studiosus est, minimè adhiberet.* Fuit, cùm etiam liberè illi dixit: *Nũ alij desunt, Domine mi, præsertim Doctores ac viri, qui, si ijs modò iniungeres, iussa tua me, quæ adeò misera sum ac nequã, longè meliùs exequerentur?* Tum Dominus: *Eò quòd cùm eruditi, tum viri se ipsi nolunt disponere, vt mecum familiariter loquãtur; hinc ipse, velut indigus, & ab ipsis repulsam passus, ad mulieres solatij quæritandi, deque rebus meis cum ipsis familiariter agendi causa me conuerto.* Idem quoque Confessarius refert, sibi, cùm quemdam commonuisset, vt posthac seriò & ex animo Dei se obsequio dedicaret, & ipse ratus hunc piè sibi monenti auscultasse, ad illum redire denuo virum nollet; dixisse Teresam, à magistro sibi suo (ita namque Dominum nostrum Iesum Christum vocitabat) iniunctũ esse, illi eius vt nomine nuntiaret, vt hunc rursùs virum cõpellaret, atque idipsũ illi significaret ardẽter, quod ipsa tũ huic depromebat. Se verò nihil cũctatũ ita seriò huic Dei iussa aperuisse, vt ijs ipse, cuius causa hęc significabantur (etsi vir esset grauis, magni iudicij, & reip. administratione clarus) ad cordis vsque intima tactus sit, & in lacrymas pœnitentis prorumpens, aperire monenti non sit veritus, nondum se, quæ facturum se receperat, facere cœpisse.

Dominus Teresę indicat, quæ alijs significari volebat.

## CAPVT VI.

## *DE LIBRIS SPIRITVALIBVS, quos composuit.*

IAm rerum necessarius ordo poscere videtur, vt post hactenus dicta, de libris, quos composuit, & quæ ad orandum dedit præceptis & instructionibus nonnulla commemorem; quòd vniuersa hæc ad rerum spiritualium, quam illi obtigisse diximus, notitiam, & ad ea, quæ capite primo de orationum illius modis dicere cœpimus, aliquatenus spectare videantur. Porrò, præter schedas quasdam sparsas hinc inde superstites, quibus eximia multa & non vulgaria documenta traduntur, quinque ipsa tractatus & commentarios, non sua quidem sponte, sed superiorum confessariorumque (quibus illa non minorem quàm Redemptori ipsi Christo Iesu obedientiam præstabat, vt tum dicta hactenus, tum plura pòst dicenda fidem facient) iussu elucubrauit. Primùm, quemdam de vita sua tractatum, qui ad vsque primi Abulæ cœnobij fundationem se extendit. Hunc vt scriberet, præcepit Garzias de Toleto è Dominicanis sodalibus, qui tum suas per cõfessionem noxas aperiẽti operam dabat; quẽ anno à nato Saluatore millesimo quingẽtesimo secundo & sexagesimo, eo inquã, quo domus illius iacta sunt initia, inchoatum mense Iulio eiusdem anni absoluit, eumque continuato filo, in nulla distinctum capita, quamquam exinde ei in capita digesto, Abulensis domus erectionem adiunxit. In quo id sanè mirandum est, eosdem illi scribenti à Domino continenter orandi modos, quos scribẽdo exprimere satagebat, nõ aliter fuisse cõmunicatos, quàm eos antè in se experta erat. Proinde suas omnes orandi rationes eo in scripto ad illam vsque prosequitur, quam scriptionis inchoatæ tempore vsurpabat.

*Quinque libros Teresa composuit.*

*Primus Teresæ liber.*

*Secundus.*

Alter fuit is, cui via ad perfectionem nomen; tum porrò hunc exarauit, cùm monasterij Abulensis præfecturam gereret, idque imperante P. Dominico Bannezio, quo tum quidem confessario vtebatur; & eo hunc anno, quo priorem absoluit, auspicata est.

*Tertius.*

Tertius aliarum sedium fundationes complectitur, iam inde à Metinensi ducto exordio, ad Burgensem vsque, quæ postrema fuit, descendens. Hoc illa scriptum Salmanticæ anno sæculi eiusdem tertio post septuagesimum exorsa est, instigatore & suasore P. Hieronymo Ripalda Societatis Iesu Doctore Theologo, qui Salmanticæ illi à confessionibus erat, iam septem antè varia per loca constitutis domibus, cui deinde eas, quæ quotidie hinc inde condebantur, continua serie adnectebat.

*Quartus.*

Quarto Castellum interius, vel Stationes nomẽ est. huius scribendi auctor illi exstitit Doctor Velascius, illius confessarius, qui, vti etiam me an-

antè dixisse memini, ad Osmensem Cathedram, deinde Compostellanam sua ob præclara merita euectus est. Illis quidem diebus tam sublimem orationis passa excessum est, adeoque in Altissimi contemplationem fuit euecta, vt duodecim pòst diebus ne epistolæ quidem scriptitandæ præ mentis absorptione apta & par fuerit. Exinde verò intolerabilis ipsam capitis vexauit dolor, vti hoc ipsa libro de se affirmauit. Hunc ipsa tractatum in Augustissimæ Trinitatis festo Toleti inceptum anno currentis sæculi septuagesimo septimo eodem Abulæ, pridie D. Andreæ feriarum perfecit, quinque propè antequam demoreretur annis.

Quintus denique commentarius fuit in Cantica Salomonis, quem ijs suscepit scribere imperantibus, quibus (vt ipsa quidem manifestè fatetur) parere ex officio tenebatur. Huius scripti non nisi pauca aliquot folia reliqua sunt: nam vt illud non nisi ex obedientia inchoauit, ita ipsum imperio cuiusdam confessarij iussis paritura confregit, & flammis iniecit; is enim scriptum etiam nondum visum damnare non est veritus. cui tamen satius longè fuisset, antè non paruisset, quàm alios ipsa peritiores super eadem re consuluisset. Illico tamen & exactè morem gessit, simul etiam summo studio illius nomen suppressit, qui tam temerè imprudenterque id mandare est ausus, quod non intelligebat. Adeò vt ne P. Hieronymo Gratiano quidem, cui factum tamen narrauit, nomen illius indicare, magna modestiæ significatione, voluerit. Et licet illius, quod superest, calcem legenti finem verè hic scribendi Teresa fecisse videatur, certissimò tamen nobis constat, longiùs ipsam deinde scribendo progressam fuisse. Quintus.

Hosce porrò libros maximorum negotiorum frequentiâ adobruta, temporis quoque laborans angustijs, sæpè etiam in malè affecto corpore conscripsit, vt talia conscribi à tali minimè posse viderentur; visũ tamen est idcirco illi facile id fuisse, quòd, cùm ad scribendum se applicaret, tanta illi scribẽdarũ affluebat rerũ copia, vt quid scriberet, minimè diu illi præmeditãdũ esset, sed dũtaxat maxima in scribẽdo acceleratione opus: vti in plurimis librorũ locis manifestè id ipsa declarat; atque inprimis sub libri, cui Via ad perfectionem nomen est, finem hæc habet: *Mihi verò pro quantulacumque quam scribendo cepi molestia abundè satisfactum est. nam quod scriberem, cogitatione antè voluere opus mihi minimè fuit.* Eiusdem quoque libri extremo capite vigesimo in manuscripto authographo hæc leguntur: *Sed eheu! quàm multa mihi de hac via agere incipienti occurrunt, imò etiam illi, qui viam hanc adeò perperam iniuit, qualis ipsa sum! Vtinam verò pluribus in scribendo vti manibus possem, ne ob ingruentem copiam superueniens instillatio prioris inspirati obliuionem induceret,* &c. Hinc scriptorum eius nec laboriosus, nec scitus est stylus, sed talis, quali in vulgari colloquio vtebatur: apertus tamen, purus, grauis, genuinus, Otium Teresæ non suppetebat scribendi.

 legen-

Digitized by Google

legenti gratus, & rebus quas tractaret accommodus. De oratione, contemplatione, & familiari Dei cum animabus, & animarum vicissim cum Deo commercio scribens, tam alta, subtilia, sublimiaque profert, tamque ea exstatico ac spirituali modo, vt etiam doctissimi quique, nisi simul etiam rerum spiritualium callentissimi sint, admiraturi ea sint potiùs, quàm intellecturi: non quòd ea ab ipsa liquidè satis non aperiantur; (talium namque ipsa rerum exponendarum perita est in primis, easque diuersimodè proponit, & quidem scitis ad hoc adhibitis comparationibus) sed quia adeò sublimia & spiritualia sunt, vt se nonnisi ab ijs, qui aliquam horum nacti sunt experientiam, facilè intelligi patiantur. Et propterea (præter Viam ad perfectionem, qui liber, demptis dumtaxat duobus tribusuè capitibus, omnibus passim deseruire potest) quę in potissima librorum reliquorum parte occurrunt subtilitates, non sunt passim ab omnibus legendæ, nisi ab ijs dumtaxat, in quorum eę scriptæ sunt gratiam; quales nimirum sunt, quos hac deducere via Dominus dignabitur, vel ij saltem, qui ipsorum lectione nonnihil in perfectionis semita proficient, nempe illum celebrando Dominum, qui se liberalem & munificum adeò ostendit erga illos, qui ex animo illius sese dedicant obsequio, & hoc illum nomine impensiùs amando. Reliquis verò satis fit, historica aut didactica, quæ facilia sint intellectu, euoluere. Qui verò aliquem hisce è scriptis haurire fructum voluerint, pio eadem animo, & ab omnibus sinistris depurato affectibus legant oportet, in meliorem ea partem ac sensum sanum interpretando, quæ non exactè adeò rem exprimunt, atq; rigidè eam in scholis declarant Theologi; & quæ non vbiq; ad eam verborum trutinam reuocata sunt, quali versatus aliquis Theologus scribendo vteretur, propiùs accuratiusque dicta sua expensurus, ne quid oculatis Aristarchorum pateret calumnijs. Nec verò id excusatu difficile est: cùm ad oculum pateat, quàm ea recta sanaque intentione scripta sint; tum etiam quòd ex ijs, quæ dicuntur, facilè sincerum rectumque sit colligere quem habent sensum. Nam qui hoc modo libros legerint, opidò paucos inuenient auctores, etiam è grauissimis & doctissimis, in quibus non rarò inueniant, quæ in sequiorem capiantur sensum.

*Teresæ scripta ne à doctissimis quidem intelliguntur, nisi simul spirituales sint.*

*Pro quibus Teresæ libri scripti sint.*

*Quomodo eius libri legendi.*

*Quid scriptis illius tractetur.*

Vitæ liber, præter historiam, quæ lectori voluptatem adfert, & sapida est, multa admodum spiritualia continet; simul etiam, quidquid hac illi in parte contigit; salutaria adhæc suggerit documenta, ad boni ac mali spiritus inspirationes dignoscēdas; & monita, quibus quæ à bono descendunt foueantur, & mali fraudes & imposturæ declinentur. Eamdē doctrinam liber complectitur Mansionum, sed magis ordinatè, & ad praxin experientiamque accommodatiùs, quòd quindecim post prius scriptum id annis lucem aspexerit. verùm omnium sublimissima sunt, quæ tribus

*Animæ castellum.*

tribus vltimis mansionibus continentur, ea scilicet, quæ in se ipsa tum vidit, tum reipsa experta est, nisi quòd in Vitæ historia de se apertè, hic verò tacito nomine loquatur & tectè. Via porrò ad perfectionem magis ad communem vniuscuiusque vsum facit; agit quippe de oratione, illam ab ipsis sui deducens initijs, loquens primò de virtutibus religioni proprijs, quæ ad orandum maximè requiruntur; simul etiam præclara proponit ad orationem tam vocalem quàm mentalem instituendam documenta; item quæ contemplandi sit ratio, quæ oratio quietudinis: denique ipsam Orationem Dominicam quibusdam propositis meditationibus exponit. Tres illos antè nominatos Tractatus iam in Italicum conuersos sermonem audio ab Episcopo Nouariensi. Liber verò, quo domorum suarum fundationes ordinatim exequitur, historia potius est; interdum tamen hinc inde præclara quædam inserit monita, ac doctrinam admodum salutarem, & consentaneam ipsis, in quarum gratiam hunc concinnat, sanctimonialibus. Dolendum verò, commentum illud in Cantica imperfectum & truncatum esse: si enim plenum & perfectum id esset opus, facem id ac lumen lectori, vt equidem credo, præferret, ad tenebricosum scripti illius obscurissimi sensum integrè clareque intelligendum. Nam vt Cantica eas proponunt gratias ac delicias, quibus animam Deus sanctam, quæ penitus se eidem dicat, demulcet, nec non diuinos, quibus in ipsum hæc fertur, amores, & horum quid quàm paucissimi experti sunt; non est profectò dubitandum, quin ipsa, quæ ijsdem iam dudum assueuerat, nec non horum maximum, siquis vnquam, habebat vsum, quæque iam crebriùs gustarat, quàm suauis esset Dominus, multò intelligeret meliùs & apertiùs, quæ sponsus ac sponsa inuicem sentiebant, ac quæ inter se colloquebantur.

Via ad perfectionem.

Fundationũ liber.

Commentarius in Cantica.

## CAPVT VII.

### *QVAE SPIRITVS MATRIS TERESAE DE IESu facta sint pericula, quæ examina, & quomodo approbatus.*

POst tractatum de libris eius non incongruum futurum videbatur paucis perstringere ea, quæ orationi instituendæ monita præscribit; verùm antequam illius proponam documenta, placuit, & satius visum fuit, præmittere, quàm magistra ipsa & doctrix à doctissimis rerumq; spiritualium experientissimis totius Hispaniæ viris examinata & approbata fuerit; vt quam merentur hoc pacto monita illius & præcepta auctoritatem ac pondus accipiant. Nullus enim eâ vmquam Sacræ

 Theo-

Theologiæ professor vel magister Salmanticæ, Compluti, ac Lutetiæ rigidiùs ac sæpiùs fuit à promouentibus examinatus & probatus. Iam suprà libro primo nonnullos attulimus, qui spiritum illius excusserunt, approbarunt, & laudarunt: atque inter alios Admodum Reuerendum Patrem Franciscum Borgiam, nec non Fratrem Petrum de Alcantara, & alios; hanc in rem produxi etiam eiusdem Petri ad Abulensem Antistitem Epistolam, qua suum ille de ipsa iudicium aliquo modo depromit. Aliquo modo, inquam; nam alteri magnæ auctoritatis viro eodem is tempore eius se, dixit, animam habere sanctissimam, adeoque è lectissimis credere, quas tunc Deus haberet in terra animabus; & licet cum varijs id ipse genus tractasset, nullam tamen omnium hac sibi magis satisfecisse videri; hanc Deum proinde operibus ad magnum sui cultum spectantibus reseruasse, atque illius ipsam nutu hoc Abulense cœnobium erigere, ac præter hoc alia per illam erigenda. Addebat hic, nihil se excepta scriptura sacra, ac reliquis, quæ credenda Catholica præscriberet Ecclesia, certius habere, quàm Teresæ spiritum à Deo descendere. Hanc in rem etiam alij viri grauissimi ac doctissimi egregia multa affirmarunt. Verùm, quia quamdam manu illius exaratam reperi relationem, quam ipsa anno euntis sæculi septuagesimo quinto Hispali Roderico Aluario Societatis nostræ sacerdoti, cui tum & animum & animi arcana aperiebat (quòd esset Dei cultor eximius, & in discernendis spiritibus optimè versatus) dedit, in qua id genus plurima referuntur; illa hinc inde seligam, quæ ad id quod tractamus facere videbuntur. In illa de se, velut de quadam tertia, loquens, quadraginta elapsos esse ait annos, ex quo monasticen erat professa, & primis viginti duobus magnam semper mentis se ariditatem expertam; exinde à Domino se compellari cœptam & visitari: tum etiam vereri cœpisse se, ne hæc fraudis architecto dæmone auctore fierent. Quibus præmissis hæc tandem subnectuntur:

*Quàm Teresa fuerit examinata.*

*Petri Alcãtaræ de Teresa iudiciũ.*

*Et tractare cœpit cum viris rerum spiritualium gnaris è Societate Iesu; atq; inter alios cum P. Araozio Societatis eiusdem in Hispania Commissario, qui à sua dignitate alienum non duxit ad ipsam sese conferre: insuper cum P. Francisco, qui Dux olim Gandiæ fuit, secundò communicauit: dein cum alio quodam Prouinciali, qui modò Romæ versatur de quatuor Assistentium numero, cui Aegidij Consaluij nomen; nec non cum illo, qui hodie Castellanam prouinciam moderatur, etsi non adeò frequenter cũ hoc egerit. Deinde cũ P. Balthazare Aluario, qui hodie Salmantini est Rector Collegij, & sexennio illius cõfessionibus præfuit. Item cũ illo, qui modò Cõchensis Collegij Rector est, nomine Salazar; Segobiensi quoq; Rectore Santãderio; Burgensi Rectore Ripalda (qui etiã de ipsa non rectè sentiebat, illis deceptus, qui de ipsa sparsi erãt, sermonibus, quoad tandem cum ipsa coràm tractare cœpit.) Insuper cum Doctore Paulo Hernandio Toleti, qui in sacro Inquisitionis tribunali index erat; cum Patre Guti-*

*Gutierrio, qui, cùm ipsam alloqueretur, Salmanticensi Rector praeerat Collegio; denique etiam cum alijs Societatis Iesu Patribus, quos Spiritus negotiorum gnaros nouerat, quibuscum, cognito illos ijs in opidis, ad quæ sedes suas collocatura abibat, agere, coràm tractare, ac de suis colloqui rebus satagebat. Contulit item sæpius cum P. F. Petro de Alcantara, summa sanctimonia viro, de Excalceatorum Franciscanorum numero; qui etiam ceteris maiori conatus est studio & contentione omnibus persuadere, spiritum ipsius nonnisi rectum esse, & à Deo dependere. Sexennio eoque amplius in ipsam inquisitum est, & varia illius facta pericula: quæ afflictionum & lachrymarum aßiduarum illi seges fuit. quò autem in ipsam inquirebatur amplius atque accuratiùs, eo suspensiones & raptus patiebatur frequentiores, etsi sensuum interim maneret compos. Multis amici apud Deum insistebant precibus, & diuinam illius maiestatem frequentibus propitiari contendebant sacrificijs, vt per aliud ipsam iter deduceret. Non parũ interim ipsa metuebat, cùm orationi non vacabat; etsi alioquin in omnibus, in quibus aliquis animæ profectus & fructus consistebat, insignem in se ipsa mutationem experiretur, nullaq; prorsus inani gloria efferretur, imò ne minimam quidem eiusdem vel superbiendi titillationem persentisceret; vsq; eò, vt magno è contra suffunderetur rubore, cognito res suas in publicum vulgari. quãquam de illis ipsa numquam, nisi cum confessarijs suis, aut alijs, à quibus aliquod directionis sperabat subsidium, conferret: imò his etiam eadem patefacere grauius illi erat, quàm si enormißima enuntiasset flagitia. Credebat enim, hæc ipsa post ab ijsdem paßim vulgari, itaq; alijs se suaq; innotescere, atque hæc nonnisi inanes & muliercularum esse nugas, quæ ipsi semper graue & acerbum fuerat audire.* Inferiùs paulò de Francisco Salazario, qui deinde Salmãtinę diœcesεos electus est Antistes, loquitur in hęc verba: *Hic eam contristatã adeò & anxiam cernens, suasor fuit, vt sua vniuersa, nec nõ vitæ seriem, nulla ne vel minima quidem recula omissa, Magistro Auilæ, viro in ijs quæ ad orationem spectant exercitatißimo, exactè perscriberet, & illius super ijsdem iudicio responsoq; acquiesceret. Paruit rectè suadenti, & vniuersam vitæ rationem, nec non peccata omnia accuratè illi perscripsit. Auila verò ad hasce respondens litteras, securam ipsam esse iussit, simul etiam verbis eam quàm suauißimis est mærentem consolatus. Hæc vitæ relatio eiusmodi quidem fuit, vt, quotquot eam inspexere viri docti, ipsius inquam confessores, permagnæ eam vtilitatis esse identidem dictitarent, vtpote quæ multis in rebus spiritualibus documenti cuiusdam esse loco queat: imò etiam eamdem ab ipsa transscribi iusserint, & illius aliud contexeret in monialium, quibus præerat, gratiam compendium, in quo aliquot ipsis monita consiliaq; proponeret. Non tamen propterea ipsa desinebat timere, vtpote cùm illos etiam viros, rerum spiritualium licèt peritißimos, non minùs, quàm se, decipi posse illi videretur. Quamobrem confessario potestatem fecit, si expedire censeret, cũ aliquot viris eruditione & scientia præstãtibus, tãetsi orationũ non admodũ studiosis, de ijsdẽ liberè cõferendi. Aliud siquidem ipsa scire nõ studebat, q̃, nũ omnia arcana sua cum sacris voluminibus optimè coinciderent. Interdũ se ipsa hoc modo solabatur, quòd, quamquam ob priuata ipsa delicta decipi promerebatur, non permissurus*

Examinatur Teresa.

Dolebat Teresa sua vulgari.

Liber vitæ.

tus vnquam Deus opt. maximus videretur, vt tot sanctitate illustres viri, qui aliquam illi afferre pro viribus lucem contendebant, sui vnius causa in errorem pertraherentur. Hac occasione cum Dominicanis sodalibus, quos etiam ante hæc sibi confessarios adhibuerat, cõmunicare cœpit. Quos autem postea ex hac familia consuluit, sunt hi: inprimis F. Vincentius Baronius, qui eiusdem Toleti confitentis director sesqui annum fuit; nam ibidem de fidei Inquisitorum is tum numero erat: hunc etiam antè per annos plurimos consuluerat; erat namque litterarum eruditione spectabilis. Hic illam securam planè esse iubet, vti & Societatis nostræ Patres: qui vno pariter ore asserebant, si in Deum peccando non offenderet, suiq; vilitatem & miseriam agnosceret, nihil demum esse cur metueret. Contulit deinde cum P. Præsentato Petro Iuagnezio (is modò Vallisoleti Collegij à sancto Gregorio denominati Rectorem agit) qui sexennio ei confitenti operam dedit, quem etiam, quotiescunq; se dabat occasio, ipsa per litteras consuluit. Communicauit insuper cum Magistro Chauesio, & F. Bartholomæo de Medina, primariæ Salmanticæ Cathedræ Lectore, quem secùs atque oporteret de se sentire nouerat, falsis rumoribus plus æquo credulum: hunc itaque rectiùs alijs dicturum dijudicaturumq; censebat, num aliqua hic subesset impostura, cùm tam parui exiguiq; eadem sua ipse sponte biennio & ampliùs faceret. Qua potuit igitur ratione contendit, vt is sibi confitenti aures daret, & accuratè exacteq; toto illo, quo ibidem egit tempore suarum illi rerum rationem reddidit: cui etiam quidquid de seipsa scripserat, vltrò legendum dedit, quo nimirum maiorem is rerum suarum notitiam assequeretur. Vnde factum, vt is & ceteris amplius in proposito ipsam confirmarit, & singularem se rerum ipsius fautorem propugnatoremq; præbuerit. Aliquanto etiam tempore confessario vsa est F. Philippo Menesio, dum Vallisoletum ad sedem constituendam excurrisset. Praerat hic ibidem ea tempestate dicto sancti Gregorij Collegio, & antè Abulam sua ipse spõte, harum rerum audita fama, contendere graue non duxerat; idq; nonnisi ingenti ex charitate, vt scilicet cum eadem de plano conferret, ac videret, nũ sibi illa imponi à cacodæmone sineret, deceptaq; facem ipse, quò in viam rediret, præferret: sin minùs, illius ipse gratanter patrocinium susciperet, & sicubi sinistros hominum de ipsa sermones audiret, aduersus maleuolorum obtrectationes, quà factis, quà verbis causam innocentis propugnaret. Is verò omnia cum veritate constare vbi comperit, mirificè est recreatus. Familiariter quoque admodum cum quodam Dominicanæ familiæ Prouinciali, Salinas nomine, viro in rebus spiritualibus versatissimo, de rebus suis tractauit: nec non cum alio Præsentato cœtus eiusdem nomine Lunar, qui Abulensis cœnobij moderator erat. Segobiæ verò consuluit F. Didacum de Yanguas. Hos verò inter Patres Dominicanos non deerãt plurimi, qui orationis in studio arteq; exercitatissimi essent; & sani sine exceptione omnes: vti & alij nonnulli, quales, tot præsertim annorum spatio, hanc in rem minimè defuerunt, præcipuè, cùm tam varias ipsa ad ciuitates, sedes passim nouas inductura, se conferret. Multa satis eiusdem facta sunt pericula: nemo siquidem non auebat aliquem illi lucis communicandæ radiolum sibi occasionem dari: quo factum, vt non ipsam modò confir-

fir-

*firmarent, sed in sua de illa opinione etiam cõfirmarentur. Quidquid scriptũ & dictũ hactenus, F. Dominico Bannezio, qui modò Vallisoleti agit, & quocũ maximè ac frequentißimè de suis rebus locuta est, legendũ dedit. Ceterum ab ei se facilè subyciendа & credenda erat alienißima, qui incõsideratè omnia penitùs illius à Deo censebat descendere; confestim quippe timebat, ne sibi ambobus cacodæmõ fucum faceret. hinc libentiùs cum eo sua conferebat, quem meticulosum videbat. Sicubi vllum errãdi periculũ erat, in eo vt penitùs sese & indubitatè certã redderet, à se ipsa impetrare nõ poterat. Verũ, quã poterat cauebat diligẽtißimè, ne qua omnipotẽtis Dei numẽ in re offẽderet; quin imò vt in re omni maiorib. obediret, sedulò pcurabat. Quib duab. rebus, diuina iuuãte gratia, tutã se ac securã fore credebat, etsi sibi alioquin dæmõ imponeret.*

Teresa metuebat Deũ offendere, & in obediẽdo sedula erat.

De effectibus porrò, qui inde in animam suam dimanabant, hunc in modum loquitur: *Ex quo supernaturalia pati cœpit, semper mens eius in id, quod perfectißimum erat, consectandum ferebatur; atque vt plurimum incredibili quodam patiendi inardescebat desiderio: quin etiam in maxima tribulationum quibus exagitata fuit multitudine & æstu nũquam non singularem introrsum cõsolationem sentiebat, & peculiari quodam erga eum, à quo exagitabatur, amore ferebatur. Paupertatis erat & solitudinis cultrix indefessa, præter hæc aßiduè hac lacrymarum emigrare valle optabat, quò Dei sui conspectu frueretur. In omnibus spiritus sui rebus nihil vnquam habuit, quod non puriβimum foret & castißimum, imò ne existimat quidem (si modò bonus sit spiritus, & supernaturale aliquid habeat) tale quid in eo subesse posse, quòd nullam corporis sui curam habeat, nec eiusdem meminerit, cùm Deo totus vacet. Semper maximè quoque metuit Deum nostrum offendere, eiusq; voluntatem in omnibus exequi studet. Hoc nũquam non ipsum rogat, atq; vt sibi quidem videtur, ita eidem firmiter adhæret, nihil vt cõfessarij, à quibus gubernatur, ei dicturi essent, quod modò ad maiorem Dei gloriam cedere putet, quin idipsum, Dei iuuante gratia, sedulò exequeretur, hac spe & fiducia freta, diuinã illius maiestatẽ præstò esse ijs, qui generosè aggredi proponunt ea, quæ ad ipsius facere obsequiũ & gloriam videbuntur. Hinc non maiorem sui rationem vel commodorũ suorũ habet, si modò cũ hoc comparemus, ac si nihil omnino hæc esset. In quantum intelligere de se ipsa potest, & illius etiã cõfessarij intelligunt, quidquid hæc charta cõplectitur, veritati consonum estq; & omnium illorum astrui cõfirmariq; potest testimonio, qui ipsam iam abhinc viginti annis familiariter tractarunt. Spiritus siquidem eius vt plurimum in diuinas ipsam propellit laudes, velletq; omnes omnino mortales ijsdem decantandis celebrandisq;, tametsi maximo suiipsius dispendio, insistere. Hinc salutis animarum proximorũ nascitur desiderium; &, cùm quanta rerũ omniũ terrenarum sit vanitas & inaniæ, videat, quamq; sine controuersia interiora omnia pretiosa sint, illa parui facere paulatim didicit, &, ceu quisquilias proculcare.* Ante hæc verò, illa verba præmiserat: *Semper se æqua mente subyciebat his quæ iniungebãtur, adeò vt non modicè contristaretur, si quando in rebus illis supernaturalibus parere non poterat. Hinc tam eius, quàm monialiũ, quas instituit, oratio eò potißimũ spectat, & hunc semper præfixum indubitatè scopũ habet, vt ad fidei* Catholicæ *ea augmentũ in-*

Persequentes amat.

Quò Teresã spiritus impelleret.

*incrementumq́, ( atq́, hanc etiam ob causam primum suum fundare orsa est cœnobium )nec non ad priuatum Ordinis sui bonum referatur.*

Hactenus hæc Teresæ de Iesu sunt verba, etsi studio horum nonnulla omiserim, quæ alio opportuniori depromam loco. Eius porrò epistolæ, quam sibi à Magistro Auila, viro docto æquè ac religioso, qui tam lingua quoad vixit fructum in populo fecit singularem, quàm incomparabilibus scriptis suis, postquam viuere desijt, facturus est, missam scribit, partem potissimam hisce oculis conspexi; quam descriptam ad me Hieronymus Gratianus Olisippone transmisit. Eadem ille genus orandi, quod habebat, mirificè commendat, simul etiam in eodem pergere adhortatus, securam esse iubet: seque vel è raptibus, quos in hoc de vita sua tractatu refert, illud ipsum colligere signum refert, quo veri à falsis raptus dignoscuntur. Idem illius est de visionibus & colloquijs cum Deo iudicium, nimiæ illos peruicaciæ coarguentis, qui id genus rebus ideo fidem adhibere nolunt, vel quòd ijs ipsi careant, vel quòd eum, cui eædem obtingunt, ad tantam non videant perfectionem obtigisse. Hanc quoque suo rem testimonio confirmat Venerabilis P. Ludouicus Granatensis sub primæ partis Vitæ Magistri Auilæ finē: vbi cùm, quæ Teresa huic perscripserat, vti dictū est, retulisset, hæc addit: *Is cùm planè rei factus esset certior, rescripsit illi, vt quiesceret, firmissimeq́, crederet, nullū suis rebus fucum subesse, quòd à Deo omnia proficiscerentur. Hanc ipse quidem eius epistolam vidi, sed his non insero, quia tædiosum est & nauseabundum, de rebus adeò spiritualibus & sublimibus agere, quæ omnium non sapiunt palato.* Hactenus Granatensis, de spiritum discretione, quod Auilæ Deus donum concesserat, agens.

Incidi quoque in scriptum quoddam ab Confessariorum Teresæ vno concinnatum, etsi certò hactenus rescire non potuerim, à quo sit illud auctore contextum. Verùm, quia à prudenti id & docta profectum videtur manu, quique rem matura ante discussione diutiùs perspexerit, & penitiùs inspexerit, nec non vniuersas eiusdem librarit circumstantias; tum verò quòd ijs, quæ hic scribimus, facem & lucem præferat (quòd omnia hic signa notasque, quæ ad eius cognoscendum spiritum deseruiunt, vno veluti fasce cōplectatur;) hoc ipsum loco producam adeò prorsus integrum, vt reperi, nihil ex eodem immutando, addendo, imò ne vel apicem auferendo, etsi hæc, antequam Incarnationis cœnobio egrederetur, & noua conderet domicilia, contigerint: postea nāmque sublimiùs multò euolauit. In hæc ergo verba auspicatur:

Dei finis est animam ad se p[er]trahere. Regulæ ad spirituum discretionē. In quo An-

*1. Prima ratio. Dei finis est, vt anima ad ipsum perueniat; dæmonis verò eam à Deo abstrahere. Numquam tales cuiquam Deus inijcit metus, vt à se recedat; nec etiam tales dæmon, vt ad Deum is perueniat. Omnes etiam visiones, &c. Deo illam viciniorem, nec non humiliorem, obedientiorem, &c. reddunt.*

*2. Doctrina est D. Thomæ, & reliquorum sanctorum, Angelum lucis è pace &* qui-

quiete, quam in anima relinquit, facilè cognosci. Numquam quippe hæc illi obtingunt, quin magnam tranquillitatem & solatium in se sentiat, & tale quidem, vt omnes mundanæ voluptates simul etiam iuncta cum vel minima spiritus comparari non posse videantur.

gelus lucis cognoscatur.

3. Nullum errorem vel imperfectionem habet, quam non reprehendat ac coarguat is, qui ipsam internè alloquitur.

4. Numquam huiusmodi quid ipsa poposcit vel desiderauit, sed tantummodò in omnibus Dei voluntatem adimplere.

5. Quidquid apparens dicit, diuinis conforme litteris, doctrinæ Ecclesiasticæ consentaneum, & in rigore omni scholastico verissimum est.

6. Ingentem animæ puritatem & munditiem habet, feruentißima quoque Deo complacendi desideria, & propterea quidquid terrenum est, pedibus conculcabit.

7. Dictum illi, quidquid à Deo postulauerit, modò æquum sit, ab illo ipsi concedendum. Petijt proinde ipsa quamplurima, & talia quidem, quæ ob prolixitatem litteris breuibus nequeunt includi; & hæc illi omnia Dominus dignatus est elargiri.

8. Quando hæc à Deo proueniunt, semper ad locum priuatum, publicum, vel denique alterius cuiuspiam diriguntur. Quando ea ad priuatum sui bonum ac profectum referuntur, reipsa & experientia nouit; vti etiam quando ad emolumentum aliorum plurimorum spectant.

Quò dirigatur à Deo data.

9. Nemo familiariùs cum ipsa agit (nisi fortè malè ad hoc sit in anima dispositus) quin rebus ipsius ad pietatem excitetur, etsi nullum ipsamet de his verbum faciat.

10. Quotidie in virtutum exercitio fit perfectior, & apparens semper ea, quæ ad maiorem perfectionem tendunt, declarat. Hinc ipsa omni illo quo hasce visiones habuit tempore quotidie maius incrementum accepit, eo prorsus ritu, quo S. Thomas prosequitur.

11. Numquam aliquas illi nouitates significat, vel res impertinentes, sed tantùm ea, quæ ædificationem spectant. Aliquos illi dictum est dæmonijs esse plenos, sed idcirco duntaxat, vt intelligat, quo in statu versetur anima, quando mortali aliquo scelere in Deum peccauit.

12. Dæmoni solenne est, si quando circumuenire animam gestit, suadere, vt, quidquid illi oggerit ac significat, nemini aperiendo manifestet: sed huic dictum est, vt cum viris peritioribus Deiq; cultoribus super ijsdem rebus conferat, & fortè imposturæ diabolicæ locum esse tum posse, vbi nihil horum alijs aperit, sed animo premit.

Dæmon apparens suadet, vt nihil sibi dictorũ anima cuiquam aperiat.

13. His ipsa è rebus tam eximium animæ colligit fructum, & tam inusitato hinc probitatis omnibus prælucet exemplo, vt quadraginta & amplius domus suæ moniales hoc motæ, de arctiori solitudine sectanda agere incipiant.

14. Hæc plerumq; illi tum contingere solent, postquam diutiùs in oratione hæsit, profundiùs in Deum fuit absorpta, vel illius amore inæstuauit magis, vel deniq; tum, cùm sacram aditura synaxin est.

15. Hæc quoq; illi vehemens iniiciunt desiderium, quo tuta velit ac secura reddi, atque diaboli nullis patere fraudibus.

16. Profundißimam adhæc in ipsa causantur humilitatem, vt quidquid recipit, à diuina se recipere manu agnoscat, & quàm à se ipsa parum habeat.

17. Quando verò ijs caret, quidquid illi se offert aliundè, molestiam ac dolorem afferre solet: vbi verò illa ingruunt, tum omnem prorsus aliarum memoriam rerum amittit, quin potiùs ingens earum loco succedit patiendi desiderium, è quo etiam tantam elicit voluptatem, vt se ipsa præ stupore non capiat.

18. Hinc fit, vt in laboribus, maleuolorum oblocutionibus, persecutionibus, morbis summè gaudeat, & voluptatem sentiat; & licèt varijs morbis exagitetur, vtpote cardiacis doloribus, stomacho nauseabūdo, alijsq; ægritudinibus plurimis, vbi visiones hæ accedunt, nihil horum prorsus sentiat, & ilico facessant.

19. Interim tamen insigniter carnem emacerat, ieiunat crebrò, carnem flagellis alijsq; mortificationum generibus atterit.

Teresæ patientia.

20. Eadem & quidquid in hoc mundo aliquam illi afferre voluptatem potest, & labores quos pertulit plurimos, insigni mentis æquanimitate patitur, nullam vel minimam pacis tranquillitatisq; interioris iacturam faciens.

Firmum propositum in Deum non peccandi.

21. Tam firmū solidumq; Dei non offendendi cōcepit propositum, voto vt se obligarit, nihil se, quod quidē vel ipsa intelligat, vel alius quislibet, qui id nouit, indicet, ad perfectionem maiorem tendere, omissuram, sed ipsum pro viribus exequuturam. Hinc tametsi vt sanctos habeat, & vt tales suspiciat omnes Societatis Iesu Patres, & illorum Deus opera tantum illi gratiarum contulisse videatur, sanctè ipsa mihi affirmauit, se, si modò maioris nosset perfectionis esse cum illis nō tractare, ipsis nec verbum facturam, imò ne visuram quidem illos, tametsi illorum alioquin ope animæ tranquillitatem nacta, & in his ipsorum adminiculo rebus directa sit.

22. Certißimum est, gustus & sensus, quos aßiduè à Deo recipit, & quòd amore ipsius anima introrsum liquefiat, non parum illi stuporis iniicere. Nam quoties hæc à Domino ipsi communicantur, toto inde die velut in raptu animi agere videtur.

23. Si quando de Deo quempiam audit magno cum pietatis sensu ac feruore loquentem, sæpè in mentis excessum rapitur; cui tametsi violenter conetur obluctari, minimè potest: ac tum quidem tali ipsa in situ manet, vt magnum cunctis videntibus pietatis sensum ingeneret.

Teresa libēter reprehenditur.

24. AEgerrimè sua fert ab illis, quibuscum agit, errata sibi non declarari, nec se coargui: quorum ipsa castigationem insigni quadam humilitate admittit.

25. Tum quoq; ferre nequit, vt, qui in perfectionis sunt statu, ei pro vocatione, & iuxta institutum suum procurandæ sedulò non incumbant.

Variæ Teresæ perfectiones.

26. Suos erga consanguineos affectum planè exuit, est item ab hominum conuersatione sectanda alienißima, solitudinis verò amica; miro erga Sanctos quoslibet affectu tenetur, festiuitates ipsorum sedulò colit, nec non mysteria quæ ab Ecclesia repræsentantur; deniq; eximijs erga Redemptorem Iesum fertur sensibus.

27. Si

*27. Si omnes Societatis Patres, ac quotquot vbiuis terrarum Dei serui sunt, diabolicas has esse præstigias sibi dicant, vel dicerent, illas ante visiones, formidat ac tremit. verùm, cùm iã in oratione & mentis recollectione versatur, etsi mille esset in frusta concidenda, sibi penitùs persuadere non posset, quin qui loquitur sibi, aut apparet, Deus sit.*

*28. Tam excelsum & generosum illi animum elargitus est Deus, vt mirãdum sit. olim meticulosa esse solebat ac timori obnoxia, sed modò cacodæmones insultans pedibus premit. Adhæc abest illa procul ab omnibus muliebribus ineptijs & elegantijs, nec non à scrupulis; & suis est in rebus sincerissima.*

*29. Dedit illi insuper Deus opt. max. suauissimarum donum lacrymarum, cordialem erga proximos commiserationem, propriorum delictorum cognitionem, necnon gratiam, qua bonos colat, ac seipsam humiliando dejciat. Hoc vnum asseueranter dixero, multis ipsam hominibus, ac mihi in primis, profuisse.*

*30. Dei sui vt plurimum per diem recordatur, eumq; rebus in omnibus sibi præsentem sentit.*

*31. Nihil illi vnquam in raptu dictum est, quin id ita reuera, vti dictum est, fuerit, & perfectè adimpletum sit; atq; id maximum est ad securitatem habendam argumentum.*

*32. Hæc insignem intellectui illius claritatem adferunt, & admirabile in rebus diuinis lumen.*

*33. Dictum illi, vt Scripturam sacram legere iuberet eos, qui illi aduersabantur, vt nimirum viderent, num vnquam anima, quæ Deo obsequi exactè studeat, tanto sit tempore à cacodæmone impositum.*

Hęc sunt, quę hac in scheda cõtinentur, eo prorsus modo & ordine, quo hic eadem attuli: omnia porrò hæc esse verissima patet tum ex ijs, quæ dicta sunt hactenus, tum etiam ijs, quæ in posterum commemorabimus.

## CAPVT VIII.

### *QVAM ORANDI RATIONEM PRAEscriberet, & quæ monita.*

DE orationis eius vi ac fructib. loquar infrà loco suo, iã qua potero breuitate ea proponam merita, quæ ad orandum ipsa vnicuique pręscribebat: hunc quippe librum ijs velim prodesse, qui eumdem lecturi sunt. Neq; enim fieri potest, vt non singularem quamdam sapientissimæ & versatissimæ, atq; inprimis tam à Deo edoctæ, & ab eodem selectæ, quæ tot animas electas edoceret, magistræ præcepta ac documenta vtilitatem afferant. Idipsum & in alijs eiusdem virtutibus, vbicumque id vtile futurum animaduertero, & aliquid dicendum occurrerit, facturus sum.

Oratio via regia est.

*E via ad perfectionē cap. 21. Cap. 1. primarū mansionum*

Anima oratione destituta est ceu corpus membrorum vsu destitutum.

1. Dicebat orationem regiam esse ad cælos ferentem viam, & magnū per eamdem incedentes sibi thesaurum comparare: ac proinde nec magnū, nec multum esse, quod plurimi ipsi nobis constare arbitramur: venturum siquidem tempus, quo ad oculum patebit, quidquid demum ad rem tam pretiosam comparandam impendimus, nihil esse. Addebat insuper, animam orationis præsidio carentem, esse ceu corpus quoddam paralysi ac membrorum languore obtorpens: nam vt hoc nullum manuum pedumque habet vsum, etsi eosdem artus habeat; ita & animas quasdam ita ægras esse & malè affectas, vt ad se ipsæ ingredi non possint, quamuis alioquin naturâ suâ opulentæ sint, & cum Deo conuersari queant; nec vllam ijs huc reuocandis suppetere rationem vel modum. Has denique animas, si sedulò huc aduigilare, & suo mederi morbo nolint, velut statuas quasdam satis pertinaces obduratasque manere, quòd caput ad sese ipsæ non reflectant.

*E via ad perfection. c. 21.*

2. Magni refert (quin imò hinc omnia dependent) firmiter aliquem secum statuere & generosè, non antè petendo quiescere, quàm sibi illa aqua vitæ, quam Dominus dat, in potum detur (hoc namque nomine passim orationem vocat supernaturalem, quam nostra nobis industria ac diligentia comparare non possumus, etsi ceteroquin non ignoraret, quodcumque demum orationis genus, quod meritorium est, opus esse supernaturale, vti capite tertio iam diximus) contingat demum quodcumque velit, succedat quodcumque successurum est, labore constet quo constare possit, murmuret qui murmurare velit, eò etiam petens pertingat vel non, ipso in itinere moriatur, animus laborū in itinere occurrentium onere fatiscens deficiat, denique mundus turbetur & fremat procellas obijciens. Hoc sępe ipsa inculcat, & quidem acriter ac vehementer.

*E cap. 22.*

Quomodo vocalis sit oratio instituenda.

3. Etsi oratio alia vocalis sit, quæ voce fit, & alia mentalis, quæ intellectu & voluntate sine voce peragitur; si tamen oratio vocalis talis sit, qualis esse debet, in eadem mentalis includitur: qui enim cum Deo loquitur, spectare debet, quicū loquatur, & quis ipse sit qui loquitur, vt norit nimirum, qua se gerere ratione coram tam potenti domino debeat, & quo cum illo modo tractare. In his porrò duobus punctis permultum situm est. Spectandum item, quis qualisque Christus Dominus sit, quisnam Pater eius, ecquæ etiam terra, ad quam nos sustollet, qualia etiam nobis promiserit bona, cuius ille conditionis sit, quo illi potissimum modo placere valeamus, & quo denique modo facturi simus, vt nostra conditio suæ conformis sit. Hoc pacto scilicet mentalis vocali similis fit; mentalis siquidem orationis est hæcce perpendere. Atq; inde fit, vt qui vocalem hoc ritu orationem instituunt, sæpenumerò à Deo ad contemplationem nihil minus sentientes sustollantur.

*Cap. 25.*

*Ex Cap. 16.* 4. Mentalem orationem quoslibet sectari par est, etsi nullas possideant

deant virtutes: ipsa quippe omnium virtutum procurandarum principiũ est; & de vita omnium nostrûm agitur, nisi ipsam colere incipiamus: verùm, nisi virtutibus comparandis quis studeat, non sine summo labore eam sectari poterit.

Oratio mẽtalis initiũ est virtutũ obtinendarum.

5. Orationi solitudo imprimis est necessaria; qualem sectatum Redemptorem nostrum constat, nobis vt hic exemplo præiret. neque enim par est cum Deo simul & cum mundo colloqui: quemadmodum faciunt illi, qui interim dum orant, aliorum sermonibus intendunt, vel de rebus oblatis promiscuè cogitant, nullâ aliâ sibi factâ violentiâ. His ritè constitutis, ante omnia conscientia examinanda est, generalis præmittenda delictorum confessio, & crucis efformandum signaculum. Quamprimum ergo vbi se solum iam quis esse videt, socium sibi quærat: nulla porrò haberi melior societas potest, quàm Domini nostri Iesu Christi. cum ergo nobis vicinum & adstantem repræsentemus. Hunc si nobis præsentem habere assuescamus, & id ipse nos ex amore facere, nosque sibi sincerè gratificari velle viderit; semper illum nobis præsentem habebimus. Et sanè permagni refert, talem semper ad latus amicũ habere. Multò verò magis suadebat, ipsum vt quæreremus, & in intimis animæ penetralibus nobis præsentẽ fingeremus; hoc quippe maioris est emolumẽti. Hinc dicebat necesse minimè esse consideratione in cœlum ferri, vel extra nos ipsos longiùs excedere. aliò namque extrà tendere aliud non esse, quàm spiritum defatigare, mentem distrahere; & non tantum inde ad animam commodum deriuari.

*Ex cap. 14.* Orationi solitudo necessaria est.

*Ex cap. 26.*

Quid ante orationem faciendum.

Domini procurandæ præsentia. *Ex cap. 40. vitæ.*

Vbi Dominus quærẽdus

6. Qui verò inter orandum cogitatione discurrunt, passionem & vitam Redemptoris nostri Iesu Christi recolentes, vel de morte, aut iudicio extremo meditantes, alijsque rebus huiusmodi, per viam adeò facilem, qualis hæc est, incedentes; eos haud dubiè Dominus ad portum luminis deducet, neque enim potest tam læta initia non nisi bonus finis excipere. Quotquot autem per iter hoc incedere poterunt, miram securitatem, & nullam prorsus defatigationem experientur. Hanc verò passionis mysteriorum considerationem esse dicebat orandi modum, à quo omnes omnino deberent incipere, in quo etiam pergere, & in quo finire; quin iter hoc tutum admodum esse & præclarum, donec ad alia supernaturalia eos Dominus deducat. Addebat quoque, non semper nobis esse intellectu discurrendum, sed interdum nos præsentes Christo imaginari debere, & sine vlla intellectus defatigatione cum ipso loqui, & deliciari, in rationibus efformandis anxiè nos non discruciando; sed solùm necessitates illi nostras, & rationem, ob quam nos hic ferre debeat, repræsentando: hoc quidem vno practicantes tempore, illud alio, variata vicissitudine, ne nauseam afferat, & graue sit animæ, vnum & eundem semper cibum degustare.

*E via perfectionis, cap. 19.*

Quæ omnibus orationis seruanda forma.



Digitized by Google

*Cap. 26. è via ad perfectionem.* Quomodo qui intellectum vna continere in re nequeunt, se gerere debeant.

7. Qui verò hoc orare modo nequeunt, quòd vni alligare rei cogitationem non possint, sed hæc instar equi effrænis, qui lupatis retineri nequit, huc illucque feratur; Dominum nostrum apud se statuant, & cum humilitate efflagitent, se vti non deserat, sed sibi indiuulsus comes adhæreat. Si verò vel anni spatio hoc nancisci nequeant, longior temporis mora illi impendatur; neu doleant tantum se impendisse temporis rei illi, in quam ipsum tam bene impenditur: huic igitur rei, vi sibi facta, assuescere elaborent, & omnem dent operam, vt hunc menti præsentem habeant, & attentè contemplentur. Si enim animæ conuertere oculos possumus ad fœdissima quæque intuenda, quare ad rem omnium pulcherrimam, & qua nulla fingi pulchrior potest, conspiciendam eosdem non conuertamus? Quandoque eum aspiciamus à morte rediuiuum, aliàs cruci confixum, interdum etiam columnæ alligatum, &c. vel prout magis necessarium futurum est. Hanc ob rem non inutile fuerit piam aliquam penes se habere Redemptoris imaginem, eamque sæpiùs inspicere, & cum eadem colloqui. Per hanc aiebat viam citiùs aliquem ad contemplationem peruenire solere, si modò in cœpto perseueret: sed hanc ipsam laboriosam & molestam esse. Si enim desit, in quo se exerceat voluntas, nec aliquem amor præsentem habeat, in quem amando feratur; anima quodammodo sine vllo manet sustentaculo & exercitio, grauisque illi omnis redditur solitudo & ariditas; cogitationum denique illam varietas lancinat & oppugnat. Quamobrem ex hoc orandi modo animam aiebat vel magnum elicere emolumentum, vel magnum vice versa dispendium; & quotquot hoc iter insisterent, maiori illis opus esse puritate.

Vtile est aliquã Redemptoris imaginẽ apud se gestare, eamque alloqui.

8. Atque vt eos, qui per modum discursus in oratione se tenere non poterant, violenter cogere nolebat, vt hanc orandi rationem sectarentur: ita nec etiam volebat eos orationi sese dedere, & in eadem morari, nisi antè attentè secum perpendissent, quanam ea esset de re instituenda. hanc ob causam singulis noctibus, Matutinarum perlecto officio, in choro aliquid legi iussit eorum, de quibus postridie manè instituenda erit meditatio. Ipsa verò, cùm primùm orationi vacare cœpit, primis illis annis adeò non mente & cogitatione discurrebat, vt aliquo in libello, qui de Dominica passione, & alijs id genus rebus tractabat, aliquid legeret; cuius lectione & animus recolligi, & paulatim voluntas moueri, & affectibus concitari inciperet. Libri verò lectionem his idcirco concedit, vt mentem cogitationemque sensim colligant, & animam paulatim per blanditias & leniora, sese vt contineat, assuefaciant; ne fortè illam intimident; & sibi persuadeant, quòd iam abhinc multis illa annis à sponso suo recesserit, necesse videri, antequam suã is in domũ reuerti velit, bene eum tractare nosse, vt in ipsa is ha-

Nolebat Teresa quẽ orationi sese dedere, nisi ante cogitasset, circa quod ipsa facienda esset.

*E cap. 26. viæ ad perfectionem.* Quibus Teresa cõsulat vti libro.

is habitare dignetur. quod, nisi hoc pacto fiat, & quidem paulatim, nihil vmquam fiet. sed, si sedulò & accuratè huic se rei assuescant, tantum inde fructum percipient, vt, quantus ille sit, si quidem verbis exprimere vellet, id neutiquam posset. Addit insuper, magis ipsis se Euangelij verbis, quę suo Redemptor noster Iesus Christus ore protulit, vti quidem ea ipse pronuntiauit, quàm libris vel doctissimis & optimè compositis moueri & mentem recolligere solere.

*Verbis Christi Teresa magis mouetur, quàm libris etiam bene compositis.*

9. Nolebat ad hæc animam, etiam perfectissimam, & vel sublimissimum orandi modum nactam, suijpsius considerationem intermittere, & sui nihili obliuisci, quin potiùs in sui jpsius cognitione suadebat, sese vt exerceret. Aiebat proinde, hanc suijpsius, & propriorum commissorum cognitionem, esse ceu panem, qui in hac orationis via ad omnia obscura etiam delicatissima addi debeat, & sine panis huius præsidio omnino sustentari neminem posse. Nolebat tamen hac vna semper illam via incedere, & idcirco considerationem Dei sui intermittere: quin potius hominem aiebat ipsius consideratione ad suijpsius meliùs cognitionem peruenturũ. Vbi enim diuinas perfectiones considerauerimus, multò nostra ipsi peccata & imperfectiones meliùs perspiciemus: sicut albedo nigredini apposita longè apparet albior. Secundò, quia intellectus noster & voluntas nobilitantur, & ad omne bonum redduntur, modò cum Deo, modò secum tractando paratiores. Deinde si numquam miseriarum nostrarum sordibus emergamus, semper vanorum timorum, pusillanimitatis, inertiæque cœno flumen turbidum erit, atque inde ingens animæ damnum accedet.

*In prima mansione, c. 2. & lib. vita, c. 13.*

*Consideratio Dei necessaria ad cognoscendũ seipsum.*

10. Desiderabat adhæc, vt sacram omnes Iesu Christi humanitatem non rarò meditarentur, & eius consideratio numquam, etiam sublimissimo orandi modo habito, intermitteretur. Vnde etiam ipsammet non parum pœnitebat, quòd aliquantulo spatio temporis huius considerationem altiora meditatura neglexisset. Dicebat enim, vitam esse longam ac diuturnam, & varios in eadem subeundos labores, ac propterea esse nobis ad exemplar nostrum & prototypon, Christum Iesum inquam, quò eos perfectè feramus, identidem respiciendum. Adeò verò hoc sibi ipsa firmiter infixerat, eaque ipsum inculcabat vi, & ita seriò, vt diceret interdum, nemini, etiam in rebus spiritualibus versatissimo, pares esse ac fore vires aut facultatem ad aliud sibi persuadendum.

*In sexta mansione cap. 7.*

*Nõ est omittẽda Christi humanitas.*

11. Consulebat inprimis & magna quadam cum energia, ne quis vel per inanem humilitatis speciem, vel peccatorum commissorum occasione, vel ob aliam causam quamlibet ab orationis exercitio recederet. Hoc enim pacto fore, vt sine controuersia extremã sibi accerseret perniciem & damnationis periculum: si verò ad orandum se applicet, fore vt eamdem

*Vita cap. 7. & 8.*

*Non est sub humilitatis prætextu deserenda oratio.*

lucre-

lucretur: vti illud tum in se ipsa experta erat, cùm hanc neglexit, & hoc, cùm rursus eamdem exercere cœpit. Vnde omnium ait tentationum, quas vmquam habuit, fuisse maximam, quod eamdem intermiserit.

*E cap. 7. via ad perfectionem.* Non est ob ariditates oratio intermittenda.

*E cap 19. via ad perfectionem.*

12. Maxima etiam persuadere contentione nitebatur, ne, qui se ad orationem adiungunt, vmquam in eiusdem exercitio defatigarentur, neu ob vllas mentis ariditates ab eadem torpidi resilirent, nec ad tam sublime orandi genus se aliquando posse pertingere desperent. Dicebat enim, Dominum interdum serò admodum venire, & non minus bene tum soluere, & longiorem moram coaceruata mercede serò compensare, quàm si multis annis aliquid dedisset: se namque quatuordecim & ampliùs annis non aliter meditari, quàm è libro antè aliquid prælegendo, potuisse. Cõmiserari se dicebat eos, qui hanc in orando perseuerantiam non præferrent. Hos népe similes aiebat ijs, qui vehementi cruciati siti aquam quidem eminus conspicantur, sed cùm ex eadem bibitum abeunt, incidunt in inimicos, qui & initio viæ eos, & in medio, & circa finem progredi vetant. Sæpè etiam contingit, vt, cùm primos laborando hostes debellarint, à secundis se superari patiantur, & siti emori malint, quàm ex aqua, quæ adeò carò stare debet, bibere. Fit etiam interdum, vt etiam secundis profligatis, à tertijs deinde se expugnari sinant, quòd vires eos deficiant, cùm fortasse vix duobus ab illius absint aquæ viuæ fonte passibus, de qua & Redemptor Samaritanæ ait, qui biturus esset, non sitiret amplius. Contingere etiam poterit, vt, cùm eò etiam peruenerint, vt non nisi inclinandum corpus videatur, quò è fonte bibant, vel ad hoc etiã sibi vires deesse, & huic se rei ineptos esse rati, omnia, quæ benè cœperant, mométo simul intermittant. Aiebat, omnes omnino mortales à Domino, vt bibant, inuitari & vocari; & omnibus illum aquam dare velle; hinc indubitatè se credere, aquam hanc viuam minimè defuturam ijs, qui in via deficientes non hæserint. Adhæc diuersimodè ab illo potari ex eadem eos, qui sequi illum volunt, ne quis sitibundus hinc & non recreatus recedat, neu præ siti moriatur. Idcirco è capaci hoc fonte varij profluunt riui; hi quidem magni, alij verò minores, & interdum etiam nonnisi quidam in paruulorum vsum elices: hæc siquidem aquula illis sufficit; qui si multum ante se aquarum viderent, magis eisdem percellerentur consternati. Cùm verò hoc in itinere numquam consolationis desit aqua, sibi bene consulenti mortales credere, neminemq; in eodem elanguentem deficere vult, sed vt generosos quosdam pugiles generosè decertare, donec tandem in ipsa prosecutione vitam ponant.

*Ioan. 4.*

Deus inuitat omnes, vt bibant, & non deerit illis, qui diligẽtes erũt.

*E lib. vitæ.* Malè principium orationis, ideo ad eamdem se conferre, vt gustus

13. Vt malum id habebat principium, vnde non magna sequeretur progressio; ac velut noxium quid, vnde exiguus sperandus esset in oratione profectus, si quis non alio eam fine capesseret, quàm vt gustum illum & suauitatem, quam inde menti accessuram sperat, percipiat. Quin imò experientia se nosse aiebat, animam, quæ hanc orationis mentalis generosè & bo-

bono cum proposito viam ingreditur, & hoc à se impetrare ipsa potest, vt parum ducat, & nec consolationem in animo sentiat, nec desolationem, si hæ suauitates & teneritudines sibi adsint vel desint; iam magnam sui itineris partem confecisse, nec metuendum illi esse, vt retrocedat, etsi interdum cespitet; quòd solidum ædificij huius positum sit fundamentum. Graue propterea & acerbum illi erat, si quos eruditos, & boni ingenij viros expostulantes audiret, sensualem sibi à Deo deuotionem negari, atque hoc insignem ipsa imperfectionem, & exiguam mentis libertatem esse aiebat: cuius hanc potissimam causam credebat esse, quòd illud in initio propositum & generositatem non prætulissent.

14. Dicebat eum, qui orationi se dare inciperet, cogitare debere, se ceu hortum in sterili quodam solo nonnisi lolium, & vrticas proferente inchoare; quare illum hisce euulsis, & illarum loco bonis herbis insitis, instar seduli & impigri hortulani, operam debere dare, vt nouæ illæ plantulæ crescant, & easdem illi, ne exarescant, identidem irrigandas, quò flores odoriferos emittant, vt, qui easdem plantauit Dominus, ex ijsdem voluptatem hauriat, & hunc sæpè hortum adiens in eodem animum oblectet. Quamobrem non alium orationis esse finem, quàm gloriam, obsequium & maiorem Dei voluptatem volebat.

*E vita c. 11.* Qui orationi se dare incipit, imitari hortulanum debet.

15. Tradebat præterea, eum qui in oratione ariditatem mentis experiebatur, persimilem esse illi, qui aquam è puteo quodam, horto huic irrigando, hausturus eumdem exaruisse comperit. qui propterea & animo frangi, & languere non debet, sed impigrum hortulanum imitatus, omnibus tum quidquid potest neruis efficere. hoc enim si fecerit, hauddubiè sine vlla has Dominus plantulas & flores fouebit aqua, & virtutum germina sine aqua, sine lacrymis, sine teneritudine atque omni deuotionis sensu faciet excrescere. Atque vbi vderit, sæpius se situlam in puteum frustra, nullam educendo aquam, inijcere, imò ne vel brachia se posse ad eamdem inijciendam attollere, id est, ne vnam quidem habere bonam cogitationem posse; gaudeat & lætetur, magnæ etiam & singularis cuiusdam gratiæ loco ducens, in tanti se posse Imperatoris horto operari; & expectans perseueret, vt qui probè perspectum habeat, hoc ipso se summam illi voluptatem afferre. Nec verò tam spectare debet, vt sibi ipsi oblectationem pariat, quàm vt illi dumtaxat: quin imò in illius laudes generosè prorumpat, quòd tantam in illum conceperit fiduciam; cùm se vel sine mercede vlla ac compensatione tam solicitè curare videat, quæ sibi ipse iniunxerit: & in cruce eius ferenda auxilio sit illi ac subsidio; cùm nimirum ad oculum videat, totam ipsius vitam in eadem transactam esse: nec hoc in mundo regnum habere vllum velit. quin etiam secum statuat, quamuis tota vita hanc mentis esset ariditatem experturus,

Quis orationis finis.

Quid arida mens facere debeat.

non ſinere Chriſtum Dominum cum cruce ſua prolabi. Venturum ſiquidem tempus, quo ſimul omnem mercedem Omnipotens ipſi perſoluturus ſit; ne vereatur proinde, quaſi omnis labor incaſſum futurus ſit, cùm bono liberalique ſeruiat Domino, à quo continenter obſeruatur. Vnde etiam alienas & prauas cogitationes parum moretur oportet, cùm & D. Hieronymo eaſdem cacodæmon in deſerto obiecerit. Aſſerebat autem, hunc, etiam in hac vita, laborem luculenta à Deo mercede aliquando compenſandum, & ſe vel vnius horulæ recreatione ac teneriore guſtu à Domino communicato omnes, quas diuturno temporis ſpatio, quò ſe in orationis exercitio contineret, paſſa erat anguſtias, affatim ſibi perſolutas credere. Quin imò magna hic opus eſſe diligentia ad malarum herbularum, quæ in anima remanſerant, etiam minimarum, radices euellendas; & vtile inprimis fore, noſtrum Nihil agnoſcere, & quàm parum à nobis ipſi, tam hac in re, quàm in reliquis omnibus poſſimus, noſq; coram præpotenti Deo humiliare.

*Morari non oportet prauas cogitationes.*

*Cap. 14. vitæ.*

*Deus animæ ſiccitates & tentationes permittit ad amicos ſuos probandos.*

16. Dicebat item, ariditates & tempeſtates has ſæpe ſub initium eius temporis, quo anima ſe primùm orationis exercitio applicat, aliàs circa finem cum multis tentationibus immitti, quòd per illas probare Deus velit eos qui ſe diligunt, & ſcire, num bibere ſuum poterunt calicem, & ſibi in cruce ferenda auxilio eſſe; antequam maiores in ipſos theſauros effundat: ſimul etiam vt ipſi agnoſcant, quàm parum ex ſe ſint: quæ enim poſtea elargitur dona & gratias, tantæ dignitatis ſunt, vt per experientiam ſuam antè eos ipſos velit cognoſcere miſeriam, quàm huiuſmodi in illos effundat chariſmata. Nec non permagni intereſſe, vt nemo ſe ob ariditates & diſtractiones cogitationum cogat & affligat, ſi modò ſpiritus nanciſci libertatem velit, & non perpetua in tribulatione verſari. Simul etiam vt crucem non timere incipiat. Tum videbit etiam, quomodo ſibi in illa ferenda auxilio Chriſtus futurus ſit, quo etiam gaudio & animi voluptate fruiturus, denique quodnam ex omnibus emolumentum percepturus.

*Ariditates ſæpè à corporis indiſpoſitione oriuntur, aut tẽporis mutatione, & quomodo in illis quis ſe debeat gerere.*

17. Experientiâ & vſu ſe noſſe aiebat, ariditates & diſtractiones has ſæpe à corporis indiſpoſitione, & temporum mutatione, & humorum immiſſione ortum habere: cùm verò huiuſcemodi è rebus oriuntur, tum multò deteriùs eſſe dicebat animam violenter in oratione continere atque illigare velle. Id quippe nihil eſſe aliud, quàm eò ipſam cogere velle, quò nequit pertingere, & ſuffocare. Tum verò eſſe conſultum, in aliud orationem tempus reijcere, & lectioni, aut alijs exterioribus charitatis operibus inſiſtere. Vbi verò ne hoc quidem fieri poteſt, corpori eſſe ad Dei gloriam ſeruiendum, vt id animæ poſtea ſeruiat, & ſanctam quamdam conuerſationis cuiuſdam ſanctæ aut alterius cuiuſpiam ſimilis recreationem capiendam.

18. Ora-

Digitized by Google

18. Orationis huius mentalis, & supernaturalis, ad quam industria nostra pertingere non possumus, & contemplationis discrimen hac ipsa similitudine declarabat. Orationem, quæ intellectus fit discursu, etsi sæpiùs quis instituat, aquam velut bibit cœnosam per terram proserpentem,& eam non in fonte suo. Primùm hac in via numquam cœnum deest, cui orans adhærescat, & in quo detineatur, & ipsa dein aqua adeò pura & lympida non est. cùm enim cogitatione efferimur, paulatim cogitando incidimus in res mundanas, erga quas afficimur; quas tametsi fugere velimus, aliquod saltem nobis impedimentum adferunt, dum cogitamus, quomodo factum sit, quomodo futurum sit, quid egerimus, denique quid facturi simus. sæpè etiam periculum est, ne ijs affectu quadamtenus adhærescamus. At in oratione supernaturali ilicò animam Deus apud se statuit, & momento vnico plures ei reuelat veritates, & clariorem ei infundit eius, quod totum est, cognitionem, quàm ne multis quidem annis hic habere posset; quin etiam viuam suo in fonte hic bibit aquam. Alio verò loco sic scribit: Magnitudo illius ei loquitur, intellectum illius suspendens, cogitationem ceu vinculo retinens, & (vti vulgò dicitur) verba ore excipiens. nam quamuis loqui velit, minimè potest, nisi summa cum difficultate. Et intelligit, sine vllo prorsus verborum strepitu diuinum hunc magistrum sibi loqui, &, dum potentias ac facultates suspendit,easdem fruitione quadam gaudere, non intelligendo tamẽ, quomodo fruantur: animam verò amore inardescere, & nescire,quomodo; amare, & rursus nescire, quomodo; frui etsi bene intelligat, non talem eam esse fruitionem, ad quam ardentibus desiderijs pertingere intellectus queat; Voluntatem denique ipsum amplecti, non intelligendo tamen, quomodo: cùm verò aliquid horum comprehendere potest, videt non tale id bonum esse, quod vllis laboribus queat comparari, etsi vel omnes omnino quotcumque in terra reperiuntur, ad ipsum lucrifaciendum iuncti forent. Donum nempe est Dei, cœli terræque Domini, qui ipsum tandem concedit, in quantum talis est. Hæc, filiæ meæ, perfecta contemplatio est. Iam intelligetis, puto, quod sit inter hanc & orationem mentalem discrimen; quæ, vti diximus, est cogitare & intelligere quæ loquamur, & cum quo loquamur, quales etiam ipsi simus, quibus ea nempe sit audacia, vt cum tam potenti colloquamur Domino. Hæc aliaq; id genus de exiguo quod illi præstitimus obsequio, & maxima quam ad ei seruiendum habemus obligatione cogitare, oratio dici mentalis potest. Nolite putare id ceu linguam quamdam exoticã esse, nec ipsum vos nomẽ percellat: in hac quidem aliquid ipsæ à nobis, Dei succurrente gratia, possumus; sed in ea, quam dixi, contemplatione nihil planè. illius siquidem maiestas præstat omnia: cùm illius solius opus, & ipsum planè supernaturale sit.

*E via perfectionis c. 19.*

Oratio, quæ intellectus fit discursu, qualis sit.

*Ex cap. 25. lib. eiusdẽ.*

Quomodo animæ loquatur Deus.

Oratio mẽtalis quid sit.

In oratione mentali aliquid quidem possumus, nõ tamẽ in contẽplatione.

*E cap. 16. via ad perfectionem.*

19. Ad hanc orationem supernaturalem neminem non inuitat, & animum vniuersis addit, vt insigni quadam generositate illi comparandæ insistant, etsi ipsos in eiusdem comparatione vel emori contingat. & spondet, si modò non defatigentur, aut segnescāt, eam hauddubiè, vt iam antè vidimus, ab illis impetratum iri. Sed vt quis nostrûm eam obtineat, eum seriò vult insignium antè comparationi virtutū, & imprimis humilitatis studere, nec non in laboriosis diuini obsequij operibus sese exercere, & insigni quodam ardore ac feruore illi se offerre: quod qui non fecerit, toto vitæ tempore nonnisi in oratione mentali hærebit. nonnumquam tamen ait contingere, vt eos etiam Dominus, qui in virtutibus imperfecti sunt, imò & eos, qui in malo sunt statu, ad contemplationem sustollat, quò eos hoc pacto ad se pelliciat: verùm id nonnisi rarissimè fieri, neque id etiam diuturnum esse, nisi hanc Dei gratiam in suam vtilitatem conuertentes hoc è statu egrediantur, Deoque se totos consecrent, vti iam antè ostendimus, ac deuoueant.

Humilitas imprimis necessaria contemplationem quærenti.

Imperfectos Deus aliquando ad contemplationem sustollit.

*E cap. 22. vita.*

20. Dabat & alia duo documenta, eaque certissima, & vtilia inprimis ijs, qui hanc orationem supernaturalem desiderant. Primum illud est, ne nostra ipsi sponte & vltrò ad hoc orandi genus ascendere studeamus; hoc enim qui faceret, incassum sudaret, seque ipse perderet. Dei enim solius est huc nos sustollere. quin potius Redemptoris consilium secuti, infimum sectemur locum, nos etiam eo, quod habemus, indignos arbitrati, nec postulantes, vt nos altiùs euehat; sed potius totos nos in manus ipsius consignemus. Nouit siquidem ipse, quid nobis conueniat & expediat. Verùm mortificationi & humilitati, veræque rerum omnium abdicationi impensiùs vacare studeamus. Nam per hoc iter si ingrediamur, ad hanc ipse nos hauddubiè orationem sustollet: quin potiùs eo semper contenti simus, quod de nobis visum Deo fuerit statuere. atque hoc humilitatis est. Proinde suadebat, vt bonitati Dei confideremus, qui numquam suis deest amicis, & clausis oculis non cogitaremus, cur huic tam pauco tempore deuotionem concedat, nobis verò eamdem per tot annos deneget: omnia enim ad nostrum bonum & salutem contingunt. Cùm verò non amplius nostri simus; sed toti ipsius, quocumque nos demum ille conducere voluerit, haud inuiti sequamur.

*Luc. 14.*

*E cap. 17. via ad perfectionem.*

*E cap. 11. vita.*

Solātium ijs qui ad supernaturalē pertingere orationem nequeunt.

21. Alterum verò est, vt, qui ad hanc orationem supernaturalem nondum peruenerunt, vel pertingere eodem nequeunt, non indignè id ferant, neve animum despondeant. neque enim eadem omnes Deus viâ conducit; & fortasse, qui se omnium crediderit infimum; ante Dei oculos supremum omnium occupabit locum, quin etiam supernaturale hoc orandi genus minimè est ad salutem necessarium, neue hoc à nobis Deus requirit; nec propterea hi minùs perfecti erunt; si modò virtutibus sedulò incumbant. quin etiam fieri poterit, vt maiora promerituri sint, quia maiorem molestiam

Non est hæc ad salutem necessaria.

by Google

ſtiam ſubeunt & laborem, eos Deus veluti fortes quoſdam deducit, & illa, quibus hic non fruuntur, in futuram ipſis vitam, omnia ſimul elargiendo, reſeruat. Conſiderent inſuper ac videant, veram humilitatẽ inprimis in eo ſitam eſſe, vt cõtenti ſint eo, quod de ipſis Deo viſum fuerit diſponere; neq; enim bona ea humilitas eſt, ſi electionem ipſi faciamus, ſed Domino Deo omnia committenda ſunt, qui exploratum habet, quo vnumquemq; ſit loco iuxta meritum conſtituturus. Ecquod verò euidentius Dei erga ſe amoris habere argumentum volunt, quàm quòd ſuæ eos crucis reddat participes? cùm ſingulare id lucrũ ſit, noſtro nolle arbitrio lucrari, iacturæ metu: cùm numquam hanc incurrere ſinat Deus illum, qui bene mortificatus fuerit, niſi vt maius inde emolumentum ſequatur.

22. Aiebat denique, orationem, etiam ſublimiſſimam, ſemper ad operum praxin referri debere, quibus amorem, quo erga Deum ferimur, ſcilicet teſtemur: non ſatis eſſe rati, quòd orationi incumbamus, & frequentes conſolationes & inſignia Dei chariſmata habeamus; ſed ea faciam' oportet, quibus illi egregium obſequium præſtemus, & difficilia virtutum practicemus exercitia: atq; hęc demum veram eſſe notam, qua colligas orationem bonam eſſe, & gratias, quæ communicantur, à Deo deſcendere. Dicebat inſuper, eum, qui mortificationi, humilitati, reliquiſq; virtutibus non ſtuderet, etſi vel diutiſſimè orationi incumbat, paruum ſemper manſurum; & adeò non fore vt ad maiorem altitudinem excreſcat, vt ea etiam quam habebat minuenda ſit: atque animæ profectum non tam ſitum eſſe in ſæpè de Deo cogitando, quàm in eo ardenter diligendo; hunc porrò amorem firmo faciendi, operandi, & pro Deo patiendi propoſito comparari.

*Circa finem ſeptimæ manſion.*

*Vera nota bonæ orationis.*

*In quo animę conſiſtat profectus.*

De hac illa materia in quadam ad P. Hieronymum Gratianum epiſtola ſic ſcribit: *Quod ad interiora illa ſpiritus, illud ſanè melius, certius, & acceptius eſt, quod meliores in nobis relinquit affectus. non hic quadam intelligo deſideria, quæ illico nobis innaſcuntur. etſi enim illa bona ſint & laudabilia, interdum tamen non ſunt talia, qualia nobis amor proprius eadem depingit. Affectus dico operibus confirmatos; atque vt deſideria, quæ honoris ac gloriæ diuinæ promouendæ ſentimus, manifeſtè appareant in eo, quòd ſeriam gloriæ huius rationem habeamus, memoriamque & intellectum noſtrum in illi placendo gratificandoque penitus occupemus. Hæc namque vera eſt oratio, non verò blandimenta aliqua & deliciæ ſpiritus, quæ mentis palato arrideant. Equidem aliam orationem non deſiderem, præter illam, quæ me in virtutibus faceret proficere.*

Finem porrò non reperiret narratio, ſi vniuerſa, quæ oraturis præſcripſit monita, huc afferre velim. hæc tamen religio mihi fuit prætermittere, quòd perutilia ſint ijs, qui orandi ſtudio aut iam tenentur, aut ſaltem teneri deſiderant. Alia verò plurima, quæ particulares orandi modos ſpectant, ac proinde nonniſi pauciſſimorum ſunt,

studio omisi, vt, quibus ea necessaria sunt, in vitæ eiusdem, aut Mansionum libro eadem legant, ne hic æquo sim prolixior.

## CAPVT IX.

### *DE EXIMIA EIVSDEM FIDE.*

IAm particulares eiusdem attingendi virtutes tempus est, cùm pluribus de illarum parente, oratione, iam tractauerimus. Cùm verò omnium ipsarum basis & fundamentum sit fides, ab eadem ducamus initium: quamquam pluribus huic immorari non sit necesse; cùm, quæ sic à rebus mundi huius affectum omnem exuerat, ac pro diuino obsequio animarumque salute tam impigrè strenueque laborarat; non id aliter facere potuerit, quàm per maximam, & veritatibus ac bonis supernaturalibus confirmatissimam fidem. Et quamuis nec huiusce rei euidentem hanc rationem haberemus, hæc duo dixisse nobis dumtaxat sufficeret: Primum illud, tam singulariter hanc illi virtutem à Deo datam, nullam vt vmquam aduersus eam tentationem in animo senserit, vt ipsius manu quadam in scheda exaratum testimonium fidem faciet. Secundum, sua ipsam monasteria, tam primum, quàm reliqua omnia, ad fidei augmentum fundasse, & vt continenter in ijsdem fierent pro hæreticos oppugnātibus, & fidem Catholicam propugnantibus preces, ieiunia, & corporis afflictiones. Tam ingens quippe illius erat fides, vt sese omnibus crederet persuadere hæreticis posse, à vera illos fide delirare.

*Rationes, quibus Teresæ fides cōfirmetur.*

Hinc dicere solebat, quò minùs fidei intelligebat mysteria, eò illa se magis credere, & maiorem hæc sibi vicissim ex hac parte pietatem causari; quin imò non se vulgari idcirco gaudio repleri, quòd eadem ingenio & intellectu non comprehenderet, & hoc ipsam magis recolligere.

*Teresa fidei mysteria magis credebat, quàm intelligeret.*

Etsi cum viris eruditione præstantibus numquam non ageret, numquam tamen ab horum quopiam est percontata, quomodo hoc, vel illud Deus fecit? vel, quo hoc esse modo potest? imò talia ipsa ne scire quidem desiderabat. Nihil illi aliud opus erat, quàm cogitare, *Deus fecit omnia.* hinc etiam non habere se dicebat, vnde ipsum obstupesceret, sed vnde laudaret. Dicebat adhæc, si quid eorum, quæ orationis tempore videbat vel percipiebat, ad aliquid fidei contrarium vel legi diuinę repugnans ipsam perpulisset; minimè sibi necessarium futurum Doctores consulere, aut alia quępiam eius examina adhibere; quia confestim collegisset, à cacodæmone id suggestum fuisse.

*Visionibus fidei cōtrarijs non est adhibenda fides.*

Capite verò vitæ suæ trigesimo hæc scribit verba: *Veniebant ad me trepidan-*

*dantes, ac dicebant, periculosa esse tempora, ac futurum fortasse, vt aliqui me falsò apud sacros Inquisitores deferrent. Hoc verò risum mihi mouit: hac enim in parte numquam timui. Paratam namque me sentiebam pro fidei articulorum defensione mille mortis genera subire potiùs, quàm vt aliquid quispiam in me vidisset, quod vel cum minima Ecclesiæ cerimonia, vel aliqua sacrorum voluminum veritate pugnasset. Quare monebam eos, horum ne timore tangerentur: non exiguam enim animæ meæ crucem futurum, si vel minimum in eadem latuisset, ob quod fidei me Quæsitores oportuisset timere: addebam me insuper, si aliqua eius subesset rei mihi suspicio, vltrò ipsos adituram, & meïpsius apud illos accusatricem fore, &c.*

Teresa Inquisitioné non metuebat.

Atque vti id de se scripsit, sic etiam opere præstitit, cùm vltrò ac sponte sua, nulla accusatione præmissa, sacri illius tribunalis assessores adijt, ea dumtaxat de causa, quòd, si qua in re à recto deflecteret sensu, per ipsos reuocari in viam, vnde declinarat, optaret. Ita namque de se ipsa in commentario rerum Hispali gestarum scripsit: Franciscus enim de Soto & Salazar de sacris Inquisitoribus vnus, qui deinde Salmantinus Episcopus decessit, cùm Abulam perrexisset; hunc ipsa de omnibus spiritus sui rebus consuluit, idque ea, quam diximus, intentione ac scopo. verùm cùm hoc ad suum minimè is tribunal spectare asseruisset (cùm quidquid ipsa videret & intelligeret, hoc ipso magis in fide Catholica confirmaretur) cum Magistro Auila suasit suis de rebus vt conferret, & quodcumque is demum censeret, eo ipsa acquiescens niteretur. Quidquid etiam de vitæ suæ rebus & orandi modo scriptis crediderat, Dominico id Bannesio per se tradidit, vt id ipse sacro Inquisitionis Concilio nomine suo offerret. quod etiam scripti genus cum multo tempore apud Gaspatem Quirogam Cardinalem Toletanum, eiusdem consessus Præsidem mansisset; demum illius & omnium qui ipsum inspexere calculo approbatum, hoc ipso anno duodenonagesimo lucem adspexit.

Teresa Inquisitores adit.

Teresa vitā suam Inquisitoribus legendam dat.

Magna etiam anima eius consolatione perfundebatur, quotiescumque considerabat, Ecclesiæ se esse filiam: vti liquidò tum patuit, cùm ad extremum vitæ terminum venisset; nam hanc gratiam magna animi gratitudine recolens, iteratò id ac sæpiùs repetebat, vti libri tertij capite postremo dixisse memini. Inde verò ortum habebat singularis illa, qua non erga Venerabile Eucharistiæ Sacramentum solùm sed & erga sacras imagines, & Ecclesiasticum officium, quod magna quadam pietate ac intimo pietatis sensu persoluebat, ferebatur, reuerentia; nec inferior erga omnes eiusdem cærimonias, etiā minimas; quin etiā erga grana ac rosaria benedicta, qualia semper aliqua & ipsa penes se habebat, & à suis gestari perpetim volebat, vt concessas à summis Pontificibus tum Ordini vniuerso, tum per singularia diplomata Indulgentias lucrarentur. Exprimi non potest, quàm mirabiles ipsa affectus erga aquam lustralem præferret, ob sin-

Teresę cōsolationi est, quod Ecclesiæ esset filia

Teresæ erga aquam lustralem fides.

singularem qua in ipsam ferebatur fidem. de qua primo & trigesimo vitæ suæ capite sic locuta est: *Frequenti experimento didici, nulla re dæmonas fugari citiùs, vt deinde non redeant, quàm huius aspersione. Crucis quidem signaculo etiam pelluntur, sed confestim redeunt. Maior igitur aquæ huius vis sit oportet.* His tamen verbis efficere non vult, nec statuere, cruci minorem ad effugandos diabolos, quàm benedictæ aquæ efficaciam potentiamve inesse, cùm nimirum in alijs secùs contingere queat; sed id tantummodo commemorat, quod sibi interdum contigit.

Deinde verò sic scribit: *Equidem singularem quamdam & notißimam in anima mea consolationem sentio, quotiescumque hac me aspergo; certum verò est, talem mihi vt plurimum recreationem velut gaudiũ quoddam interius, quo vniuersa anima confortatur, accidere, vt verbis id ipsa exponere non possem. Neque id quidem solũ nuda opinio est, neu quid, quod nonnisi semel mihi acciderit, sed quod sæpenumerò iam comperi, & quidem diligenter aduertens. Dico igitur, quemadmodum si quis maximo in ardore constitutus, & ardenti cruciatus siti, frigidam biberet, totus deinde refrigeraretur, ita se hic rem habere. Equidem ita mihi persuadeo, magnum esse, quidquid Ecclesia decreuit; & summopere delector, viso tantam verbis hic inesse efficaciam, vt eam etiam aquæ communicent; vt appareat nimirum, quantopere discrepet ab eo, quod benedictum & sacratum non est.*

*E cap. 34. via perfect.*

Si quando dicentes audiret, optare se eo vt vixissent tempore, quo in vita hac mortali Dominus mortalis degebat, apud se quærendo dicebat, cùm in sanctissimo hunc altaris Sacramento præsentem haberent, quid aliam anxiè præsentiam exquirerent? Hinc ipsa plurimorum spatio annorum, quoties augusta Eucharistiæ obiret mysteria, non eadem minori accipiebat reuerentiæ sensu, quàm si corporeo in schemate suo succedentem eumdẽ Dominũ tecto conspexisset. Quo ad res fidei, hoc ipsa documentũ initio commentarij in Cantica præscripsit, quo loco de quadam libri illius sententia, quam non intelligeret, tractans, (quam etiam non intelligere magnam illi voluptatem & consolationem afferebat) in hæc scribit verba: *Quia, carißimæ meæ, non est necesse animam tam multa videre; nam quæ tenui curtoque ingenij modulo hoc in mundo comprehendere valemus, eam nec tam acutè videre, nec tam reuereri Deum faciunt, quàm ea, quæ nullo modo comprehendi valent vel intelligi. Quapropter seriò vobis commendo, vt, cùm aliquem legeritis librum, vel concionem audieritis, vel denique aliquod fidei nostræ mysterium cogitatione perpenderitis, quod commodè facileq; percipere non potestis, in illo intelligendo adeò vos nõ torqueatis, nec cogitatione intensa in intimũ illius sensum penetrare velitis. Multa siquidẽ sunt, quæ à mulierib. propriè nequeũt intelligi, imò ne à viris quidem. Si quãdo Domino visum fuerit, vt ipsum intelligatur, Maiestas eius ea facit intelligere, quãuis nullum à parte sua laborem homines huc conferant. Hæc tam de mulieribus, quàm viris, qui quidem scriptis & eruditione sua veritatem propugnare non debent, dicta volo: nam eos, quos hunc Dominus ad statum vocauit, vt nobis eadem eruditione sua*

Mulieres torquere se nõ debẽt, vt intelligant, quæ cõprehendere nequeunt.

*decla-*

*declarent, suum torquere ingenium debere iam verisimile est; quod ipsis etiam in meritum cedit & gloriam. Nos verò mulieres simpliciter admittere par est, quæ Dominus nobis dignatus fuerit conferre; quæ verò negauit, eadem vt comprehendamus, nimiopere mentem non discruciare; sed lætari solummodò, vbi ad animum reuocauerimus, tam potentem nobis Deum ac Dominum esse, vt vel vnicum verborum eius sexcenta in se mysteria comprehendat, nos verò huius ne initium quidem percipere.*

## CAPVT X.

### *DE SINGVLARI ILLIVS IN DEVM amore, & insigni huius perfectione.*

QValem habuerit spem, & quàm ea solida & firmiter radicata esset, pluribus opus non est ostendere; nam cùm spei fundamentum, Apostolo testante, sit fides, facilè iam videre est, quàm solidè illa niteretur, tam bono fundamento inædificata. Deinde è magna illa lætitia ac iucunditate, quam in maximis suis sentiebat laboribus, sicuti pòst suo dicturus sum loco, nec non ex ingentibus atque arduis quæ aggrediebatur operibus, neminem non videre existimo, quàm viua in præcordijs eius spes effloresceret. Quamobrem satiùs fuerit de feruenti eius erga Deum loqui charitate: etsi (si modò verum sit, quod Pontifex docet Gregorius, & fatentur omnes, nempe operationem amoris esse notam & tesseram) quæ tantum præstitit, quæ vsque eò elaborauit, quæ pro Dei gloria tam multa subijt, præsertim tot obstaculis ac maleuolorum persecutionibus remorantibus, tanta in rerum penuria, tot morborum incommodis, ijsque grauibus admodũ & propè quotidianis prostrata, quàm illius amor ardens, quàm succensus fuerit oportet. Libri, quos scripsit, ardentibus pleni sunt (nam ex abundantia, quæ illius in præcordijs natabat, non poterat os eructando non loqui) desiderijs, quibus diuinam promoueri optabat gloriam. Hinc illi imprimis congratulabatur & congaudebat de bonis quæ habebat: &, quoties in Symbolo Niceno regni Christi non fore finem audiebat, maximo in seipsa gaudio perfundebatur. Repleti sunt & alijs desiderijs, incensa inprimis moriendi voluntate, vt per mortis ianuam ad dilectissimi sui admitti conspectum posset. vnde & hoc in mundo quotidie viuens moriebatur, se viuere necessariò debere cernens; & non antè fieri posse, vt illius conspectu frueretur, quàm hoc ipsam carcere mors educeret; & hanc nulla sibi procurare arte licere, sed tamdiu necessariò expectandam, quoad eam Omnipotens emittere dignetur. Vnde moriebatur, quòd nondum moreretur, & viuere volupe illi esse non poterat; nec non graue illi erat vitam ferre, nec aliter hanc se ferre aiebat,

*Hebr. 11.*

*Hom. 30. in Euangel.*

Opus probatio amoris.

Teresæ desideria gloriæ diuinæ inaugendæ.

Item moriendi.

quàm quòd illam Deus ferret. Quare quoties horæ signum dabatur, interna quadam voluptate is eam demulcebat sonus; quòd hoc sibi pacto Deum propiorem reddi crederet. Imò verò retinere seipsa non poterat, quin mortem ab Altissimo ardenter expeteret: hinc quadragesimosecundo libri, cui Via ad perfectionem est nomen, manu exarati capite (quod in editis nonnullis deest) hæc habet: *Vos verò, carissimæ, petite, vt quidem vobis videbitur; equidem nullum, interim dum viuitur, remedium comperio: hinc à Domino ipsa ardenter efflagito, vt me ab omni perpetuò malo liberet. Ecquodnam, quæso, carissimæ, in hac vita bonum reperimus, cùm tam magno excellentiq; careamus bono, & ab ipso absentes simus? Libera me Domine ab hac vmbra mortis, &c.* Subnectit verò: *Libera me iam Domine Deus meus ab omni malo, ac me digneris ad ea perducere loca, quæ omnigenis redundant bonis. Quidnam, obsecro, hic ampliùs exspectent illi, quibus iam ex parte manifestasti, quid sit mundus, quiq; viuam eorum habent fidem, quæ ipsis à Patre tuo æterno reseruata sunt?* His adscribam, vtpotè ad rem egregiè faciens, quod sua ipsa manu ad Confessarium scriptum transmisit: *Tota hesterna die maxima in solitudine animi versata sum: nam, præterquam sacræ communionis tempore, in me experta vix sum Resurrectionis Christi festum fuisse, nullumq; in me ea operata effectum est. Vesperi porrò cùm in aliarum monialium agerem contubernio & carmen quoddam spirituale ab illis cantari audissem, quo durum esse dicebatur & acerbum sine Deo debere viuere. Atq; vt ipsa iam in animi angore versabar, quam auditum carmen in me operationem fecit, adeò quidem singularis fuit, vt manus mihi cœperint obstupescere, & nullo hunc ipsa stuporem impedire modo potuerim: nisi quòd, vt ipsa à me per raptus gaudij excedo, ita anima permagno suspendatur dolore; adeò vt & alienata maneat. & id hactenus nondum intellexeram, quin imò paucis abhinc diebus tam vehementes experiri impetus non videbar, vt solebam. & modò mihi videtur id, quod dixi, eius esse causa, vel ipsamet nescio quid causa esse queat. antea enim eò nondum pertingebat pœna, vt me à meipsa egredi compelleret; & cùm adeò ea intolerabilis sit, & ipsa sensuum vsum haberem, horribiles me edere voces compellebat, easdem vt coercere non possem. Iam verò, cùm eadem aucta sit, ad hunc demum mentis excessum res deuenit; & iam multò percipio meliùs, quàm percepi hactenus, id quod Deipara habuit: nam, vti dico, non intellexi quid esset excessus. Corpus autem adeò fractum inde & debilitatum mansit, vt etiam hodie hæc ipsa non nisi maximo cum cruciatu scribam: manuum quippe articuli quodammodo loco moti & enerues dolore vexantur.*

Quomodo mors optanda.

Hæc Salmanticæ contigere, primo post constitutum illic cœnobium anno; quæ accepi ab ea, quæ & præsens adfuit, & vidit, & carmen ipsum cecinit, cuius id erat exordium, *Vean te mis ojos dulce Iesus, bueno*, &c. id est, *Videant te oculi mei suauissime atque optime Iesu*, vnà cum suis responsorijs. Cùm verò intimum animæ eius hoc carmine ferirent desiderium, adeò sensus expers mansit, vt velut exanimis cubiculo efferenda, &

da,& in lectulum reclinanda fuerit, atque hæc alienatio mentis vtcumque diuturna fuit: adeò vt etiam die postera sui quodammodo impos manserit. Inde hęc ad Confessarium suum verba scripto misit: *Vehementia hac moriendi desideria & impetus nonnihil me iam dereliquerunt, ac præsertim iam inde à festo D. Magdalenæ die, quo firmiter in animum induxi meum, libenter hac in vita superesse, vt maius ac diuturnius Deo præstarem obsequium; nisi quòd adhuc interdum illius videndi, etsi vel totis obnitar viribus, & quidem frustra, desiderium recurrat.*

Adeò quidem in Deum absorpta erat, vt, cùm quidam è Confessarijs eiusdem, vir eruditione spectabilis, quocum suis de rebus sincerè conferebat, & quem suorum nihil celabat, quodam ex ipsa die peteret, quomodo suum ipsa quotidie tempus dimetiretur (credebat enim, aliquot ipsam de die horas orationi dedicare, ac deinde aliarum se rerum tractationi impendere) huic hunc ipsa in modum responderit; non posse quempiam ita alterius amantem fingi, amato ne ad momentum quidem carere valendo, vt ipsa Christi Domini amans erat, cum ipso sese oblectando, semperque illi & de illo loquendo. Continua Teresiæ oratio

Vna è causis, ob quas maximo in imagines studio ferebatur, hæc erat, quòd ardentissimo in Deum & Sanctos desiderio raperetur: hinc cùm aliquam Redemptoris, vel sanctissimæ Matris eius in manus imaginem acciperet, iucundum erat audire, quibus eamdem compellabat verbis, tantum amorem & cordis teneritudinem spirantibus, vt anima eius dilectione liquefieri videretur. Amor Teresiæ erga Deũ, Erga imagines, &c.

Sæpè eam tam vehementes atq; acres amoris diuini impetus occupabãt, vt deficeret animo, & annihilaretur, nullaq; eorumdem sibi auertendorum ratio superesset, nec seipsa caperet, sed vita illam deficere videretur. Quin imò vt certum habetur, quandoque illam defecturam fuisse, (quia amoris huius ea erat magnitudo, vt illi ferendæ natura eius par non esset) nisi exstaticis eamdem raptibus, quos tum illi Dominus communicabat, imminuisset ac temperasset: per hos enim fiebat, vt anima eius insigni gauderet quiete, & interdũ etiã vel videre specimen aliquod rei eius, ad quam anhelabat, & interdum etiã alia audire illi satisfaceret. Ac tum quidem abditissimum & quietissimum totius domus locum consectabatur. Fuit, cùm Matutino officio egrediens in secessum aliquem ac cellam domesticam clam concederet, in qua sine vllo prorsus lumine, frigido corpore, ac velut emortua reperiebatur; ac monialibus quæritãtibus amplius in sua esse negabat potestate ipsum impedire. Iam hac de re, deque admirabili illa Seraphini visione, sagitta cor illius ferientis, ac diuini amoris flamma cor succendentis, quod illa visum aliquoties vidit, suprà libro primo locuti sumus. Adeò porrò immensus hic erat amor, vt, quamuis alijs se in rebus imperfectam crederet, sentiret tamen semper ardenti se in Deum amore ferri, & hic magis indies increscebat. Cap. 30. vita.

 Di-

Eius in Deũ amor.

Dicebat adhæc, se quidem exultaturam, si alios in cœlo maiori se gloria videret donatos; nescire tamen, num exultaret ac congauderet, si alius se magis Deum diligeret.

Omnia laborum & ærumnarum propter Deum susceptorum genera parua illi videbantur: hinc & pœnitentias & austeritates, tametsi grauissimas, nullo ducebat loco. Imò plures haud grauatim subijsset mortes, vt vel vna dumtaxat anima Deo deseruiret. Etsi verò omnes omnino homines quàm maximè Deo cuperet famulari, si quos tamen videret singularibus quibusdam à Deo talentis donatos, quos eius obsequio imprimis aptos fore censebat, quàm ardentissimè eos in animi penetralibus desiderabat à Deo ad illud euocari, & in peculium assumi. Nonnumquam quidem adeò vehemens & anxium illud eius erat desiderium, vt se ipsa compescere haud valeret. Quare omnem statim, quam poterat, adhibebat diligentiam, & summo cum feruore preces ingeminabat, Domino sic supplicans, *Respice, Domine, aptum hunc esse, qui in amicum tuum cooptetur.*

Quo arderet desiderio, vt aliqui Deo famularentur.

E Cap. 34.

Bonorum ruina, hæresum propagatio, & quotidianæ Ecclesiæ necessitates animum eius mirè excruciabant; hinc assiduas hæ oculis lacrymas exciebant, & vt corpusculum frequentiùs rigoribus attereret, in causa erant. Vt & hanc fuisse libro secundo rationem dixerimus, cur tantam in cœnobijs suis rigorem seueritatemque vitæ voluerit obseruari. Nulla ei quoque accidere mors poterat grauior, quàm cùm metuebat animo reputans, ne fortè Deum crimine aliquo offendisset. Atque hæc ipsam cogitatio sic interdum affligebat, vt quadam vice tota lacrymis madescens, humi enixè dilectum sit deprecata, ne quid huiusmodi vmquam permitteret. A quo audiuit, non esse, quòd hoc se nomine anxiè distorqueret, quin imò certò sibi persuaderet, in eius se gratia esse: neque enim talem amorem erga Deum, quo ipsa inæstuabat, & eos pietatis sensus, quos eius animæ conferret, cum letali aliquo posse scelere simul consistere.

Cur rigorẽ in sua induxerit monasteria.

Dominus Teresæ asserit, ipsam in gratia esse.

E Cap. 35.

Si quid ageret sensualitati graue, valdeque eius desiderio repugnans; vbi ad animum reuocabat, ad maius illud Dei obsequium referri, tantam in se ipsa lætitiam & voluptatem sentiebat, quòd illi hoc modo gratificaretur, vt omnem, quam huius in executione patiebatur, pœnam nihili faceret. Quò autem magis sua Dei causa consolatione se priuari videbat, eò illi etiam erat gratius eadem carere: adeò vt, quamuis ob consolationis amissæ iacturam dolere & affligi voluisset, minimè potuisset.

Quomodo Teresa recrearetur, si quando quid faceret ad diuinam spectans gloriam.

Quidquid occurrebat impedimentorum exteriùs, ipse etiam cibus, potus, somnus, & quidlibet negotiũ intercidens, quo cũ Domino esse, ac suaui eius conuersatione potiri impediebatur, graue illi erat & peracerbum. Idem tamen Dei amor, qui doloris huius & pœnæ erat occasio, ita ipsam adurebat vehementer, vt omnibus læta adeò hilaritate sese negotijs & promptitudine exteriori impenderet, perinde ac si gratissima & optatissima illi extitissent.

E Cap. 37.

Sem-

Semper magna quædam & ſingularia in Dei obſequium opera effi- E Cap. 30.
cere geſtiebat, à quorum executione arceri, & adferre non poſſe à parte ſua, quæ ad eius generis opera neceſſariò requiri cenſebat, qualia nimirum ſunt corporis valetudo, vires, talentum & libertas ad animas Deo lucrifaciendas, generoſum animum eius maximè diſcruciabat. Si quando proſtrata ſe valetudine maiora exequi impeditam videret, ſatis illi erat & conſolationi, ſi vel aliquid etiam minimum faceret; qualia, gratia verbi, ſunt ramuſculis ac floribus imagines conueſtire, oratorium euerrere, aliaque generis eiuſdem. Ardentiſſimè quoque deſiderabat Deum ab omnibus coli & laudari, & eius Eccleſiæ fines longiùs proferri; quin imò omnis eiuſdẽ oratio huc ferè tota referebatur, & rariſſimè ſuijpſius cauſa Deũ orabat: vt quæ purgatorio apud inferos igne cruciari parũ moraretur, ſi vel modicum Eccleſiæ fieret incrementum.

Deſiderium Tereſæ, vt Eccleſiam ſuam promouere Deꝰ dignetur.

Vt maius cum Deo agendi ſibi temporis ſuppeteret ſpatium, externorum quàm poterat maximè declinabat commercium, etſi vel maximè neceſſariorum, & conſanguineorum: & cum ſolis illis ipſi volupe erat conferre, qui orationi ſeſe dabant, quoſque Dei amor, vti ſe ſauciaſſet. horum ſiquidem conuerſatio conſolationi illi erat ac voluptati.

Cùm Hiſpali domum fundaret, appulit illuc ex Iudæa reuerſus frater eius Laurentius Cepedius, qui tum ſorori, tum monialibus omnibus inſignem in monaſterij fundatione operam nauauit. ſcrupulis igitur agitari ac religione moueri cœpit, (etſi omnis nonniſi de rebus ad animæ eius incolumitatem, & rerum illius directionem ſpectantibus ſermo eſſet) num Conſtitutionum decretum violaſſet, ſuadentium, vt ab omni ſe moniales conſanguineorum affectu ſequeſtrent. Cogitanti igitur, ſatiuſne foret hanc cum fratre communicationem abrumpere, ſeque diuertere, reſpondit Dominus, *Nequaquam, filia mea, nequaquam: neque enim aliter Conſtitutionibus ipſa tuis obſtricta es, quàm quatenus legi eæ meæ conformes ſunt.* Amor hic in cauſa erat, vt animam illa ſemper puriſſimam haberet: de qua hoc modo ſuo in commentario, cuius ego ſeptimo libri huius capite memini, confeſſarius eius locutus eſt: *Religioſa hæc puram adeò habet conſcientiam, vt quotquot eius delicta in confeſſione accipimus, & cum eadem perfamiliariter communicamus, quin imò eiuſdem ſodales, eamdem obſtupeſcamus: dici verè namque poteſt, quidquid animo voluit, quidquid agit, Deum eſſe, ad honorẽ diuinũ cuncta ac ſpirituale animarũ emolumentũ referri. adeò, vt ne minimum quidem, quacunq; demum de cauſa, veniale crimen contraheret, ſi modò ſciret id eſſe huiuſmodi, vt omne illius eò ſtudium referatur, quomodo melior indies euadere, & ad perfectionem peruenire queat.*

Conſcientiæ Tereſæ puritas.

Teresæ viuẽdi ratio Angelica potius quàm humana.

Alius è Confessarijs (quem F. Petrum Iuagnezium fuisse mihi persuadeo) viuendi eius rationem Angeli cuiusdam videri potiùs ait, quàm creaturæ alicuius humanæ.

Prolixior æquo forem, si quidquid hoc in genere dici queat, huc afferre velim. Verùm quoniam Christianæ vitę perfectio in charitate potissimum consistit, duo hic aut tria exempli loco depromam, è quibus quadamtenus patescat, ad quàm sublimẽ perfectionis ipsa apicem Teresa pertigerit. Primum est: Cùm ad Hispalensem fundationem abiens secundam Paschatis solennitatem in oratorio quodã haud procul ab Ezija perageret, mente recolere cœpit, qualem sibi aliàs hoc in festo gratiã Omnipotens cõmunicasset: vnde natum subitò illi desiderium, insigne aliquod ad gratificãdum vicissim ei obsequium præstandi. Cumque varia id genus obsequia cogitatione versaret, nullum occurrebat, quod non aliàs à se factum esset. Igitur post diutinam cogitationem nouum aliquod occurrens, etsi id difficillimum foret, opere etiam ibi præstitit; quod tum commemorabo, cùm de obedientia eiusdem dicendi erit locus. Secundum id esto: In omnibus quæ constabiliuit monasterijs, iam inde vsque ab primo ad postremum, nihil vmquam quà facto, quà verbo etiam minimum, quod ad diuinum facere nosset obsequium, vel in ipsorum fundatione constituenda, vel in illorum necessitatibus prospiciendo, vel in fautorum amicorumque gratia procuranda, prætermisit. Tertium denique: Inde vsque ab Abulensi sede constituta, quin etiam aliquot antè annis, quoad demum de vita decederet, nulla vmquam adeò vehementi impetita tentatione fuit, quæ intermittere ipsam cogeret, quod ad ampliorem Dei facere gloriam vel ipsa nosset, vel ab alijs audiret. Nec verò vulgari quadam ratione id ab ipsa fiebat; cùm etiam voto se obligasset, in omnibus se rebus non modò quod Deo placeret ac gratum foret, sed etiam ea, quæ illi gratiora, magis placitura, & ad maiorem eiusdem tendentia gloriam, & maioris perfectionis occasionem sibi fore intelligeret, facturam. Id porrò votum non ad minoris momenti res, (vt scrupulis hoc modo occurreretur) sed ad maioris referendum intelligebat. Cuiusmodi ipse votum nec legi vmquam, nec audiui Sanctum quempiam emisisse. quod qui nudè concipit, si modò sciat, quid faciat, næ apertissimum eum altissimæ ac singularissimæ cuiusdam perfectionis signum edere censeo: eò etiam magis, cùm, quæ id concepit, conscientiam adeò haberet anxiam ac meticulosam. Non enim id sine maxima rerum omnium creatarum abdicatione, sitientissimo Creatori complacendi studio, & singulari in animam ac passiones eiusdem dominio poterat fieri. Nec verò leuiter id & temerè ipsa nuncupauit, nec quid ageret, aduertendo, sed consultò admodum, & Generalis sui & Commissarij Apostolici nutu & assen-

Teresæ perfectio exẽplis declaratur.

Diuino obsequio Teresa studet in monasteriorum fundationibus.

Vouet se facturã, quidquid ad maiorẽ Dei facere sciret gloriam.

Votumq; hoc temerè emittendum non est.

Digitized by Google

assensu accedente. Quid igitur, ipsum adeò integrè perfecteque tot spatio adimplere annorum? ecquæ verò eiusdem adimpletione spiritus diuitiæ comparari? quis meritorum cumulus coaceruari? quàm ad sublimem euehi gloriæ gradum quis possit? Quoniam verò Deus fidelissimus est, amantes se diligit, & magnum amorem celare nonnisi difficillimum est; hinc vicissim ipsam amicè recreabat, & verbis quàm amicissimis persæpe compellabat, quibus suum erga ipsam amorem testabatur. Libro vitæ suæ quædam sibi à Domino aliquando dicta repetens verba, inter alia hæc refert: *Sed ne mihi persuaderem, ipsum mei memoriam deposuisse; quia numquam ille mei obliuiscebatur; sed necesse me esse facere, quod in me esset. Nec verò sine pietate quadam & consolatione hæc à Domino mihi verba dicebantur, additis etiam verbis alijs. qua re tam insignem in me contulit gratiam ac fauorem, vt dicere ea non valeam. Hæc, quæ mox addam, sæpius mihi à diuina eius maiestate in magni amoris testimoniũ iterata sunt: Mea iã es tota, filia, & vicissim ego tuus. Quæ verò identidem repetere soleo, quæq́; meo quidẽ iudicio vt verissima dico, hæc sunt: Qua de re solicita esse debeo, nisi de te, Domine?* E cap. 39.

Quadam ipsam vice cùm reprehendisset Dominus, quòd id, in quo versabatur, dubium planè non deponeret, num scilicet, quæ patiebatur, diabolo auctore fierent, nec ne; maximopere contristata est; & ecce statim magna cum suauitate & mentis teneritudine illi ait, ne se affligeret, vel torqueret; scire se, per illam non stare, quo minùs se libenter obijciat ijs, quæ ad obsequium suum spectarent, &, quidquid tum ipsa vellet, ad exitum se perducturum (& ita reuera contigit) vehementem erga se amorem respiceret, qui in corde eius quotidie magis magisque increscеret ad se ardentius diligendum; & hoc illi certissimum argumentum fore, hæc dæmone auctore minimè fieri. Addit insuper: *Quadam suasit mihi vice magna me amoris significatione consolando, ne contristarer, in hac enim vita fieri non posse, vt in eodem semper viuamus statu:* Cap. 40. *quandoque enim me feruore mentis exæstuaturam, quandoque omni prorsus cariturам; interdum distractionibus turbandam, aliàs in quiete futuram, interdum etiam tentationibus exagitandam: verum spem in ipsum conijcerem, & nihil formidarem.* Quodam die cùm affligeretur, quòd se corporeis videret necessitatibus seruire & obsecundare debere; apparens illi Dominus, & consolando demulcens suasit, vt quidquid corporeæ necessitati impenderet, sui causa id faceret, & hanc molestiam æquanimiter perferret, quòd vita eius alijs necessaria foret.

Non semper eodẽ in statu manere quis in vita hac potest.

Hæc porrò quadam in charta exarata per illam exstant: *Ad hoc vsque manè hac in afflictione versata sum, cumquе in oratione agerem, magno quodam in raptu spiritum putaui meum ad vsque æterni Patris conspectum à Domino delatum; atque hunc illi dicentem audire, Hanc tibi reddo Pater, quam mihi dedisti. ac tum videbar illi propius admoueri. Non est porrò hoc imaginarium quid,*

*quid, sed res certißima, tantaq́; spiritus includit blanditias, vt verbis exponi eæ non queant. Tum ille mihi verba quædam insusurrauit, quorum modò non recordor; quorum quædam eò spectabant, vt gratiam mihi se communicaturum sponderet. Atque hoc ille me pacto aliquanto temporis spatio apud se detinuit.*

Alijs in schedis hæc quinque, quæ sequuntur, scripta reliquit. Primum quidem, quod contigit primo quo Incarnationis monasterio præfuit, anno: *Posthac*, inquit, *perseueraui in eo orandi modo, quem modò seruo, in quo nimirum anima cum SS. Trinitate versatur: ac videre videbar, Patrem æternum ad me accedere, meq́; amicißimè compellare, hæcq́; inter alia mihi dicere, suum erga me amorem patefaciendo: Dedi tibi filium meum, ac Spiritum sanctum, & hanc Virginem; quid dare mihi ipsa potes?*

Alterũ id est: *Aliàs hæc ad me Dominus verba protulit: Noli metuere filia mea, vt quis te à me diuellere queat. Tũ se mihi per visionem imaginariã, vti & aliàs admodũ internè repræsẽtauit, dextrãq́; mihi suam porrexit, dicens: Respice clauũ hunc; futurus enim est signũ & arrhabo, iã inde ab die hoc, sponsã meã te fore: hactenus id quidẽ ipsa promerita nõdum eras, posthac honoris mei studiosißimè rationem habebis, nõ modò vt Creatoris, Regis, ac Dei tui, verũ etiã vt vera spõsa mea. honor quippe meus iã tuus est, ac tuus meus. Gratia porrò hæc tã eximiã in me operationem effecit, vt intra me contineri ipsa non possem, & sensuum propè defectum patiens Dominum rogaui, vt vel meam extenderet adaugeretq́; vilitatem, vel non tantos mihi conferret fauores. nam reuera eisdem natura mea ferendis impar videbatur. Et eo ipso die tota imbuta ac perpluta mansi. Magnum inde postea animæ emolumentum percepi, quamquam etiam maiorem quamdam confusionem & afflictionem, quòd tam singularibus paria fauoribus obsequia non afferrem.* Contigit id secundo Præfecturæ eius in Incarnationis cœnobio anno, in octaua sancti Martini Episcopi.

Teresam Dominus consolatur.

Tertium porrò hoc est: *Postquam à sacra Synaxi reuertissem, visus mihi est apertè admodum Redemptor Iesus ad latus meum aßidere, & amicißimis me verbis & suauißimis consolari, his inter cetera: Ecce me, filia mea: nam ego sum; tuas mihi ostende manus; quas acceptas suo ille lateri videbatur inserere, dicens: Respice vulnera mea, non es sine me: vitæ huius breuitatem pertransi.*

Dicit, quidquid haberet, illius esse.

Quartum factum est tum, cùm ad Hispalensem fundationem constituendam iam abierat: *Tum mihi Dominus ait: Nosti iam, quod sit te inter & me connubium, ac proinde quòd habeo, tuum est. vnde omnes tibi, quos passus sum, dolores & labores cedo, & ideò hos à Patre meo, velut proprium quid exigere potes. Et tametsi iam dudum scirem esse nos horum participes: iam tamẽ modo quodam adeò differẽti facta particeps sum, vt magnũ quemdam mihi nacta viderer principatũ: nã qua mihi hãc gratiam familiaritate præstiterit, exponi hic non potest. Videbatur hãc Pater donationem admittere, & ratam habere. ex illo verò tempore longè alia ratione attendi ad ea, quæ Dominus passus est, velut ad proprium meum peculium, atq; hæc me cogitatio mira voluptate perfundit.*

Quin-

Digitized by Google

Quintum denique hoc est: Cùm nocte quadam grates Domino ob acceptum ab eodem beneficium persolueret, audiuit ab illo: *Quid à me postulas, carißima, quod non præstem tibi?* Quorum verborum occasione sic in vitæ historia scribit: *Cùm importunis à Domino precibus postularem, vt cuidam, cui ipsa deuincta ob gratitudinem eram, oculorum vsum, quem propè totum amiserat, cuiusquè commiseratione tangebar, redderet; vererérque, ne in postulando ob mea scelera repulsam paterer; mihi, vti aliàs frequenter, se spectandum Dominus dedit, ac manus suæ sinistræ plagam cœpit ostendere, & dextra ingentem sinistræ infixum clauum educere. Videbatur porrò vnà cum clauo etiam carnem euellere, quod nonnisi grauißimo cum dolore fieri videbatur, qui etiam me ad ei compatiendum excitauit. tum ad me ille conuersus, ne dubitarem, suasit, quin, qui mei causa hæc passus erat, multò ea potiùs ac faciliùs concederet, quæ ab ipso postulando contenderem. Quin imò se recepit, quidquid vmquam efflagitarem, id illico mihi concessurum; quòd me nihil petituram nosset, quin sua id esset gloriæ conforme. non illubenter se proinde postulatis his meis modò morem gesturum. Monuit etiam, considerarem se, etiam tum, cùm nondum illi famularer, nihil penitus eorum, quæ ab ipso poposcissem, vmquam mihi denegasse, imò eadem etiam longe quàm petere possem, meliùs concessisse; quantò verò magis modò, cùm se à me diligi sciat, ac proinde hac de re certa essem*, &c. Cap. 39. Promittit se Dominus omnia petita ab illa concessurũ.

Etiam in ijs, quæ ad corpus spectant, interdum Dominus ipsam oblectabat. Nam cùm attrita valetudine, & stomacho admodum imbecilli, Abulæ decumbens, infirmarum præfectæ diceret, se, quòd os aridum haberet, melonis succulenti gustandi desiderio, quo ipsum recrearet palatum, teneri; si tamen nullus domi esset, eum aliunde petere vetaret; ecce, cùm nullum ad manum ea melonem habens, nec foris eum quærere, vetante id Teresa, ausa cibum illi alium deferret, & is iam, quòd ægra hunc abnuente stomacho non gustaret, auferendus esset; datum signum ad orbem versatilem: quò euocata ostiaria, medium in eodem melonem reperit; quem qui attulisset, neminem videbat, nec vmquam postea rescitum est. Huiusmodi illi sæpenumerò aliàs contigerunt, sed pleraque ipsa silentio suppressit. Etiã corporaliter Teresã Dominus consolabatur.

Ex hisce Domini fauoribus & incenso genuinæ cuiusdam filiæ, quem in se sentiebat, amore amica quædam in ipsa libertas nascebatur, tametsi reuerentialis; nec non candor quidam & libera sinceritas, qua Deum familiariter, & non minus confidenter, quàm patrem filia solet, à quo se tenerrimè diligi nouit, compellabat. Hinc cum ipso se consolabatur, cum ipso expostulabat, & suauians deliciabatur: vt sæpiùs in vita illius legere est. Exempli loco sit, quod eiusdem capite septimo & trigesimo scribit: *Quid, Domine mi, an non tibi sufficit, quòd in hac miserabili me vita detineas, & id ipsa tui causa patiar, ac viuere velim, vbi tot* Teresa ita cũ Deo liberè agebat, vt cum patre suo filia.

 obsta-

*obstacula & remora sunt, quò minùs te fruar? vbi me etiam necesse est comedere, dormire, occurrentia negotia agere, & cum omnibus conuersari, & hæc omnia propter te non inuita sustineo: Adhæc nosti, Domine mi & Deus meus, maximum hæc mihi tormentum afferre, & quòd tantillo illo spatio, quod mihi, vt te frui valeam, superest, te mihi abscondas? quomodo hoc cum misericordia tua consistit & compatitur? Quomodo id ferre potest amor tuus, quo me prosequeris? Crediderim Domine, si modò fieri posset, vt me à tuis abscondere possem oculis, vti tu te à meis, crediderim inquam, & putem te pro amore, quo me complecteris, id minimè laturum. Sed tu ipse mecum es, & continenter me vides, à me tamen vultum tuum abscondis: quod æquanimiter ferre nequeo, Domine mi. quare, obsecro, respice, & considera, an non graue id sit ei, quæ te tantopere diligit,* & alia his affinia.

Dicebat adhæc, amorem Dei omnia secum bona ferre, & oportere nos, quo ipsum obtineamus, ab omnibus nos rebus abdicare, quin etiam penitus nosmetipsos abnegare: quia autem adeò inuitè sequimur, & tam lenti in Deo nos totos dedicando sumus, maiestatem illius etiam satis se præbere in fauoribus ac gratijs suis communicandis, quæ alioquin communicaret, difficilem. Hunc verò amorem non in dulcibus lacrymis, gustibus spiritualibus, ac teneriore quodam affectu consistere, sed in cultu ei cum iustitia, fortitudine & humilitate deferendo: hunc denique non aliter, quàm firmiter secum statuendo propter Deum & operari & pati, atque proposito hoc, si quando sese offert occasio, opere ipso exequendo comparari.

In quo Dei amor situs.

## CAPVT XI.

### *DE ARDENTI ILLIVS IN PROXIMOS CHARITATE, ac de admirabili orationis eius fructu, & quæ per ipsam illis impetrarit beneficia.*

Amor coegit Teresam tam excelsa aggredi.

QVoniam verò amor, quo proximos complectebatur, non nisi propter Deum erat, vtpote in quibus & Deum cõsiderabat & amabat; hinc etiam is ad amoris erga Deum mensuram ac normam adaptabatur. Hic quippe eam coegit tot labores subire, tot itinera, etsi detrita valetudine, morborum doloribus prostratam, in cæli & aeris intemperie, tempore brumali, niuali, necnon per intensos æstatis calores, vt scilicet sedes religiosæ hinc inde (in quibus tot animæ salutem acquirerent) excitarentur, suscipere.

Hinc sancta quadam æmulatione concionatores, & omnes animabus

Deo

Deo asserendis intentos æmulabatur; vtpote quæ id ipsum exequi etiam opus per se optabat, ac sibi concedi cupiebat, magna Regibus ac Dynastis & omnibus omnino hominibus voce inclamare, vt, relicto errore, veram salutis semitam ingrederentur, & Creatorem suum agnoscerent, etsi mille sibi propterea mortes essent subeundæ.

*Erga concionatores sancta ferebatur inuidia.*

Sanctos omnes permagni faciebat, & volupe illi imprimis erat ipsorum res gestas legere: si quos verò horum legeret animas aliquot Creatori suo Deo asseruisse, intensiori has legebat deuotione & animi teneritudine, & maiori erga hoc se ferri sentiebat inuidia, quàm erga quoslibet, quos passi erant, cruciatus. Hinc ex intimo ad Deum clamabat corde, vt cùm tot animas sibi cacodæmon vindicaret, suis aliquam sibi orationibus huc afferre opem, & obstaculum obijcere, (cùm aliud à sua ipsa parte præstare non valeret) & vel vnam ad cultum eius & obsequium liceret allicere. Atque hinc consequebatur, vt magni apud illam essent ponderis, & summè amarentur, quotquot hisce studijs incumberent, & quos aliorum videbat commodis studere, vel in cathedra lectiones habendo, vel in suggesto ad populum agendo, vel alia demum ratione quacumque proximo consulerent. Quorum etiam cùm laboribus imprimis compateretur, omni eorum volebat commoditatibus ratione consultum; &, quoties sibi cumque eorum recreandorum se dabat occasio, miram & insolitam liberalitatem ostentabat: quidquid enim in eos hoc pacto expendebat, optimè id collocatum sibi persuadebat.

*Magni faciebat omnes, qui aliorũ vacabant saluti.*

*Concionatores bene habebat.*

Comperto tres quatuorue ex ordine Dominicano claros eruditione Patres quemdam in locum venturos, in quo ipsa tum versabatur, vbi, propter loci inopiam, pro eo, ac tantæ auctoritatis viros, adeoque Ecclesiæ vtiles oporteret, recipi à se haberique commodè non possent; luculentam apud amicum cœnam ijs iussit, nec non lectos quàm fieri poterat beneuolentissimè & commodissimè parari. Quod tum quidem his, id etiam alijs aliàs officium præstitit. Si verò hi malè valerent, pro eorum Deo incolumitate & ipsa supplicabat, & ab omnibus, apud quas agebat, monialibus id charitatis genus fieri volebat, quo breui pristinam hi valetudinem recuperarent; &, quod inde ad proximos dimanabat commodum, per illorum inualetudinem non imminueretur. Si quem verò horum intermori contingeret, decessum eius lacrymis & teneriore affectu prosequebatur; &, quæ adeò omnem à creaturis reliquis affectum auulserat, tali in occasione, quòd Creatori suo adeò arctè adhæreret, summum animi testabatur mœrorem, & quidem sat longo post obitum ipsorum tempore. Iam dudum P. Martinus Guterrius Societatis Iesu, magni vir nominis, atque in animarum salute procuranda operator impiger & nauus, exspirarat; cùm ipsa mecũ Salmanticæ B. Mater agẽs,

*Hos ægrotantes precibus iuuabat.*

*Illis morientibus dolebat.*

& beatam viri illius memoriam refricans, extemplò maximo occupari dolore cœpit, ob viri adeò præstantis, & in proximorum commoda tam strenuè incumbentis raptum ingemiscens, & teneriore quodam cum affectu mihi dicere; *Non deberem, Deus bone! tanto in Dei seruos ipsa amore ferri, cùm eorum absentiam ac raptum tam grauatè feram?*

Dicta hactenus probare satis queat dolor & afflictio, quam in incomparabilis viri ac Magistri Ioannis Auilæ, inclyti Dei serui ac Concionatoris excellētissimi decessu sensit. Quem vt primùm Toleti in ædibus Aloisiæ de la Cerda didicit, cùm sedis constituendæ causa illuc abijsset, maxima animi angustia in lacrymas tenerrimas prorupit. Mirabantur insolitum hunc luctum sodales, cùm nullius in morte vllum dolentis animi edere signum soleret, imò ne in fratris quidem sui, quem vnicè complectebatur, obitu, Segobiæ nuntiato, vel vnam oculis eius prosilientem lachrymulam viderant: sed passis & in cœlum sublatis manibus, Dominum benedicentem. hinc, cùm tam insolito in Magistri Auilæ abreptione eam luctu confici viderent, petebant, cur, cùm hic vir adeò sanctus exstiterit, & iam, cœlesti gaudio donandus, ad Deum abijsset, adeò sese turbata affligeret. Quibus illa: *Hac de re quidem certissima sum, sed doloris & luctus mei causa est, quòd in viro hoc, qui ceu columna eius audiebat, insignem Ecclesia iacturam faciat, nec non animæ plurimæ, quibus ille velut fulcrum & sustentaculum erat; & inter ceteras mea, etsi abesset ab illo longiùs, multis illi erat deuincta nominibus.* Credi hoc facilè de illa potest, quæ tanto erga animas affectu ferebatur, vt vel ob vnius bonum & salutem millies se mori paratā assereret. Nec verò satis huic erat bene illis desiderio tenus velle, cùm etiam ardentissimas pro ijsdem preces effunderet, corpus afflictionibus emaceraret, & quidquid demum posset, haud grauatim pro earum incolumitate impenderet. quarum etiam plurimis per se ipsa consuluit: de qua re in hæc à quodam de illius confessoribus est verba scriptum: *Deinde si aliquid de eximio fructu spirituali, quem ex illius congressu, quotquot cum hac Dei serua colloquuntur, capiunt, dicere voluero, numquam finem inueniet narratio. Nam, quæ, quoad hoc contingunt, stupenda sunt, & insigne Dei miraculum. Nihil de me ipse hic dicere volo, cuius ob demerita & iniquitatem factum est, vt nullum animæ congressus eius commodum attulerit; quamquam euidenter in me ipso expertus sum, ex quo cum ipsa agere cœpi, multis in rebus ita singularem Dei mihi adfuisse opem; vt liquidò viderem, non nisi cœlo eam posse descendere: vt in meipso non magis eam vt sanctam habere non possim, quàm dicere interiùs, quòd ipsam non nouerim.* Hactenus confessarij illius verba; quod ipsum & de se alius eiusdem confessor scripto testatus est, cuius verba iam suprà ad longum capite huius libri septimo deprompsi. Aliquos tamen hic afferam (quòd numquam cum quopiam agere visa sit particularius & interiùs, quin aliquod anima eius hoc è congressu compendium eliceret) atque illos inprimis, de quibus libro vitæ suæ agit: quamquam nonnisi paucis pri-

*Teresa animabus prodesse.*

*Quod illa animabus bonū afferat*

Digitized by Google

primaria hic perstringam rerum capita, cùm eodem in libro reliquæ earum circumstantiæ legi queant, atque hanc ob causam libri caput ad latus hic annoto. Patri suo & monialibus Incarnationis verbis simul & vitæ exemplo mirificè profuit. Plurimis alijs suasit & persuasit, vt orationis exercitium sectarentur, in quo ipsos etiam direxit, & huius meliùs commodiusque peragendæ ergò ipsis libellos subministrauit. Cùm sub initia conuersionis ad locum, cui patrio vocabulo nomen *Becedas* est, valetudinis curandæ causa concessisset; agebat ibidem sacerdos, qui septennio toto nefariam cum muliercula consuetudinem, magno incolarum omnium scandalo & offendiculo habebat, nec tamen idcircò à re diuina assiduò facienda cessabat, cùm nullius ab praua hac familiaritate suasu, adhortatione nullius posset auerti, cùm icunculæ cuiusdam æneæ, quam de collo mulieris illius suasu gestabat, fascino teneretur. Tantum porrò Teresæ apud eum valuit oratio ac suasio, vt hanc à se ille imaginem abiecerit. hac ablata ablatus quoque impurus in amicam affectus. exinde enim ipse refrigescere paulatim ardor cœpit, tandem ipse penitus ab eius concubitu diuelli, ad Deum ex toto corde conuerti, seriaque vitæ instituta correctione vix anni elapso interuallo vita abijt. *Cap. 5.*

Alius itidem sacerdos ad illam accessit, qui biennium & semestri teterrimi cuiusdam sceleris consuetudine irretitus, quotidie purissimum Virginis filium in altari tractabat. Sacerdoti aperire id ipse scelus præ pudore non audebat, etsi graue ac nefandum id à se abijcere iugum maximoperè desideraret. sed deerat animi robur & fortitudo. Recepit in se Teresa Deo illum per preces commendare, & litteras ad eum mittere. Vt ergo primas eius litteras recepit sacerdos, scelus suum per confessionem euomuit; ac rescripsit Matri, iam ab hinc quidem diebus non ita paucis in id se crimen non impegisse, sed, quòd grauissimè à cacodæmone ad ipsum contrahendum incitaretur, videri se tartari cruciatus quodammodo ferre; orare proinde, vt Dei sibi rursus inter orandum opem deposceret. Non defuit pijs eiusdem postulatis beata Mater, Deo supplicans, vt grauissima hac tentationum procella à capite tironis huius auersa, efficeret, vt suam dæmones rabiem in se tentanda conuerterent, ita tamen, ne peccando in Deum suum offenderet. Ilico igitur tentationum aquilo sacerdotem impetere desijt, & gaudere mens eius malacia cœpit, cùm interim mense toto Teresa grauissimis Satanæ tentationibus exagitata fuit. Nec tum modò litterarum eius vis patuit, verùm etiam postea: quotiescumque enim tentationum grauior eum afflaret procella, has ipsa legebat litteras, & extemplò vis omnis euanescebat. *Cap. 31.*

Duos etiam è Dominicanis Sodalibus viros eruditione præstanti, Fratrem *Cap. 33. & 34.*

consolationis apud illam inueniendæ gratia, adiret; nullius adeò prægnantis negotij occupatione ita distinebatur, quin aliquod statim pro modulo solamen mœrentibus afferret. vocata namque illud quamprimum tantisper seponebat, quoad spirituale proximo subsidium dedisset: adeò quidem sedulò, vt etiam proprij corporis necessitatibus obsecundare obliuisci videretur.

Omnia de manibus negotia deponebat, alios consolatura.

Quodam die, cùm Salmanticæ apud suas post meridiem animum oblectaret, à paupercula quadam ad orbitam euocatur. graue id monialibus accidebat, quòd illius tunc conuersatione frustrarentur, cùm non nisi rarissimè ipsius alloquio & conspectu, ob crebras occupationes & negotia, fruerentur. Quamobrem precibus institerunt, ne suas hac quantulacumque cõsolationis morula defraudaret. Quibus illa, huiusmodi animarum consolationem, suam esse dixit recreationem. quo dicto ilico hilaris ad illam adijt, à qua vocabatur.

Plurimos etiam illius opera Deus à mundi vanitate in religionum azylum pertraxit, & ad maximam perfectionem adduxit. Agmen hic ducet tacito nomine quædam, quam ipse noui; etsi eius nomen, quòd etiamnum superstes sit, quamuis inuitus, silentio inuoluam. Hanc singulari Teresa amore complectebatur, & apud se commorari aliquo tempore permisit: sed cùm mundanis eadem vanitatibus inanibusque seculi fumis oppletum cerebrum haberet, hocque Teresæ maximoperè displiceret; hanc ex animo Deo commendauit, etsi nihil horum ipsi indicaret. Interim, Teresam exaudiens Dominus, cor illius diuino quodam instinctu tetigit, non ita tamen grauiter, quin ad seculares ipsa typhos atque inanias, vti consueuerat, reuerteretur, donec tandem die quadam simul cum sancta Matre sacras iamiam initura epulas (cui ante eadem iniunxerat, vt è libello de contemptu mundi vel caput vnum legeret) hac pro illa Dominum deprecante, vehementi quodam impetu repentè animum perculit, simul etiam cœleste quoddam infudit lumen, quo illustrata præteritæ noxas perspiciens vitæ, easdem apud eumdem, apud quem B. Mater suas, deposuit confessorem. Inde animæ eius mira illabi consolatio, tum vitæ nouæ auspicandæ desiderium, & penitus alia facta ita paulatim cœpit immutari, vt magna illi perfectionis amplectendæ, & religiosæ vitæ ineundæ (quamquam ab ea semper exstiterat alienior) nata sint desideria, & omnem mundi ornatum & fastum, quo immersa erat, perosa, & orationi librorumque spiritualium lectioni sese dedens, tandem maxima beatæ Matris consolatione, & omnium stupore ciuium, in primum sancto Iosepho Abulæ consecratum monasterium sese receperit. Tam læta frugiferaque porrò eiusdem fuere principia, vt vndequadragesimo vitæ suæ capite de nonnullis suis, ætate quidem iuuenilibus, sed perfectione senilibus agẽs Teresa monialibus, in hęc verba scribat: *Quã li-*

Multas Deus animas à mũdi vanitate per Teresam abduxit.

*libenter ijs cedo palmam, & quàm me erubescere ac pudore suffundi coram Deo oportet? nam quod diuina eius maiestas tot illis annis, qui effluxere, ex quo me orationi dedere, & gratias ipse mihi communicare cœpit, adimplere non potuit, in illis trimestri, & in nonnulla triduo etiam perfecit.* Quæ porrò triduo ad hunc prouecta gradum est, hæc ipsa est, de qua modò agimus. Pares quoque fuere, qui deinceps secuti sunt, progressus, vti dicere possem, si de viuis loqui instituissem. Ipsa porrò de se ingenuè fatetur, quidquid sibi hoc in genere contigit, vnis B. Matris precibus ascribendum videri. Nec immeritò; nam & ipsi postea per litteras significauit, suam se vni illi debere salutem.

Quæ bona corporalia proximo contulerit. *Cap. 39.*

Atque hic quidem primus est modus, quo feruentem suam erga proximum charitatem ostendit, dum se scilicet erga animas tam hoc in mundo agentium, quàm purgante in igne detentorum beneficam ostendit. Nec verò paruo laboriosa hæc illi charitas stetit: comperto enim animam quampiam letali in flagitio inuolutam hærere, mox ijs ipsis diebus frequentiùs & ardentiùs orationi insistebat. Ipse præter hæc humanæ salutis aduersarius diabolus quàm poterat ipsam grauissimis affligebat modis. Et sanè nonnumquam ita exteriùs ab eodem affligebatur, vt videntibus monialibus sui commiserationem moueret. Nec minus diris ipsam interiùs modis discruciabat, si quando illius operâ quispiam immanes leonis illius tartarei vngues effugisset. Sæpenumero etiam acriter ab eodem suo in corpore vapulabat, grauiora etiam postea comminante, & vlciscendi sui occasionem captaturum se iactante. Vnde si quos à vitiorum via conuersorum vitæ meliorem is inire rationem videret, ilico etiam Teresæ apparebat de iniuria illata expostulans, eamque alta reponendam mente, & carò tandem aliquando luendam iactitans.

Alterum charitatis genus circa bona versatur corporibus proximorum impensa, atque de hoc dicta nonnulla sunt in reliqua vitæ historia. Cuidam, qui oculorum propè vsum omnem amiserat, eumdem Dominus ad preces illius reddidit. De consanguineis eius quispiam vrinæ difficultate ita laborabat, vt grauissimos bimestri toto eius in emissione dolores subiret, & ita quidem intensos, vt ipsum præ conatus vehementia læderet corpus. Hunc beata Mater, confessario ita iubente, cùm inuisisset, & commiserata virum, ardenti sanitatem illi à Domino deprecatione petijsset, ecce euestigio æger planè dolore solutus est.

Teresæ cura pro ægrotis.

Infirmarum monialium singularem rationem habebat, & affectum in easdem plusquam maternum exhibebat, quas etiam, prout per domus licebat angustias & rei familiaris inopiam, omni ratione recreabat; si verò nihil in illarum recreationem domi suppeteret, id ipsa foris quæri haud grauatè ferebat, ne quod erat necessarium, vllatenus ægrientibus deesset. Vnde fiebat, vt ipse huiusmodi non raró necessitatibus per se Dominus prospiceret.

Quoad

Quoad fieri poterat, ab aliorum se auocabat tractatione negotiorum, quò morbidis adesset, & alloquio suauissimo iacentes recrearet. Lectulum illis substerni laneum iubebat, vel etiam plures, si necesse foret; optimam etiam & mundissimam omnium quæ domi erant lodicem præberi. Has etiam ab alijs visitari tum iubebat sororibus, vt quo poterant modo iacentes recrearent. Quadam in scheda separata scriptum manu illius exstat, sibi aliquando Malagone Dominum conspectum, & ab illo mandatum accepisse, ægrotantibus vt peculiari quadam ratione consuleret. Moderatricem enim, quæ morbo prostratarum rationem non haberet, easque non qua posset ratione consolaretur, amicis Iobi persimilem esse: quòd interim, dum ipse easdem ad bonum animarum flagellat, ægrotantium patientiam illa in discrimen vocet. Factum etiam nonnumquam sub ipsa domus Abulensis initia, vt, cùm in totius congregationis sustentationem nonnisi vnum vel alterum domi ouum, vel quid simile suppeteret, id ipsa præberi iusserit ei, quæ maximè eo opus haberet. Quo ipsam dicto designari ratæ moniales, quòd morbis varijs opprimeretur, id illi dare gestiebant: verùm hoc ipsa admittere cùm nollet, id sibi necessarium esse negans, malebat, id sociæ sumerent: quas vt laboribus subleuaret, omnem, quem poterat, ipsa laborem non inuita subibat.

Domus Abulensis paupertas.

Cùm ad Burgensem fundationem profecta in valetudinario publico ad dies aliquot commoraretur, à morbo ipsa tentari cœpit, & stomachum nauseabundum pati; quare à sororibus poma aurea dulcia sibi petijt conquiri; quòd horum appetitus saporem concupisceret. Et ecce, cùm die eadem id genus malorum matrona quædam pia submisisset, eaque sapida cumprimis; suam Teresa intra manicam eadem abdens descendere se velle ait, vt qui suam deplorando sortem inclamabat altius, inopem consolaretur. omnia ergo, cùm descendisset, mala in egenos morbidos dispertijt. Petentibus verò monialibus, cur sibi data hæc alijs dedisset, magna quadam hilaritate, quam è vultu facilè legere erat, respondit: *Alijs ea malim quàm mihi cedere: læta admodum inde redeo, cùm lætos eos dimiserim & recreatos.*

Aliàs poma citrea sibi allata vt vidit, ait: *Benedictus sit Deus, qui mihi contulit, quod in pauperculos meos rursus dispertirem.* Fuit, cùm in eodem nosocomio morbidus, cui vlcerosum quoddam apostema incidebatur, præ doloris vehementia ita vocem sustolleret, vt ceteris infirmis grauis & molestus esset. cuius excita clamore Teresa descendit; ad cuius conspectū æger cùm tacuisset, hunc ipsa deinde sic percunctatur: *Cur adeo vocem extollis fili? quin tu Dei nomine dolorem æqua mente fers?* Tum ille videri sibi imis ait animā præcordijs euelli. Verùm, cùm aliquātisper B. Mater adstitisset, omnis repentè dolor euanuit; quin etiam, cùm vlcus secaretur, ne quidem minimam deinde querulus vocem emisit.

Teresa aspectū suum frustratur, quò pauperibus succurrat.



Digitized by Google

Teresæ aspectus pauperes recreat.

Tam accepta porrò pauperibus omnibus eo in valetudinario erat, vt domus illi præfectam rogarent, sanctam hanc vt feminam sæpè ad se introduceret, cuius vel aspectus sibi solatium afferret & leuamen. qui etiam illa inde migrante, eius abitum dolentes, in lacrymas amicas (vt hospitij curatrix suis ipsa oculis conspexit) proruperunt.

Proponit quotidie aliquod caritatis opus præstare.

Vt primùm cœpit meliora circumspicere, adhuc in Incarnationis agens cœnobio apud animum suum statuit, nullum omnino diem elabi sinere, quo non aliquod singillatim carita is opus exerceret. Vnde, cùm impeditæ per diem minimè sibi eiusmodi patrare licuisset, si fortè de nocte monialem aliquam sine lumine gradus domesticos ascendentem audiret, suo ipsa cubiculo officiosè egrediebatur lumen alteri prælatura, ne illa fortè dies sine vllo proximis exhibito caritatis opere sibi efflueret.

Quomodo inimicis suis benefaceret & diligeret.

Tertiò demum in hoc illustris eiusdem caritas eluxit, & multò forsasse clariùs, quàm in alijs duobus antè commemoratis modis, quòd omnes omnino, à quibus exagitabatur, quique aduersarios se illi præbebant, singulari quadam dilectione complecteretur. Adeò enim immensa illius erat charitas, vt, cùm iniurius quis in ipsam exstitisset, hac in ipsum de causa peculiari magis amore quàm in alios quoslibet raperetur, huncque maiori quodam ardore ac voluptate Deo per preces commendaret. Cùm audisset quosdam, apud magni nominis & auctoritatis viros, graues aduersum se calumnias deposuisse, nullam aliam hac pro iniuria talionem rependit, quàm quòd eosdem amaret ardentius, & Deo commendaret crebrius.

Nulli volebat detrahi.

Nullius honorem verbis lædi patiebatur, multò verò minus eorum, à quibus cótumelijs erat affecta, & iniuriam passa, etsi vel per iocum: volebat quippe oés semper bene honorificeq; de ijsdem loqui ac sentire, & illorum factum excusare. Quotquot cœnobiorum suorum fundationibus aduersabantur, vel ipsam quà factis, quà verbis exagitabant; laudabat, & quocumq; poterat modo in meliorem eorum factum parté excusãdo interpretabatur. quin imò nihil hoc habebat prius aut antiquius, quã omnia in bonũ capere sensum: quod etiam ab omnibus suis obseruari imitando volebat. Notatum id charitatis genus in illa sæpius, tam ab ijs, qui ipsam in itineribus comitabantur, quàm qui cum ipsa communicabant: nam multæ quotidie huius ostendendæ occasiones illi offerebantur. Nec verò verbis ea solum continebatur: cùm quodcumque amicitiæ, beneuolentiæ ac fauoris ipsis genus declarare poterat, haud illibenter præstaret, donec tandem bonis eos operibus demulcendo expugnaret, illud Apostoli secuta consilium, dicentis, *Noli vinci à malo, sed vince in bono malum.*

Omnia in meliorem capiebat partem.

Rom. 12.

Cùm Abula Metinam, & inde Vallisoletum abiret, socium illi & viæ comitem Superiores religiosum illum addidere, quo nullum aduersantiorem habebat, quique non aliter comitabatur, quàm vt accuratè oculateque singula eius opera & motus contemplaretur, & captaret, quod in illis carpen-

pendo sugillaret. Hunc illa comitem velut à diuina submissum prouidentia, quòd hunc sibi Superiores assignassent, quàm libentissimè admisit, ipsoque in itinere tam amicè hunc gratanterque est allocuta, vt reliqui comites non parum obstupescerent; simul etiam nihil habuit potius, quàm quibus poterat modis hunc recreare, in præsens quidem icunculas illi, quas in Breuiario suo habebat, dando, in posterum verò suam illi quàm amplissimis verbis operam addicendo. Accepit is quoque tum ab eadem quamdam Spiritus S. effigiem, quam ipsa cùm haberet carissimam, amicissimis alijs hactenus negarat: hâc porrò ob singularem, quo ipsum cõplectebatur, affectum illi se dedisse significabat. Haud procul ab itinere, quo pergebant, eiusdem instituti erat cœnobium, cuius etiam cœnobitæ rebus B. Matris oppidò refragabantur, quòd tum (vti supra diximus) ob rem non pro ac oportebat intellectã magna esset in Ordine dissensio, omnibus tamen (vti verisimile fit) commune instituti sui bonum, ac diuinæ gloriæ augmentum spectantibus. Quod cùm perspectum haberet Teresa, huc sese deuehi iussit, etsi mille passus & amplius de itinere deflectẽdum esset. Huc ergo appulsam vt adesse inter fratres increbuit, nullus horum ad excipiendum comparuit. Singulos ergo ad se ipsa cùm euocasset, singillatim tam amicè eos compellauit, vt sua intra viscera eosdem abscondere velle videretur. & eadem vultus comitate apud eosdem, iam inde à manè sacro audito ad vesperam vsque (qua reliquum confectura iter discesserat) mansit. qua victi fratres sunt, & abeuntem comitaturi, loco etiam suo egressi sunt, repentinum adeò illius ac celerem discessum sibi tristem ac grauem accidere dictitantes: quos etiam tanta eiusdem sanctitas in stuporem rapiebat, & confundebat. Ita etiam Patrem, qui ipsam comitabatur, officijs sibi deuinxit, vt tam citò diurni itineris dimensum decursum esse non modicè doleret, adderetque periucundum sibi ac volupe fore longius ipsam, si sua opera opus habeat, comitari. Si qui viri graues sinistro in eam essent affectu, vel perperam de ipsa rebusque eiusdem sentirent, eos ipsa statim adibat, si eo versarentur loco, quo facillimè adiri poterant, cumque ijsdem de illis conferebat rebus, quibus magis aduersabantur; quibus de plano ipsa abundè faciens satis, eos sibi amicos, propitios & beneuolos reddebat. Verùm quæ huc spectant alia, tum meliùs intelligentur, cùm de eiusdem patientia & æquabili in laboribus & persecutionibus hilaritate dicendi erit locus.

*Teresa de via deflectit inuisura Religiosos sibi aduersantes.*

## CAPVT XII.

### *DE ARDENTI PIOQVE EIVSDEM ERGA Ven. Eucharistiæ Sacramentum affectu.*

Teresæ erga Ven. Sacramentum affectus.

ILlius erga sacrosanctum Altaris mysterium pietas singularis fuit: quod quatuor è rebus colligere est.

Prima hæc est: Quoties nouum aliquod moliebatur cœnobium, nihil illam in eiusdem erectione magis recreabat & solabatur, nihil quod ad labores itineris aliosque quotidianos alacriter perferendos ardentius exstimulabat, quàm quòd vno sciret iam auctius oppidum id templo fore & sacrario, in quo sacrosanctum Domini corpus asseruaretur. Vnde vice versa summam hæreticorum huius ætatis cæcitatem maximoperè deplorabat, quòd templa ædesque sacras, in quibus ipsum adorabatur & suscipiebatur, demolirentur: inde etiam fiebat, quòd teneriore quodam ex affectu ipsam sauciaret, quęcumque in illud inter fideles, iuxta atque infideles irreuerentia committeretur.

Metinensis in sedis fundatione de nocte somnum quietè capere non poterat, sed ex interuallo strato se corripiebat, dispectura num Ven. Altaris Sacramentum ritè suo esset loco, dum metuit nimirum, ne quis fortè inter conuenas clanculò hæreticus contumeliosius id acciperet, atque indignis tractaret modis: hinc tamdiu cor eius pauens erat pro arca Dei, vt de sacer-
1. Reg. 4. dote Heli scriptum est, donec ritè ac debito illud in claustro asseruaretur.

Altera verò hæc: Quòd pleræque visionum tum sint illi oblatæ, cùm aut ad sacram Eucharistiæ sumptionem se disponeret, aut ab eadem surgeret.

Tertia: Quòd sæpiùs in salutari hostia ipsummet apertè viderit Dominum, qui verè sub specierum ibi latet velamine.

Quarta: Iam inde ab eo tempore, quo in Incarnationis agebat cœnobio, & etiam antè, quàm ad fundandas sedes suas egrederetur, vt plurimùm quotidie sacras epulas inibat, idque consilio auctoritateque plurimorum doctrina & grauitate præstantium virorum, quibuscum de frequenti hac communione cōtulerat, quòd eadem in cœnobio illo noua esset tum, cùm quotidianum eius ipsa vsum introduxit, cuius exinde aliæ perpulsæ monachæ exemplo eadem etiam solito frequentius obire mysteria cœperunt.

Domino placuit quotidiana eius communio.

Placuit verò per id tempus signis aliquot & argumentis Domino ostendere, quotidianam hanc corporis sui sumptionem sibi non esse posse nisi quàm gratissimam. cùm enim inter ceteras Mater ægritudines bis per diem

Digitized by Google

diem quotidie vomeret, manè & vesperi; à vomitu matutino ilico tum liberata fuit, tametsi vespertinus ad mortem vsque eidem adhæserit. Ipsum verò diuinum mysterium tanta animi puritate capessebat, vt, etiam prius, quàm ad Deum se penitus conuerteret, numquam nisi præuia confessione, etiam vel vnius delicti venialis, quod quidem in animæ latere penetralibus comperisset, ad ipsum accederet. Ingentes porrò id in ipsa effectus producebat. Sæpè etiam tanta Dominum hic maiestate spectabilem videbat, vt dubitare non posset, quin verè ipse esset, eumque pietatis sensum tum in anima sentiebat, vt præ amoris vehementia, & interioris copia gaudij liquesceret.

*Communicabat Teresia semper confessione præmissa.*

Si quando tentationibus exagitabatur, & afflictionibus mentis, vt plurimùm, sacris iam sumptis epulis, interdum quoque cùm nonnisi ad ipsas capiendas accederet, omnis ilico ab animo mœrorum nebula dispellebatur, suaque ipse pace donabatur, corpus verò ab omnibus prorsus doloribus manebat immune. Atque corpus quidem eius ab omni ægritudine ac doloribus liberari solitum tum, cùm mensam Eucharisticam accederet, nimis quàm frequens fuit. Sæpè etiam tam intensa incensaque animo Dominici corporis accipiendi innascebatur fames & desiderium, vt se ipsa compescere non posset: adeò quidem, vt nulla prorsus in mundo res, nullum periculum, nullus denique labor subeundus illam impedire potuisset, quò minus ipsum reciperet: enimuerò si vel Superiorum iussu, vel ipsiusmet Domini nutu, ab synaxi reuocabatur, haud grauatim, ac sine afflictione vlla, eadem abstinebat. Hinc cùm Abulæ quædam eā monialis rogaret, nū magna viuifici panis gustādi fame teneretur, quòd mēstruo spatio ob morbi grauitatē eodē caruisset; vlla se teneri negauit: cùm enim consideraret, Dei ita iubentis nutu hæc fieri, nō minus animam eo saturā esse, quàm si quotidie cœlesti hoc è ferculo gustasset. Dominica potissimum Palmarum sacrosanctum hoc epulum inire gestiebat, hac plerumque consideratione famem excitans, quòd intolerabilis die illo in Redemptorem Iesum Iudæorum exstitisset inhumanitas, dum eum in Bethaniam tanto interuallo ab Hierosolymis distantem, prandij sumendi causa, abire impransum sinunt, præsertim cùm tanto eum antè paulò cum plausu & honore ouantem excepissent. Vnde pio quodam sensu ipsamet Dominum ad prandium inuitabat, vtq; apud se diuersaretur, instabat: hinc animam eo recipiendo quàm poterat diligentissimè ante comparabat. Et sanè hocce die post trigesimum huius exercitæ inuitationis annum contigit tam insolita mentem suspensione communionis tempore euehi, sacram vt hostiam deglutire non posset: quam cùm ad sese paululum reuersa, etiamnū ore contineret, ipsum sibi sanguine verè oppletum habere videbatur, nec nō faciem & vniuersum corpus eodē etiam calenti, & velut recèns effuso respersum. quam verò eo die experiebatur in se, suauitas eximia adeò & singularis erat; vt tum sibi quoque di-

*A morbis sæpe per Ven. Eucharistiā liberata.*

*Ex obedientia communionem facilè omittit.*

*Cur in Dominica Palmarum imprimis communicare desideraret.*



Digitized by Google

centem audierit Dominum, *Volo filia, vt meus tibi sanguis prosit; neque est, quod pertimescas, ne mea tibi vnquam defutura sit misericordia. Equidem eumdem magno cum dolore profudi, tu eodem suauissimè ac blandissimè frueris; &, vt vides, abundè tibi, quod hodie mihi instruebas epulum, compenso.*

*Cap. 38. vitæ.* Cùm Hispali quadam die à sacro conuiuio surgeret, videre se verè putabat, animam suam vnum quid cum Domini corpore effici: quem etiam tum manifestè præsentem conspexit. Hac verò è visione admirabiles in anima sua enatos percepit effectus, qui ad profectum in virtutibus faciendum mirificè contulerunt.

Dicebat nonnumquam, cùm tantã sub adeò paruæ rei, qualis est hostia tegmine latere maiestatem consideraret; non posse se non magnopere tantam sapientiam admirari, ac nescire se, quomodo animos sibi ac fortitudinem Dominus ad sese accedendi daret; ac nisi is, qui tantas sibi gratias ac fauores contulit, animum etiam sibi sui continendæ ac coercendæ dedisset, impossibile sibi futurum fuisse illud dissimulare, vel elata voce tanta mirabilia ac magnalia non extollere.

*Qui facilẽ laborẽ omnẽ redderet Eucharistia.* Præter hæc aiebat animam, quibuscumque comedere vellet modis, in diuino hoc Sacramento saporem & consolationem reperturam; & nullam inopiam, laborem, persecutionem non facilem & sapidam nobis visum iri, vbi diuini huius semel sacramenti cœperimus delicias degustare.

*Quam operationẽ in Teresæ faceret anima Eucharistia* Quodam tempore Sacram suscipiens hostiam, manifestè vidit omnes ad illius ingressum ab anima sua afflictionum nebulas dispelli, & permagnã è contra in eadem simul cũ ipsa claritatem serenitatemque exoriri. Iis, quibus Abulæ commorabatur annis, antequã ad Metinensis sedis abijsset exordia; quotiescumq; viuificantẽ illum panem acciperet, vt plurimum mẽte extra se rapiebatur; sæpe quidem vt à parua fenestella, per quam sacra synaxis illi administrabatur, auelli non posset, nisi ab alijs inde auferretur.

Toleti etiam contigit, vt, cùm æditua nesciret, quid illi fieret, omni ipsam conatu in pedes quidem consistentem, sed in raptu parieti adhærentem aliqua in sella collocare voluerit, & dexterâ ipsius apprehensa non aliter eam obriguisse immobilem viderit, quàm si saxum aliquod iners fuisset, donec tandem sensibus reddita est.

*Vie perfect. cap. 34.* Abulæ cùm in choro, ipso D. Iosephi die festo, post sacram synaxim versaretur, tribus aut amplius à terra palmis sublimis apparuit. Iam inde ab conuersionis tempore, quoties mysteriorum Sanctorum particeps fieret, ita Dominum Iesum fide sibi præsentem credebat, ac si corporeis ipsum suum subire domicilium oculis conspexisset: hinc quo ad eius fieri poterat, ab omni rerum externarum tractatione sese abstra-*Quid ageret, cum communicaret.* hebat, in seque conuersa cum dilecto amanter tractabat interius, omnesque suos colligens sensus, sola cum solo commorari gestiebat. Illius sese ad *Luc 7.* pedes consistentem fingebat, & cum Magdalena peccatrice non aliter plangebat, quàm si corporeis illum oculis in Pharisæi triclinio accumbentem

Vi-

Digitized by Google

vidisset. Et hoc ipsa loco cum Domino loqui perseuerabat, quamquam nullũ pietatis interius sensum percipiebat. Quapropter suadebat, ne, cùm certò sciremus illum intra nos iam diuertere, dum calore naturali accidentia panis consumpta non essent, tam bonam commodamque cum Domino nostro tractandi occasionem prætermitteremus; quin potiùs vt tum ad illum confidenter accederemus, & cum hospite cœlesti omni rerum aliarum cura diu satis seposita ageremus. atque hoc illa monitum quàm poterat vrgentissimè suis inculcabat. Si enim, inquiebat, tum, cùm in vita hac mortali ageret, solo illius tunicæ contactu sanitatem morbidi sunt consecuti; minimè dubitandum videri, quin, si modò viuam habeamus fidem, tum cùm intra nostra latet præcordia, miranda quædam opera patraturus sit, & quæ petimus libenter nobis concessurus, hospes iam noster factus & inquilinus. Nec Maiestatem illius tenuiter parceq; habitationem hãc & moram apud nos si benignè modò amiceq; excipiatur, compensare consueuisse: neve etiam ita tectè & clanculo ad nos accedere, quin aliquo modo sese aperiat ac retegat ei, qui, qualiter recipiendus est, nouit: plures namque ei sunt animæ sese patefaciendi modi. Addebat, commodum imprimis hoc esse cum Domino tractandi, & monita ab eodem accipiendi tempus: cùm voluptas illi ac deliciæ sint maximæ, si apud illum maneamus, nec eum quamprimùm à nobis effugemus. hinc, si eo, cùm à sacra redimus mensa, deserto aliarum nos rerum occupationibus inuoluamus, non est, quòd ob exiguum in anima fructum ac profectum queruli expostulemus.

*Quod nobis à Ven. Sacramento accedere bonum queat, si modò viuã habeamus fidem.*

*Domin' per communionem ad nos accedens multis nos cumulat bonis.*

Sedulò etiã procurabat, vt, quidquid ad SS. Sacramẽti cultum spectaret, ritè debiteq; paratum, nitidum quoq; ac mũdum foret; qualia sunt templũ, altare, antependia eiusdem, sacer vestium apparatus, calices & corporalia: quemadmodum in omnibus eiusdem domibus, etiã pauperrimis videre est. Quoties verò illustres & opulẽtæ matronæ varia illi donaria ac cimelia offerrent, nihil ab ipsis oblatorum potius ei erat vel acceptius, quàm aromatici & odorati pastilli. aliaque odoramenta ac suffitus, quos coram propitiatorio cœlesti incensos adoleret; hinc eosdem conquirebat quàm fieri poterat lectissimos & suaueolentissimos.

*Erat Teresa sedula in curandis ijs, quæ ad Ven. Sacramenti cultum spectabant.*

Ex hac erga SS. Eucharistiæ Sacramentum veneratione & affectu nascebatur singularis illa, profunda, intimaque erga sacrificos ipsos reuerentia, quòd suo illi ore salutarem hanc hostiam consecrarent. Quamobrem sæpè coram ipsis in genua se prouoluens, eorum ad osculum figendũ manus exposcebat, simul etiam ab eisdem benedici. Malagonem quodam die cùm fors venisset, vt primùm exscensionem in medio plateæ in qua monasterium erat fecit, eiusdem sacellanum fortè fortuna obuium habuit, cuius, quamquam ætate non esset spectabilis, & plurimi etiam externi adessent, ad genua accidens ab eodem petijt benedici. Ex insigni hac deuotione, & quòd nosset ecquos diuinum hoc sacramentum in ijs operetur ani-

*Teresæ erga Sacerdotes reuerentia.*

*Cur suas sæpius vellet communicare.*

Voluit cõmunicare ea ipsis die, qua sacrum induerunt habitum & qua se Deo per vota obligarunt.

nimabus effectus, quæ bene dispositæ ipsum recipiunt; factum est, vt toties illud recipere suas voluerit sectatrices, quoties id eam velle libro secúdo declarauimus. Mandauit insuper, vt, præter statos illos synaxeos dies, eo mensam sacram adirent singulæ quotannis die, quo sacrum assumpserát habitum, nec non eo, quo Deo sese per vota obligarant. Et quamuis hæc inter ceteras leges relata non sit, eiusdem hanc tamen esse voluit efficaciæ & obligationis, ac si in reliquarum esset relata seriem. Vt verò pateat, hanc eius mentem fuisse, quadam die rogata veréne ita sentiret, atramentum petens & chartam, in scriptum eam retulit, ac suo obsignauit nomine. Atque hoc certissimum est, & pleræque ipso iam vsu id norunt; verùm ne, quæ futuris temporibus in hunc cooptandæ sunt cœtum, ignorent, hoc loco id visum est significare.

## CAPVT XIII.

### *DE INSIGNI ILLIVS IN DIVOS ET COElites affectu, & quam eorum experta sit opem.*

Affectus in Sãctos donũ Dei est.

EXimiè erga Sanctos ac Superos affici, insigne Dei sine controuersia est donum, & gratia quædam singularis collata illi, cui hunc ipse affectũ concedit, nec non de certissimis, quæ salutis suæ habere homines in terra possunt, indicijs ac pignoribus. Sancti quippe amicis & clientibus suis peramicos se exhibent, Sanctis porrò se Deus vicissim amiciorem multò & beneuolentiorem: non enim hi pro eorum Deum deprecari in cœlo salute negligunt, qui ipsorum patrocinium & fauorem exposcunt; neue Deus suos adeò intimos & fideles amicos exaudire. Hoc porrò Dei donum beatæ huic animæ minimè defuit, vt cui etiam alia maiora multò contulerat; quin imò in ipsa iam inde vsque à prima conuersione singulari quodam modo eluxit. Ipsorum namque vitas quàm libentissimè peruolutabat, quarum lectione animum suum & solabatur & exstimulabat; quin etiam suo in Breuiario catalogum gestabat eorum, in quos peculiari quodam sensu & studio ferebatur, quem hic ipse eo prorsus describam ordine, quo ipsa eosdem chartæ inscripserat: quòd sciam non defuturos, quibus gratissimum accidet, peculiarem hanc seriem nosse.

Teresæ erga sanctos deuotio.

S. Pater noster Albertus.
S. Cyrillus.
Sancti omnes Ordinis nostri.
Omnes Angeli.
Angelus meus Custos.

Pa-

Patriarchæ.
S.Iosephus.
S Maria Magdalena.
Decem mille Martyres.
S.Ioannes Baptista.
S.Ioannes Euangelista.
SS.Petrus & Paulus.
S.Augustinus.
S Dominicus.
S.Hieronymus.
Dauid Rex.
S.Franciscus.
S.Andreas.
S.Bartholomæus.
S.Iobus.
S.Gregorius.
S.Clara.
S.Maria AEgyptiaca.
S.Catharina Senensis.
S.Catharina Martyr.
S.Stephanus.
S.Hilarion.
S.Sebastianus.
S.Vrsula.
S.Anna.
S.Elisabeth Vngarica.
Sanctus * sortitò datus.
S.Angelus.

Deipara Mater, & ipsemet Redēptor Christus Iesus inter reliquos hic Diuos ideo non conspiciuntur, quòd minimè esset opus hoc, vtpotè clarissimum, indicare. Nā in Deiparam Virginem peculiari quodam studio & ardentissimo rapiebatur: atque id iam inde à tenella ętate. Vt enim primi narratum est libri initio, matre decedente, ipsa etiānum paruula, coram quadā beatiss. Matris afflictorū effigie supplex prostrata, sibi petijt, vt matris posthac esset loco. Atq; hic in ipsam affectus etiā, vnà cum ætate, accreuit, quòd maternam illius numquam non benignitatem experiretur. Teneriore etiā quodam in D. Iosephū fuit affectu, eq; libris eius passim apparet, quo gustu ac sensu, qua gratitudine de ipso loquatur, & quā sedulò nemini non Diui huius cultum persuadere contendat. Horum Diuorum festis in ferijs particularem quamdam pietatem præ se ferebat, & has maxima iucunditate & plausu celebrabat; illorum etiam in laudem quandoq; carmē aliquod panegyri-

* Est in nonnullis monasterijs moris, vt singulis mēsib⁹ schedulę distribuātur Sanctorum nominibus inscriptæ: qui porrò alicui sortitò obtigit Diuus, in huius honorem pium aliquod opus illo mense singillatim fit: atque hunc Teresa *Sanctū sortitò datum* vocat.

Teresæ affectus in S. Ioseph. m

ſtum: qui poſtquam aliquantiſper apud ipſam manſiſſet, diſceſſit, dicens: *Cũ amico meo oblectare interim.* Duabus propè horis hic Tereſa mãſit, & illi interim Dominicus adfuit, gauiſũ ſeſe aſſerens, quòd hunc ipſa in locũ veniſſet, ſimul etiam quos ſubijſſet hic olim labores, & quas ibidem à Domino gratias accepiſſet, pluribus aperiens. deinde illius arrepta dextra, ſummam illi opem & auxilium in inſtituti à ſe Ordinis rebus promouendis ſpopondit, inſuper addens alia, quæ conſolationem & gaudium illi attulere. Dicebat ſubinde Tereſa, cùm tantam à Deo hoc in ſacello gratiam accepiſſet, tantaque conſolatione delibuta fuiſſet, gratiſſimum ſibi futurum fuiſſe, perpetuò in eodem manere. Hæc quoque quę ſequuntur verba, in quodam litterarum eius capite legi: *Hodie S. Martini agitur ſolennitas, cuius ſingulariter ſtudioſa ſum; cùm in his octauis aliquando multum à Domino gratiarum acceperim; ecquæ ſit ratio, equidem neſcio.*

## CAPVT XIV.

### *DE INSIGNI ILLIVS IN DEVM FIDVCIA, deque animi eiuſdem generoſitate.*

VIſum mihi eſt non abs re fore, ſi duas haſce virtutes vno hoc capite ſimul complectar, quòd illæ inuicẽ cõſocientur, & alterã iuuet altera, tũ quòd ab vtraque mirabiles naſcãtur effectus. Præclarę hæ virtutes ſingulari quadam ratione in Tereſa de Ieſu enituere, & ex arduis illis quæ molita eſt operibus, quæ hominum opinione ſuſcipi perficique non poſſe videbantur, & ex animi illius celſitudine, qua eadem & proſecuta eſt, & ad exitum feliciter perduxit, facilè apparent. Quis cogitaſſet vmquam fore, vt mulier monaſterij ſeptis concluſa, tot religioſi inſtituti & obedientiæ nexibus deuincta, ſine vllo humanæ opis reique nummariæ præſidio, adhæc tot obtrectatorum impetita & repulſa calumnijs, tot filiarum & adeò quidem religioſarum fieret mater, tot monaſteriorum fundatrix, eius denique Ordinis, qui tot iam ſæculorum euolutionibus illo in ſtatu, in quo tum quidem eum ipſa reperit, quietè vixerat, renouatrix? Quis vir eos vnquam animos prætuliſſet, id mentis robur, vt tanta ſibi vel auſus ſit polliceri? quis dein eadem aggredi? quis deniq; animum non abijceret factus languidior, viſo etiam poſt cœptum iam opus tot tãq; graues difficultates, impedimenta, obſtacula & perſecutionum remoras quotidie enaſci? Primum eam Abulæ domicilium molientem nequidquam à cœpto deterruere totius, in quo degebat, monaſterij, & Ordinis turbatio & oblocutio, nec quæ propter hoc illam manere poterant caſtigationum flagella, non denique toto concitata opido procella, tam clero vniuerſo, quàm magiſtratu ciuili, collatis iunctiſque opibus, in vnicam mulierem conſpirante. Nihil porrò ipſa interim verebatur, quàm Dei offenſam. Petentibus ab illa rem quamdã viris grauiſſimis, & , niſi morem

Tereſæ fiducia. (margin)

Tereſa nihil metuit, niſi Dei offenſã. (margin)



Digitized by Google

sibi gereret, opem subsidiumque suum rebus illius negaturos se comminantibus, hunc in modum respondit, *Vt me ad postulatis annuendum impellant & cogant, frustra sunt nisi enim negare mihi persistenti religionem moueant & scrupulum, nihil vnquam efficient; cùm enim multa hic peccati subsit suspicio, nihil est quod metuam.* Nec verò mirũ est hominum ipsi potẽtiam formidabilem non fuisse, cùm ne dæmonum quidem vel paululum vereretur. Dicebat enim, si Domino ipsa famuletur, cui & diaboli & reliqua creata subdita sunt, cur horum quempiam timeat, curve sibi ad vniuersam cacodæmonum potentiam lacessendam desint vires? Vnde fiebat, vt vniuersas infernales potestates in certamen prouocaret, & adesse ad vnum omnes iuberet visuras, quo sibi nocere possent modo.

Nec homines timet, nec diabolos.

Nullo etiam labore vel difficultate deterrebatur, vt illius metu quid aggredi vel perficere metueret, quod ad ampliorem Dei spectare gloriam sciret: si verò fieret, vt cùm diutiùs in eodem iam desudasset, postea in maiorem Dei gloriam & obsequium fore nosset, si id à se seponeretur vel abrumperetur, haud difficiliùs ipsum intermittebat, & adeò libenter, quàm si nihil illius causa esset vnquam auspicata.

Quomodo Dei gloriã maiorem spectaret.

Quibuscumque demum exagitaretur laboribus & persecutionibus inexspectato ingruentibus, numquam in imbellis animi testes lacrymas prorumpebat (etsi mulieribus id solenne sit) imò nec in verba afflictionem vel dolorem quiritando prodentia.

Numquam querebatur.

In primi erectione monasterij, vt suo vidimus loco, pro sua in Deum fiducia, eas nihil metuens peragebat impensas, quæ sine numerosa pecuniæ vi fieri minimè poterant, cùm tamen nec haberet obolum, nec vnde haberet, spes vel minima affulgeret. Octussis domi non erat, cùm primæ ædis (eius inquam, qua vtebantur, antequam hodierna pararetur) structuram ordiretur, in quam tamen magna auri argentique vis necessaria erat.

Opera à Teresa sine pecunia inchoata.

Id ipsum contigit in ædibus Metinæ coemptis, necnon in alijs quæ condidit monasterijs.

Hispalim deportata, vt sedis moliretur initia, teruncium dumtaxat vnum habebat, imò ne amicum quidem nouerat, qui suppetias ferret, & re iuuaret. Non idcirco tamen animum despondit, vel à cœptis destitit. hac enim in Deum fiducia factum, vt antequam inde digrederetur, senis aureorum millibus paratas ędes suis relinqueret.

Abula, ad secundi cœnobij fundationem inchoandam discedens, vt de horti simul & tecti filiabus illic oportunitate prospectum esset, nouies mille aureos commodato accipere minimè dubitauit.

Tam enim firmiter sua in Deum confidentia nitebatur, qua norat eum non deesse ijs, qui ipsi sincerè & ex animo famulantur, & verba eius certissima esse, vt nullam metuere pauperiem posset. hinc cùm de stabili prouentu

Digitized by Google

mentu firmandis monasterijs moneretur, huc animum inducere minimè poterat. Mundana subsidia flocci penitus pendebat, nec aliquam in illis spem constituebat: hæc enim ceu sarmenta iuniperina arida dicebat esse, quæ confestim vel aliquo grauata pondere confringuntur; verum autem & vnicum amicum, in quo sperandum sit, Redemptorem nostrum Christum esse. Hinc consequebatur, vt tantam libertatem & dominatum præferret, vt vniuerso se crederet posse mundo sibi aduersanti resistere, si modò fauentem ac propitium haberet Deum. Rebus Ordinis sui summè periclitantibus, & nuntio accepto, iam desperatas easdem & perditas, vt quidem humana verè iudicaret prudentia, videri; tam interrita & fidens animo ipsa mansit, vt non modò consolante opus non haberet, sed alios etiam ipsa mœrore prostratos idonea ad id oratione erigeret, ob sinistrum rumorem deijci ac contristari nefas esse dictitans; omnia namque felicem habitura exitum: adeò vt etiam, cùm nulla affulgere lætioris successus spes videretur, tum nouam ipsa præferret fiduciam, omniaque hæc nonnisi maius bonum paritura diceret.

*Mundanorum opem Teresa parum moratur.*

*Rebus desperatis alios Teresa solabatur.*

Si quando pluuio niueoque cælo, magnisque cum molestijs & incommodis in itinere versabatur, nouos comitibus semper animos addebat, vtque constantiam præferrent interritè pergentes, adhortabatur; huiusmodi enim profectiones cælo lucrando peridoneas esse. Si quis autem in via locus occurreret difficilior, eum prima ipsa perrumpere satagebat, vti iam antè in Burgensi fundatione dixisse recordor.

Cùm Abula Metinam peteret, fuit, cùm nocturnæ ipsam tenebræ prope flumen tam spissæ opprimerent, vt ipsum comites transire non auderent. Quibus illa suspensis ac dubitantibus, tutum & consultum negauit fore sub dio permanere; ad transuadandum ilicò se comparent, & Deo sese commendent. Aquam ergo illi ingressæ prælucere lumen quoddam veluti facis eminus cœpit, & tantisper lucendi officio defungi, quoad flumine transito discrimen omnes euasissent.

Per generosam hanc & firmam in Deum fidem fiebat, vt quidquid vellet, haud difficulter perficeret, & res sanè patraret admirandas. Hinc, tametsi præpotentes pateretur aduersarios, & maximis res agendæ obseptæ periculis essent, se nihilominus ipsa, nec non alios animabat; tantam vniuerso simul mundo inesse potentiam negans, vt, quæ Deus moliretur, ipse vel euerteret, vel quæ fieri hic iuberet, technis suis arteve vlla impendiret. Dicebat, perspicuam illam ingentium à Deo acceptarum gratiarum notitiam sibi permultum ad fiduciam concipiendam contulisse momenti: nisi enim hanc habuisset, ardua illa & excelsa, quæ perfecit opera, suscipere illi animus non fuisset.



Digitized by Google

Aiebat proinde, bonam humilitatem non videri, acceptas cælitus gratias agnoſcere nolle.

Quadam tempeſtate, cùm pagum quempiam ingreſſæ ita arduum & impeditum dubium incidiſſet, vt ad ipſum certò diſſoluendum magna eruditione & ingenio opus videretur, inque eo ſe iam verſari videret loco, in quo neutra dote iuuari poſſet, quid tamen ageret, ipſa fluctuans neſciret; in Deum fiducia collocata, ipſum loci Parochum conſulere ſtatuit, &. quod ille conſuleret, ipſum exequi; certiſſimè confidens fore, vt, quamquam doctrina is non adeo præſtabat, illi Deus opt. max. inſpiraturus eſſet, quæ fieri à ſe vellet, cùm alium, quem conſuleret, ad manum tunc non haberet. Atque vt ſperabat, ita contigit; quod enim Curio conſilium dedit, ipſum deinde & alij præſtantes Theologi interrogati dederunt.

## CAPVT XV.

### *DE EIVS HVMILITATE INTERIORI, quàm ea fuerit profunda.*

EX ſublimitate, ad quam à Deo ipſam ſubuectam diximus, facilè perſpici poteſt, quàm eiuſdẽ humilitas cùm interior, tũ exterior profunda fuerit; ſoli enim profundè humiles ad tantam altitudinem ſuſtolluntur. Hæc porrò virtus tanta in ipſa fuit, tamque manifeſtè ſemper eluxit, vt qui quæcumq; de illa dicenda eſſent, dicẽdo proſequi vellet, finem non inueniret. In duas proinde, quidquid de illa ſcio, vtpote plurima, partes diſtinguam: primò de interiori, de exteriori deinde humilitate locuturus. Interiorem voco, humilem contemptamque quam de ſe ipſa habebat opinionem, vti illiusè verbis liquidò ſatis apparet: exteriorem verò, quæ in alijs operibus eiuſdem eluxit. Internæ huius humilitatis euidens ſatis id argumentum eſt, quòd toties tamque frequenter de ſuis criminibus mentionem faciat, & eo quidem exaggerationis pondere, quamuis ea & in ſe parua eſſent, & variæ illi ad eadem excuſanda rationes minimè deeſſent. Nec verò ſatis illi eſt eadẽ plangere & extollere, niſi etiã, acceptarũ à Domino gratiarum narrationẽ ordiri cùm vellet, hunc in modũ loqueretur, *Quem ex amore Dei rogito, vt quidquid hactenus de flagitioſa vita mea ratione deq; peccatis meis narraui, id iam inde ab hoc tempore euulget. Huius illi rei facultatem facio, vti & omnibus confeſſarijs meis, qui ſunt illi, quibus hac à me mittuntur; & ſi voluerint, iam tum me viuente id fiat obſecro, ne hominibus poſthac amplius imponendo fucum faciam. ſunt enim, qui aliquid in me eſſe boni falsò ſibi perſuadent. Et ſanè, in veritate dico, vt quidẽ nunc intelligo, permagnæ mihi conſolationi eſt futurum, ſi quæcumque narrando hactenus protuli, palàm euulgentur, & in lucem pro-*

De interiori Tereſæ humilitate.

Cap. 10. vita.

Tereſæ gratum eſt, vt omnes de lictis ſuis no-

*proferantur: at quæ poſthac cõmemorabo ,ſi cui fortè manifeſtaturi ſint, nolim illos eius ,cui contigerunt,nomen aperire,neve à quo hæc veniant,nec quidem quis illa ſcripſerit. hanc ob cauſam meum hic nomen non depromo , nec alterius cuiuſquam , ſed quàm potero ratione occultiſsima , & ad latendum commodiſsima eadem deſcribam; atque ita id ipſa ex amore Dei ſupplex depoſco .*

Quòd verò ſe paratam ait crimina ſua ſcripto committere ; hauddubiè etiam feciſſet : ſed id fieri animæ moderatores vetuerunt, vt eiuſdem libri initio proditum eſt. Eamdem quoque facultatem numquam non Cõfeſſoribus ac ſuperioribus, tam in priuato conſcientiæ foro,quàm extra conceſſit. idque eò à ſe fieri dicebat, vt ſcirent ipſi & perſpectum haberent, qualis reuera eſſet , & ſuis in rebus nullus ipſis fucus fieret , neve plus æquo ſibi crederent. Ad libri eiuſdem finem ſcribit , in veritate aſſerere ſe audere, grauius ſibi fuiſſe & acerbius acceptos à Deo fauores ſcripto committere, quàm quæ vnquam commiſerat ſcelera. Ex humilitate etiam ( quamquam ea vera non fuit, quæ tamen humili è corde procedebat, quodque humiliter de ſe ſentiebat ) anni ſpatio orationis ſtudium intermiſit , indignam ſe rata , quæ eamdem frequentaret, & gratias ab eo reciperet , cui tam indigno ipſa famulatu obſequeretur. Initiò etiam intelligere ſe videns , quidquid libri ſpirituales de orationis etiam altiſſimæ excellentiſſimæque modo ſcribunt, eos ipſa non legebat: id enim cum humilitate non ſtare putabat, quòd ad eos orationis ſe pertigiſſe gradus. qui iiſdem declarantur, crederet. hinc libentiùs vitarum Sanctorum lectioni vacabat, quòd illorum in ſe exemplis ruborem confuſionemque excitaret.

*Vult eadem ſcriptis mãdari.*

*Cap. 30. vitæ.*

Graue illi etiam erat, cùm ſe videret ab alijs, ac præſertim à magni nominis viris & auctoritatis, magni fieri : cumque cæleſtes ſuos fauores alijs diuulgandos noſſet, cruciabatur quàm maximè. Hanc ob cauſam aliquando Abulâ demigrare voluit, & alteri eiuſdem inſtituti cœnobio procul inde, dote ſufficienti data , ſeſe includere, in quo obſcura & omnibus incognita delitеſceret. Sed vetuere id fieri Confeſſarij, quòd ad maiora eam Deus reſeruaſſet. Nec hic illius ſtabat humilitas; verùm etiam laicis aggregari petijt ſororibus, vt hoc in ſtatu viliſſimis, infimis, duriſſimiſque domus miniſterijs occuparetur. Et ſanè ſine controuerſia in hunc ſe minimarum ordinem redegiſſet, ſi modò aſſenſum ſuperiores præbuiſſent.

*Cap. 31.* Graue Tereſæ erat magni fieri ab alijs.

Quodam tempore hunc potiſſimum in finem ſuam omnem aſſiduè orationem dirigebat, vt, qui ſublime quid & altum de ipſa ſentiret, huic Deus illius viciſſim manifeſtare peccata dignaretur, hocque pacto videret is, quibuſnam ipſa , adeò indigna , à Deo fauoribus eſſet cumulata. Denique tectè, vel quomodocumque poterat , ſua patefaciebat peccata illi, quem benè de ſe ſentire noſſet;nec antè quieſcebat, quàm id ipſa

Occultè ſua peccata Tereſa reuelat ijs,qui bene de ipſa ſentiebant.

Digitized by Google

ipsa fecisset: neque etiam priùs sua manifestare peccata intermisit, quàm religionem illi Confessarij mouerent.

Missas ad aliquem è Confessoribus litteras hoc epiphonemate concludit: *Dominatio vestra sciat velim, insignem hoc in loco mihi commoditatem esse, quam multò ipsa tempore consectata sum: nam quamuis exterior homo solus sit, non habens, qui illi afferre consolationem solebat, anima tamen quiete perfruitur. quam porrò dico, commoditas hæc est, non magis hoc in loco Teresam de Iesu notam esse, quàm si nulla prorsus in mundo foret. Atq; hæc est ratio, cur hinc abire procuratura non sim, nisi aliud iubeant moderatores: nam interdum contristabar, dum hasce audiebam ineptias: nam cùm illic dicitur, Sancta est, intelligant oportet, sine pedibus & capite. Rident, quia ego dico, vt faciant ibi aliam, quæ nonnisi dicto & verbo vno illis constet.*

Cur Teresa gauderet esse se in loco, vbi ignota erat.

*Cap. 34.* Toletum concedere ad Aloisiam de la Cerda consolandam iussa magna huc se cum confusione abire dictitabat, viso qua huc ipsam specie & titulo Superiores mitterent, & quàm grauiter fallerentur; atque hæc fuit ratio, cur importunis à Domino precibus contenderet, se Toletum abire ne sineret.

Si quando apud homines sanctimonia claros ageret, sui ipsam pudebat, & coram ipsis apparere erubescebat. Munia, quæ aliquam præcellentiam honoremque in Religione includerent, abhorrebat, & quàm poterat maximè subterfugiebat. Dicebat item, vitam se longiorem desiderare non posse, cùm non pro eo ac quidem oporteret Deo viueret, quodque tam negligenter ac segniter Domino esset suo famulata, seque tot imperfectionum næuis inquinatam cerneret, vt sæpè quidem optaret omni prorsus carere sensu, ne tantum de se malum intelligeret: querebaturque nonnumquam Dominum, quod in nonnullis triennio, in alia etiam quapiam triduo perfecerat, tot in se annorum spatio efficere non potuisse: hinc ipsis non illibenter superiores & potiores cedebat, antè nescisse se dictitans ecquid esset obedientia, quàm à suis eandem edocta esset monialibus.

*Cap. 39.*

Mirari etiam se dicebat eos, qui quæ ab ipsa opera patrabantur, ijs fidem adiungerent; ac stolidè facere censebat eos, qui aliquo ipsam iudicio donatam crederent, quod aliqua in re fortè rectè sentiret. Hinc etiam à vilissima infimaque consilium petere monacha graue non ducebat. Adhæc quidquid demum ageret, nonnisi Confessariorum id nutu suasuque auspicabatur.

Tot in se notabat imperfectiones, adeoque easdem exaggerabat, etsi eædem perexiguæ & viderentur, & reuera essent, vt qui hoc audiret, haud obscurè videret, non modò insigni has ex humilitate ac Dei amore, verùm etiam illustri quopiam cœlesti lumine radiante perspici. Numquam aliquod de se narrari malum audisse referebat, quin liquidò eos, qui ipsum narrarant,

Quomodo suas exaggeraret imperfectiones.

tant, verbis nimiopere id imminuisse cerneret. De monasteriorum fundationibus, in quibus tanta & egit & pertulit, tanta cũ modestia tamen semper & humilitate scribit, vt penè sub libri, quo easdem cõplexa est, initium hoc modo loquatur: *Qui hæc legerit, caueat, ne quid hinc in me laudis transferat; cùm à veritate is nimium quantum deliraret: quin potiùs maiestatem eiusdem roget, mihi vt ignoscere dignetur, quòd è cunctis ab ipso gratijs acceptis tam mihi exiguum collegerim fructum. Longè maior propterea, carißima mea, de me conquerendi est, quàm mihi gratiarum ob ea quæ acta sunt referendarum ratio. Ceterùm ex amore Dei lectorem horum obsecro, vt vel vnam salutationem Angelicam pro me recitet, vt hoc pacto diris purgatorij egredi cruciatibus valeam, & ad Domini nostri Iesu Christi conspectum admitti*, &c. Et optabat inprimis, vt manifestare Dominus omnibus dignaretur, quod ipsa fecisset, vix aliquid esse. Aiebat quoque se magnas quidem omnimodis à Deo opt. max. gratias recepisse, illam verò omnium maximam videri, quòd haud dum in tartara ipsam præcipitem, prout quidem flagitiorum commerebatur grauitas, deturbasset. Adhæc, nescire se causam, cur vt bona & sancta ab omnibus suspiceretur; ac merum mundo se fucum facere: si enim homines se penitus perspectam haberent, fore vt omnes in ipsam vnguibus inuolarent, & in faciem conspuerent.

Filias quoque suas humiliter rogabat, sibi vt demortuæ diuinum precibus Numen propitiarent: dicebat enim, metuere se, ne, quemadmodum stolidè eam mortales opinionem imbiberunt, quòd sancta esset, eam se mortua omnino exuerent, seque interim diuturnis in purgatorio supplicijs sinerent expiari.

Primis viginti ac duobus annis magnas mentis passa ariditates est; interim tamen amplius quid à Deo poscere ne in mentem illi quidem vmquam venit: quòd se crederet indignam, cui vel aliqua de Deo cogitatio concederetur; sed nonnisi insignem maiestatis ipsius gratiam videri, quòd ante suos ipsam oculos versari sineret.

Numquam aliquam à Deo cùm visionem, tum reuelationem sibi fieri petijt, vel aliquid inter precandum aperiri, nisi quod ad illi seruiendum, ac ne vllis imposturis diabolicis pateret, necessarium erat. Et quamuis Deo persamiliaris erat, numquam tamen curiosè quid ex ipso sciscitabatur, etsi sæpiùs id facere rogata.

*Numquam visiones vel reuelationes petebat.*

Confessarij interdum, periculi faciendi gratia, sacra eam communione arcebant; quam ipsa abstinentiam etsi hinc permolestè ferret, illinc tamen magis de Dei quàm de suo honore solicita, ipsum interim assiduè dilaudabat, quòd, vt honoris diuini rationem haberet, ac caueret, ne diuina eiusdem maiestas tam vili diuersorio succederet, confessori inspirasset. Quibus illa cogitationibus mota, magna animi quiete ac tranquillitate, illorum iussui acquiescebat, etsi non sine tenera quadam & amicabili pœna;

*Teresa sæpe sacra communione priuabatur.*

imò quamuis cuncti omnino mortales aliter suasissent, ne vel latum quidem vnguem ab illorum deflexisset imperio.

Sæpè magna quadã animi demissione superiorũ reprehensiones ferebat, & illorum se supplex ad pedes abijciebat, donec vt surgeret, imperassent, nec antè verbum in sui purgationem adferebat, quàm facti sui esset rationem iussa reddere: quam tam paucis adeoque veracibus tum depromebat verbis, tam planè quoque & manifestè, vt non solùm super oribus eadem faceret satis, sed etiam interdum pudorem & ruborem inijceret.

Prælatus quidam, eius patientiam exploraturus, acri in eam oratione inuectus, inter cætera mordaciter sciscitabatur, cur in litteris, & quoties daretur occasio, Excalceatarum se fineret fundatricem appellari: cui illa placidè, *Impera obsecro, ne hoc me deinceps quis nomine compellet.* neque enim ea cognominatio magis illam mulcebat, quàm si Teresæ de Iesu nomine diceretur.

Gratias cælestes supprimebat.

Tam solicitè porrò acceptos cœlitùs fauores, & quidquid aliquam in populo sui opinionem concitare poterat, supprimere satagebat, vt ne filiabus quidem suis id manifestari pateretur.

Beazio ad Hispalensem sedem cõstabiliendam profecta, in eremitoriũ, quod Ezija locus habebat, æstus meridiani vitandi causa concessit: quo loco, vti & Hispali, etsi egregijs à Domino gratijs sit cumulata, sociæ verò in eodem apricarentur loco, semperque illi adessent, eæque selectissimæ, (vti quidem eas & ipsa vocat, & quales reuera ad labores, qui in itinere subeundi erant, perfringendos requirebantur) nihil tamen vnquam horum ex illa tum intellexere, donec tandem longo pòst tempore in schedis illius scripta hæc reperere. Non tamen semper permittebat Dominus, vt tam eximij thesauri in agro defossi delitescerent, nam Dei accedẽte nutu, sui ipsamet oblita, sæpè quid manifestabat, è quo audientes maiorẽ virtutum eius ad Dei laudem ac propriũ ipsorum emolumentum haurire cognitionem possent. fieri enim non posse euidens erat, nisi singularissimam quamdam adhiberet curam, vt tantus, quem corde fouebat ignis, non aliquo se interdum luminis radio per rimulam occurrentem proderet. Si quando tamen nec opinanter simile quid de se patefecisset, ilicò ad sese conuersa ipsum quoad eius fieri sine vllo mendacij periculo poterat reuocare, vel saltem aliter detorquere satagebat. Hinc quadam tempestate, cùm dicta à se dicta nollet, de audientibus quispiam vir pius idipsum notans, *Iam dictum est,* inquit, *Mater, excusationes & tui purgandi prætextum noli quærere: nam quò plura in facti colorationem attuleris, eò ipsum apparebit manifestius.*

Si quid dixisset de suis rebus, ilicò reuocare satagebat.

Communionis accessura mensam quadam vice adeò se in spiritu efferri sensit, vt etiã corpus sublimè à terra extolleretur: quod ipsa persentiens, ambabus craticulam manibus apprehendit, quo se retineret. Displicebat enim

enim illi hæc alijs coram fieri videntibus: Dominumque idcirco rogabat, vt, si quos sibi communicare fauores vellet; id publicè & palàm non fieret. Quod vt obtineret, multis ijsq; instantibus precibus opus fuit. Graue quoq; & acerbum illi erat, filiabus inspectantibus mentis excessum raptumq; pati; verumtamen, cùm eos adeò frequentes experiretur, fieri haud poterat, quin eosdem illę perciperent. Hinc non adeo id illi acerbum erat, quàm dum coram alijs diuina patiebatur; quæ tum quidem quàm poterat maximè dissimulabat, vtq; eadem tegeret per simulationem, animo sese dicebat deficere. Vnde etiam nonnumquam, ad se reuersa, cibum sibi afferri petebat, vt quidnam passa esset, hoc modo dissimularet. Cùm grauibus obtrectatorum impetebatur calumnijs, & falsorum testium detractionibus (vti Hispali contigit) dicere solebat, *Deo laus, quòd hoc ipsa loco talis esse noscar, qualis reuera sum: alibi quippe omnes in errorem perducti sunt, & falluntur, meq; habent, qualem me ipsi sibi fingunt; hic verò prout sum & mereor.*

Coram filiabus suis inuita raptus patiebatur.

Teresæ in calumnijs sententia.

Alfonsus Quignonius eques illustris, & probitate clarus, tecta dissimulataque specie, nec sese prodens, scire auidus ecquid illa responderet, ipsam dum coueniret, inter alia monuit, Magdalenæ Cruciæ vt meminisset, quam quidem vulgus passim vt sanctam suspexerat, quam tamen tartareus ille Planus ludificans omnes ancillã & clientem habebat. nihil hac Teresa mota oratione vel assimulatione est: quin potiùs magna quadam cũ humilitate respondebat: *Numquã mihi eius decepta subit recordatio, quin contremiscã.*

Teresæ responsio insignis, mentione Magdalenæ Cruciæ facta.

Deniq; virtus hæc, & suijpsius contemptus ad mortem vsque illi perpetuus fuit: in qua nimirum erratorum suorum à sororibus veniam petijt, & ad Constitutionum illas ac legum obseruantiam est adhortata, simul etiam obsecrans, ne negligentem hanc tepidamque Religiosam (hoc enim se nomine designabat) vt exemplum intuerentur.

Si, quidquid de illius demissione animi dicendum esset, hic prosequi dicendo vellem, finem dicendi nullum facerem. Duo solùm huc, quę omniũ instar futura sunt, attulisse sufficiat. Primùm hanc illi singulari quadã ratione à Domino virtutẽ esse declaratam & commendatam: vt mirũ minimè sit, tantum in hac illam fecisse profectum; cùm ipsemet Dominus suum illi nihil & vilitatem, nec non errata quælibet declararet. Et ita quidẽ palàm, vt quoties illi cunq; singularẽ quempiam vellet fauorem impertiri, errata illius, cùm quæ tum habebat, tum quibus olim fuerat obnoxia, antè acriter castigando reprehẽderet. Deinde verò, cùm cælestia in ipsam dona effundebat, ampliorẽ simul illi Dei cognitionem, maioremq; sui ipsius despicientiam communicabat. Hinc, dũ secum die quadã cogitaret, non tam intimã modò Domini nostri Iesu Christi pręsentiã, quàm olim habuerat, in corde sese habere, in eiusdẽ penetralibus vocẽ sibi loquentẽ audijt, *Hic præsens sum: sed videre te volo, quàm parum ipsa sine me efficere valeas.* aliaque id genus plura illi suggerebat. Cũ igitur talis esset magister, & discipula adeò

Humilitatẽ à Domino edocta fuit.

docibilis, & obsequens doctrinæ, mirúmne, vsq; eò profundè docentis illi præcepta inhæsisse, & opere adeò perfectè hæc ipsam adimplesse?

Alterum id est, toto ipsam vitæ tempore, quocumque demum honorari se modo videret, quà verbis, quà rebus, tam præsentem, quàm absentem, nullam inanis de se opinionis gloriam, vel simulationem eius, quod non erat, in animum admisisse: ac numquam, quod quoad hanc confessario aperiret, habuisse. Dicebat proinde, cùm varia plurimaq; commisisset crimina, nullam vmquam blandæ illius pestis titillationem in sese sensisse; ac manifestè videre se, nonnisi à Deo venire, quæ in se erant, atque adeò hæc ipsius esse. Et, quamuis hanc ipsa vanitatem studio consectari & deliberatè voluisset, huc animum non potuisset inducere: quòd perfectè nosset, quonam antè in statu sese vidisset. quin potius, cùm eximias hasce sibi gratias ac beneficia conferret, maiorem simul ad delicta agnoscenda lucem infundere, seque gratias quidem ab illo semper accipere, ijsdem tamen non vti.

Teresa vanam nullam habuit gloriam.

## CAPVT XVI.

### *DE HVMILITATE EIVS EXTERIORI; quomodo nimirum hanc virtutem, mortificationemque exercuerit.*

NON minùs hic diffusa, atque æquo prolixior esset narratio, si, quæ in hoc tractatu dici possent, ad finem vsque pro dignitate exequerer, & quidquid ipsa humiliter gessit. Intelligi id saltem facilè potest: quia tam profunda ac vera humilitas haberi nequaquam poterat, nisi simul forinsecus appareret; & fieri omnino nequibat, quin opera & exempla admiranda inde in apertum egrederentur. Iam inde vsque ab eo tempore, quo oculos illi aperire Dominus cœpit, manifesta virtutis huius edere documenta ipsa incœpit. Si quando in odæo versanti circa officium diuinum vel cantum aliquis incideret dubitationis scrupulus vel minimus, etiam in ijs, quæ ipsa aliquatenus norat, etsi non vsq; adeò plenè; ipsas consulere nouitias, etiam nuperrimas, sui humiliandi causa, graue ac turpe sibi non ducebat. Et quoniá ceteras omnes magnos in via spiritus progressus, se verò nullum penitus facere credebat, choro egressarum omnium pallia monacharum complicare minimè dubitabat. Constituta iam recenter sede Abulensi, è re humilitatis fore videbatur nullas sorores operibus domesticis destinatas admittere, sed ipsas Moniales hebdomadatim officia Marthæ obire: verùm postea, nimio illo dicens labore spiritum suffocari, mentem mutauit. Quamdiu tamen hoc decretum viguit, si quando suæ famulandi occurrebant vices, insigni quodam animi gaudio hoc mini-

Exterior Teresæ humilitas.

Digitized by Google

ministerium obibat,& vesperi præcedente secum ipsa sedulò dispiciebat, quo oua, pisces, aut iusculum ritu saporeve condiret, qui à quotidiano discreparet, hacq; Dei ancillas condimentorum varietate, si qua posset, oblectaret. Hinc, cùm ipsius ancillandi vices recurrissent, hebdomada illa abundè satis domui prospectum erat. Hoc dum munere fungitur, Dominum suo condescendere desiderio nonnunquam dicebat; cùm enim ipsa monachis bonum sapidumq; instruere percuperet prandium, liberaliter is deforis submittebat, vnde parari id posset. Adeò vt ipsam penui & culinę præesse, domui, etiam quoad corporis oportunitates, compendiosum imprimis esset. His tamen ministerijs non vsque eò immersa erat, Dei vt sui obliuisceretur; nec suis ipse partibus vicissim deerat Omnipotens, qui ancillam suam ancillantem potissimùm recreabat, & mira mentis dulcedine consolabatur. Obseruata est ab alijs culinam ingressis, dum sartaginem igni applicat, in mentis excessum rapta, & abalienatis sensibus, facie fulgida & illustri sartaginem tamen arctè adeò complectens, vt violenter hæc extorqueri non posset.

Quàm sollicitè Monialibus ministraret.

Teresa sartaginem tenens raptū patitur.

In vilibus abiectisque etiam ministerijs semper prima erat & princeps: hinc, dum ceteræ alia atq; alia domus, euerrendo sordes, loca purgarent, chortem ipsa semper sibi sumebat euerrendam. Quo in ministerio sordido obeundo suaueolentia quædam mira, quam non item aliæ sentiebant, nares eius afflabat. In omnibus porrò, ad quas cócedebat domos, id genus obire officia illi solenne erat, nimirum lances extergere & abluere, sordes euerrere, aliaq; eiusdem modi ministeria ancillaria exequi.

Malagone, etsi afflicta valetudine, ea tamen mentis erat generositate, vt ante alias lecto exsurgens, omnes domus sordes conuerreret, collectasq; in foricas deportaret. Cùm ibidem domus illius, in qua modò moniales commorantur, ædificium construeretur, iam inde ab aurora ad vsq; noctē fabris ipsa præsens & inspectrix adesse, prima sportam, prima scopas in manus sumere, ac deinde à Præposita alijsq; Monialibus, cùm aduenissent, commissorum ea die tali in ministerio erratorum, pedibus earum aduoluta, veniam postulare, perinde ac omnium minima vilissimaq; exstitisset.

Nec verò solis Moderatricibus hac se animi submissione subijciebat; verùm etiam, si quam corripiendo Monacham, verbis animum ita illius exulcerasset, vt ad dies hæc aliquot stomachosior appareret; ad pedes eiusdem accidens, sibi petebat ignosci, non satis aduertisse se dictitans, quid reprehendendo effutijsset.

A suis Monialibus de genu veniā commissorum petit.

Si quando in Lectionibus sacri Officij recitādis impingeret vel minimū, ilicò se medio odæo in solum prosternebat, hoc peccatum ritu protestata. quo submissionis exemplo sæpenumerò sic adstantium moniali ū viscera commouebantur, vt lacrymantibus abundè oculis, suo inter recitandum fungi lingua officio non posset. Inter nouitias verò & nuperas Monachas

Quomodo in choro se gereret in officij lectione peccans.

sibi gereret, opem subsidiumque suum rebus illius negaturos se comminantibus, hunc in modum respondit, *Vt me ad postulatu annuendum impellant & cogant, frustra sunt. nisi enim negare mihi persistenti religionem moueant & scrupulum, nihil vnquam efficient; cùm enim multa hic peccati subsit suspicio, nihil est quod metuam.* Nec verò mirũ est hominum ipsi potẽtiam formidabilem non fuisse, cùm ne dæmonum quidem vel paululum vereretur. Dicebat enim, si Domino ipsa famuletur, cui & diaboli & reliqua creata subdita sunt, cur horum quempiam timeat, curve sibi ad vniuersam cacodæmonum potentiam lacessendam desint vires? Vnde fiebat, vt vniuersas infernales potestates in certamen prouocaret, & adesse ad vnum omnes iuberet visuras, quo sibi nocere possent modo.

Nec homines timet, nec diabolos.

Nullo etiam labore vel difficultate deterrebatur, vt illius metu quid aggredi vel perficere metueret, quod ad ampliorem Dei spectare gloriam sciret: si verò fieret, vt cùm diutiùs in eodem iam desudasset, postea in maiorem Dei gloriam & obsequium fore nosset, si id à se seponeretur vel abrumperetur, haud difficiliùs ipsum intermittebat, & adeò libenter, quàm si nihil illius causa esset vnquam auspicata.

Quomodo Dei gloriã maiorem spectaret.

Quibuscumque demum exagitaretur laboribus & persecutionibus inexspectato ingruentibus, numquam in imbellis animi testes lacrymas prorumpebat (etsi mulieribus id solenne sit) imò nec in verba afflictionem vel dolorem quiritando prodentia.

Numquam querebatur.

In primi erectione monasterij, vt suo vidimus loco, pro sua in Deum fiducia, eas nihil metuens peragebat impensas, quæ sine numerosa pecuniæ vi fieri minimè poterant, cùm tamen nec haberet obolum, nec vnde haberet, spes vel minima affulgeret. Octussis domi non erat, cùm primæ ædis (eius inquam, qua vtebantur, antequam hodierna pararetur) structuram ordiretur, in quam tamen magna auri argentique vis necessaria erat.

Opera à Teresa sine pecunia inchoata.

Id ipsum contigit in ædibus Metinæ coemptis, necnon in alijs quæ condidit monasterijs.

Hispalim deportata, vt sedis moliretur initia, teruncium dumtaxat vnum habebat, imò ne amicum quidem nouerat, qui suppetias ferret, & re iuuaret. Non idcirco tamen animum despondit, vel à cœptis destitit. hac enim in Deum fiducia factum, vt antequam inde digrederetur, senis aureorum millibus paratas ędes suis relinqueret.

Abula, ad secundi cœnobij fundationem inchoandam discedens, vt de horti simul & tecti filiabus illic oportunitate prospectum esset, nouies mille aureos commodato accipere minimè dubitauit.

Tam enim firmiter sua in Deum confidentia nitebatur, qua norat eum non deesse ijs, qui ipsi sincerè & ex animo famulantur, & verba eius certissima esse, vt nullam metuere pauperiem posset. hinc cùm de stabili prouentu

nentu firmandis monaster'js moneretur, huc animum inducere minimè poterat. Mundana subsidia flocci penitus pendebat, nec aliquam in illis spem constituebat: hæc enim ceu sarmenta iuniperina arida dicebat esse, quæ confestim vel aliquo grauata pondere confringuntur; verum autem & vnicum amicum, in quo sperandum sit, Redemptorem nostrum Christum esse. Hinc consequebatur, vt tantam libertatem & dominatum præferret, vt vniuerso se crederet posse mundo sibi aduersanti resistere, si modò fauentem ac propitium haberet Deum. Rebus Ordinis sui summè periclitantibus, & nuntio accepto, iam desperatas easdem & perditas, vt quidem humana verè iudicaret prudentia, videri; tam interrita & fidens animo ipsa mansit, vt non modò consolante opus non haberet, sed alios etiam ipsa mœrore prostratos idonea ad id oratione erigeret, ob sinistrum rumorem deijci ac contristari nefas esse dictitans; omnia namque felicem habitura exitum: adeò vt etiam, cùm nulla affulgere lætioris successus spes videretur, tum nouam ipsa præferret fiduciam, omniaque hæc nonnisi maius bonum paritura diceret.

Mundanorum opem Teresa parum moratur.

Rebus desperatis alios Teresa solabatur.

Si quando pluuio niueoque cælo, magnisque cum molestijs & incommodis in itinere versabatur, nouos comitibus semper animos addebat, vtque constantiam præferrent interritè pergentes, adhortabatur; huiusmodi enim profectiones cælo lucrando peridoneas esse. Si quis autem in via locus occurreret difficilior, eum prima ipsa perrumpere satagebat, vti iam antè in Burgensi fundatione dixisse recordor.

Cùm Abula Metinam peteret, fuit, cùm nocturnæ ipsam tenebræ prope flumen tam spissæ opprimerent, vt ipsum comites transire non auderent. Quibus illa suspensis ac dubitantibus, tutum & consultum negauit fore sub dio permanere; ad transuadandum ilicò se comparent, & Deo sese commendent. Aquam ergo illi ingressæ prælucere lumen quoddam veluti facis eminus cœpit, & tantisper lucendi officio defungi, quoad flumine transito discrimen omnes euasissent.

Per generosam hanc & firmam in Deum fidem fiebat, vt quidquid vellet, haud difficulter perficeret, & res sanè patraret admirandas. Hinc, tametsi præpotentes pateretur aduersarios, & maximis res agendæ obseptæ periculis essent, se nihilominus ipsa, nec non alios animabat; tantam vniuerso simul mundo inesse potentiam negans, vt, quæ Deus moliretur, ipse vel euerteret, vel quæ fieri hic iuberet, technis suis arteve vlla impendiret. Dicebat, perspicuam illam ingentium à Deo acceptarum gratiarum notitiam sibi permultum ad fiduciam concipiendam contulisse momenti: nisi enim hanc habuisset, ardua illa & excelsa, quæ perfecit opera, suscipere illi animus non fuisset.



Digitized by Google

Aiebat proinde, bonam humilitatem non videri, acceptas cælitus gratias agnoscere nolle.

Quadam tempestate, cùm pagum quempiam ingressæ ita arduum & impeditum dubium incidisset, vt ad ipsum certò dissoluendum magna eruditione & ingenio opus videretur, inque eo se iam versari videret loco, in quo neutra dote iuuari posset, quid tamen ageret, ipsa fluctuans nesciret; in Deum fiducia collocata, ipsum loci Parochum consulere statuit, &. quod ille consuleret, ipsum exequi; certissimè confidens fore, vt, quamquam doctrina is non adeo præstabat, illi Deus opt. max. inspiraturus esset, quæ fieri à se vellet, cùm alium, quem consuleret, ad manum tunc non haberet. Atque vt sperabat, ita contigit, quod enim Curio consilium dedit, ipsum deinde & alij præstantes Theologi interrogati dederunt.

## CAPVT XV.

### *DE EIVS HVMILITATE INTERIORI, quàm ea fuerit profunda.*

EX sublimitate, ad quam à Deo ipsam subuectam diximus, facilè perspici potest, quàm eiusdē humilitas cùm interior, tū exterior profunda fuerit; soli enim profundè humiles ad tantam altitudinem sustolluntur. Hæc porrò virtus tanta in ipsa fuit, tamque manifestè semper eluxit, vt qui quæcumq; de illa dicenda essent, dicēdo prosequi vellet, finem non inueniret. In duas proinde, quidquid de illa scio, vtpote plurima, partes distinguam: primò de interiori, de exteriori deinde humilitate locuturus. Interiorem voco, humilem contemptamque quam de se ipsa habebat opinionem, vti illiusè verbis liquidò satis apparet: exteriorem verò, quæ in alijs operibus eiusdem eluxit. Internæ huius humilitatis euidens satis id argumentum est, quòd toties tamque frequenter de suis criminibus mentionem faciat, & eo quidem exaggerationis pondere, quamuis ea & in se parua essent, & variæ illi ad eadem excusanda rationes minimè deessent. Nec verò satis illi est eadē plangere & extollere, nisi etiā, acceptarū à Domino gratiarum narrationē ordiri cùm vellet, hunc in modū loqueretur, *Quem ex amore Dei rogito, vt quidquid hactenus de flagitiosa vita meæ ratione deq; peccatis meis narraui, id iam inde ab hoc tempore euulget. Huius illi rei facultatem facio, vti & omnibus confessarijs meis, qui sunt illi, quibus hæc à me mittuntur; & si voluerint, iam tum me viuente id fiat obsecro, ne hominibus posthac amplius imponendo fucum faciam. sunt enim, qui aliquid in me esse boni falsò sibi persuadēt. Et sanè, in veritate dico, vt quidē nunc intelligo, permagnæ mihi consolationi est [illegible]rum, si quæcumque narrando hactenus protuli, palàm euulgentur, & in lucem pro-*

*De interiori Teresiæ humilitate.*

*Cap. 10. vitæ.*

*Teresiæ gratum est, vt omnes de [illegible]cta sua no-*

*proferantur: at quæ posthac cõmemorabo, si cui fortè manifestaturi sint, nolim illos eius, cui contigerunt, nomen aperire, neve à quo hac veniant, nec quidem quis illa scripserit. hanc ob causam meum hic nomen non depromo, nec alterius cuiusquam, sed quàm potero ratione occultißima, & ad latendum commodißima eadem describam; atque ita id ipsa ex amore Dei supplex deposco.*

Vult eadem scriptis mãdari.

Quòd verò se paratam ait crimina sua scripto committere; hauddubiè etiam fecisset: sed id fieri animæ moderatores vetuerunt, vt eiusdem libri initio proditum est. Eamdem quoque facultatem numquam non Cõfessoribus ac superioribus, tam in priuato conscientiæ foro, quàm extra concessit. idque eò à se fieri dicebat, vt scirent ipsi & perspectum haberent, qualis reuera esset, & suis in rebus nullus ipsis fucus fieret, neve plus æquo sibi crederent. Ad libri eiusdem finem scribit, in veritate asserere se audere, grauius sibi fuisse & acerbius acceptos à Deo fauores scripto committere, quàm quæ vnquam commiserat scelera. Ex humilitate etiam (quamquam ea vera non fuit, quæ tamen humili è corde procedebat, quodque humiliter de se sentiebat) anni spatio orationis studium intermisit, indignam se rata, quæ eamdem frequentaret, & gratias ab eo reciperet, cui tam indigno ipsa famulatu obsequeretur. Initiò etiam intelligere se videns, quidquid libri spirituales de orationis etiam altissimæ excellentissimæque modo scribunt, eos ipsa non legebat: id enim cum humilitate non stare putabat, quòd ad eos orationis se pertigisse gradus, qui ijsdem declarantur, crederet. hinc libentiùs vitarum Sanctorum lectioni vacabat, quòd illorum in se exemplis ruborem confusionemque excitaret.

*Cap. 30. vita.*

*Cap. 31.* Graue Teresæ erat magni fieri ab alijs.

Graue illi etiam erat, cùm se videret ab alijs, ac præsertim à magni nominis viris & auctoritatis, magni fieri: cumque cælestes suos fauores alijs diuulgandos nosset, cruciabatur quàm maximè. Hanc ob causam aliquando Abulâ demigrare voluit, & alteri eiusdem instituti cœnobio procul inde, dote sufficienti data, sese includere, in quo obscura & omnibus incognita delitesceret. Sed vetuere id fieri Confessarij, quòd ad maiora eam Deus reseruasset. Nec hic illius stabat humilitas; verùm etiam laicis aggregari petijt sororibus, vt hoc in statu vilissimis, infimis, durissimisque domus ministerijs occuparetur. Et sanè sine controuersia in hunc se minimarum ordinem redegisset, si modò assensum superiores præbuissent.

Occultè sua peccata Teresa reuelat ijs, qui bene de ipsa sentiebant.

Quodam tempore hunc potissimum in finem suam omnem assiduè orationem dirigebat, vt, qui sublime quid & altum de ipsa sentiret, huic Deus illius vicissim manifestare peccata dignaretur, hocque pacto videret is, quibusnam ipsa, adeò indigna, à Deo fauoribus esset cumulata. Denique tectè, vel quomodocumque poterat, sua patefaciebat peccata illi, quem benè de se sentire nollet; nec antè quiescebat, quàm id

ipsa

ipsa fecisset: neque etiam priùs sua manifestare peccata intermisit, quàm religionem illi Confessarij mouerent.

Missas ad aliquem è Confessoribus litteras hoc epiphonemate concludit: *Dominatio vestra sciat velim, insignem hoc in loco mihi commoditatem esse, quam multò ipsa tempore consectata sum: nam quamuis exterior homo solus sit, non habens, qui illi afferre consolationem solebat, anima tamen quiete perfruitur. quam porrò dico, commoditas hæc est, non magis hoc in loco Teresam de Iesu notam esse, quàm si nulla prorsus in mundo foret. Atq; hæc est ratio, cur hinc abire procuratura non sim, nisi aliud iubeant moderatores: nam interdum contristabar, dum hasce audiebam ineptias: nam cùm illic dicitur, Sancta est, intelligant oportet, sine pedibus & capite. Rident, quia ego dico, vt faciant ibi aliam, quæ nonnisi dicto & verbo vno illis constet.*

Cur Teresa gauderet esse se in loco, vbi ignota erat.

*Cap.34.* Toletum concedere ad Aloisiam de la Cerda consolandam iussa magna huc se cum confusione abire dictitabat, viso qua huc ipsam specie & titulo Superiores mitterent, & quàm grauiter fallerentur; atque hæc fuit ratio, cur importunis à Domino precibus contenderet, se Toletum abire ne sineret.

Si quando apud homines sanctimonia claros ageret, sui ipsam pudebat, & coram ipsis apparere erubescebat. Munia, quæ aliquam præcellentiam honoremque in Religione includerent, abhorrebat, & quàm poterat maximè subterfugiebat. Dicebat item, vitam se longiorem desiderare non

*Cap.39.* posse, cùm non pro eo ac quidem oporteret Deo viueret, quodque tam negligenter ac segniter Domino esset suo famulata, seque tot imperfectionum næuis inquinatam cerneret, vt sæpè quidem optaret omni prorsus carere sensu, ne tantum de se malum intelligeret: querebaturque nonnumquam Dominum, quod in nonnullis triennio, in alia etiam quapiam triduo perfecerat, tot in se annorum spatio efficere non potuisse: hinc ipsis non illibenter superiores & potiores cedebat, antè nescisse se dictitans ecquid esset obedientia, quàm à suis eamdem edocta esset monialibus.

Mirari etiam se dicebat eos, qui quæ ab ipsa opera patrabantur, ijs fidem adiungerent; ac stolidè facere censebat eos, qui aliquo ipsam iudicio donatam crederent, quod aliqua in re fortè rectè sentiret. Hinc etiam à vilissima infimaque consilium petere monacha graue non ducebat. Adhæc quidquid demum ageret, nonnisi Confessariorum id nutu suasuque auspicabatur.

Tot in se notabat imperfectiones, adeoque easdem exaggerabat, etsi eædem perexiguæ & viderentur, & reuera essent, vt qui hoc audiret, haud obscurè videret, non modò insigni has ex humilitate ac Dei amore, verùm etiam illustri quopiam cœlesti lumine radiante perspici. Numquam aliquod de se narrari malum audisse referebat, quin liquidò eos, qui ipsum narrarant,

Quomodo sua exaggeraret imperfectiones.

tant, verbis nimiopere id imminuisse cerneret. De monasteriorum fundationibus, in quibus tanta & egit & pertulit, tanta cũ modestia tamen semper & humilitate scribit, vt penè sub libri, quo easdem cõplexa est, initium hoc modo loquatur: *Qui hæc legerit, caueat, ne quid hinc in me laudis transferat; cùm à veritate is nimium quantum deliraret: quin potiùs maiestatem eiusdem roget, mihi vt ignoscere dignetur, quòd è cunctis ab ipso gratijs acceptis tam mihi exiguum collegerim fructum. Longè maior propterea, carissima mea, de me conquerendi est, quàm mihi gratiarum ob ea quæ acta sunt referendarum ratio. Ceterùm ex amore Dei lectorem horum obsecro, vt vel vnam salutationem Angelicam pro me recitet, vt hoc pacto diris purgatorij egredi cruciatibus valeam, & ad Domini nostri Iesu Christi conspectum admitti,* &c. Et optabat inprimis, vt manifestare Dominus omnibus dignaretur, quod ipsa fecisset, vix aliquid esse. Aiebat quoque se magnas quidem omnimodis à Deo opt. max. gratias recepisse, illam verò omnium maximam videri, quòd haud dum in tartara ipsam præcipitem, prout quidem flagitiorum commerebatur grauitas, deturbasset. Adhæc, nescire se causam, cur vt bona & sancta ab omnibus suspiceretur; ac merum mundo se fucum facere: si enim homines se penitus perspectam haberent, fore vt omnes in ipsam vnguibus inuolarent, & in faciem conspuerent.

Filias quoque suas humiliter rogabat, sibi vt demortuæ diuinum precibus Numen propitiarent: dicebat enim, metuere se, ne, quemadmodum stolidè eam mortales opinionem imbiberunt, quòd sancta esset, eam se mortua omnino exuerent, seque interim diuturnis in purgatorio supplicijs sinerent expiari.

Primis viginti ac duobus annis magnas mentis passa ariditates est; interim tamen amplius quid à Deo poscere ne in mentem illi quidem vmquam venit: quòd se crederet indignam, cui vel aliqua de Deo cogitatio concederetur; sed nonnisi insignem maiestatis ipsius gratiam videri, quòd ante suos ipsam oculos versari sineret.

Numquam aliquam à Deo cùm visionem, tum reuelationem sibi fieri petijt, vel aliquid inter precandum aperiri, nisi quod ad illi seruiendum, ac ne vllis imposturis diabolicis pateret, necessarium erat. Et quamuis Deo perfamiliaris erat, numquam tamen curiosè quid ex ipso sciscitabatur, etsi sæpiùs id facere rogata.

Numquam visiones vel reuelationes petebat.

Confessarij interdum, periculi faciendi gratia, sacra eam communione arcebant; quam ipsa abstinentiam etsi hinc permolestè ferret, illinc tamen magis de Dei quàm de suo honore solicita, ipsum interim assiduè dilaudabat, quòd, vt honoris diuini rationem haberet, ac caueret, ne diuina eiusdem maiestas tam vili diuersorio succederet, confessori inspirasset. Quibus illa cogitationibus mota, magna animi quiete ac tranquillitate, illorum iussui acquiescebat, etsi non sine tenera quadam & amicabili pœna;

Teresa sæpe sacra communione priuabatur.

imò quamuis cuncti omnino mortales aliter suasissent, ne vel latum quidem vnguem ab illorum deflexisset imperio.

Sæpè magna quadā animi demissione superiorū reprehensiones ferebat, & illorum se supplex ad pedes abijciebat, donec vt surgeret, imperassent, nec antè verbum in sui purgationem adferebat, quàm facti sui esset rationem iussa reddere: quam tam paucis adeoque veracibus tum depromebat verbis, tam planè quoque & manifestè, vt non solùm super oribus eadem faceret satis, sed etiam interdum pudorem & ruborem iniiceret.

Prælatus quidam, eius patientiam exploraturus, acri in eam oratione inuectus, inter cætera mordaciter sciscitabatur, cur in litteris, & quoties daretur occasio, Excalceatarum se sineret fundatricem appellari: cui illa placidè, *Impera obsecro, ne hoc me deinceps quis nomine compellet.* neque enim ea cognominatio magis illam mulcebat, quàm si Teresæ de Iesu nomine diceretur.

Gratias cœlestes supprimebat. Tam solicitè porrò acceptos cœlitùs fauores, & quidquid aliquam in populo sui opinionem concitare poterat, supprimere satagebat, vt ne filiabus quidem suis id manifestari pateretur.

Beazio ad Hispalensem sedem cōstabiliendam profecta, in eremitoriū, quod Ezija locus habebat, æstus meridiani vitandi causa concessit: quo loco, vti & Hispali, etsi egregijs à Domino gratijs sit cumulata, sociæ verò in eodem apricarentur loco, semperque illi adessent, eæque selectissimæ, (vti quidem eas & ipsa vocat, & quales reuera ad labores, qui in itinere subeundi erant, perfringendos requirebantur) nihil tamen vmquam horum ex illa tum intellexere, donec tandem longo pòst tempore in schedis illius scripta hæc reperere. Non tamen semper permittebat Dominus, vt tam eximij thesauri in agro defossi delitescerent, nam Dei accedēte nutu, sui ipsamet oblita, sæpè quid manifestabat, è quo audientes maiorē virtutum eius ad Dei laudem ac propriū ipsorum emolumentum haurire cognitionem possent. fieri enim non posse euidens erat, nisi singularissimam quamdam adhiberet curam, vt tantus, quem corde fouebat ignis, non aliquo se interdum luminis radio per rimulam occurrentem proderet. Si quando tamen nec opinanter simile quid de se patefecisset, ilicò ad sese conuersa ipsum quoad eius fieri sine vllo mendacij periculo poterat reuocare, vel saltem aliter detorquere satagebat. Hinc quadam tempestate, cùm dicta à se dicta nollet, de audientibus quispiam vir pius idipsum notans, *Iam dictum est,* inquit, *Mater, excusationes & tui purgandi prætextum noli quærere: nam quò plura in facti colorationem attuleris, eò ipsum apparebit manifestius.*

Si quid dixisset de suis rebus, ilicò reuocare satagebat.

Communionis accessura mensam quadam vice adeò se in spiritu efferri sensit, vt etiā corpus sublimè à terra extolleretur: quod ipsa persentiens, ambabus craticulam manibus apprehendit, quo se retineret. Displicebat enim.

Digitized by Google

enim illi hæc alijs coram fieri videntibus: Dominumque idcirco rogabat, vt, si quos sibi communicare fauores vellet; id publicè & palàm non fieret. Quod vt obtineret, multis ijsq; instantibus precibus opus fuit. Graue quoq; & acerbum illi erat, filiabus inspectantibus mentis excessum raptumq; pati; verumtamen, cùm eos adeò frequentes experiretur, fieri haud poterat, quin eosdem illę perciperent. Hinc non adeo id illi acerbum erat, quàm dum coram alijs diuina patiebatur; quæ tum quidem quàm poterat maximè dissimulabat, vtq; eadem tegeret per simulationem, animo sese dicebat deficere. Vnde etiam nonnumquam, ad se reuersa, cibum sibi afferri petebat, vt quidnam passa esset, hoc modo dissimularet. Cùm grauibus obtrectatorum impetebatur calumnijs, & falsorum testium detractionibus (vti Hispali contigit) dicere solebat, *Deo laus, quòd hoc ipsa loco talis esse noscar, qualis reuera sum: alibi quippe omnes in errorem perducti sunt, & falluntur, meq; habent, qualem me ipsi sibi fingunt; hic verò prout sum & mereor.*

Coram filiabus suis inuita raptus patiebatur.

Teresæ in calumnijs sententia.

Alfonsus Quignonius eques illustris, & probitate clarus, tecta dissimulataque specie, nec sese prodens, scire auidus ecquid illa responderet, ipsam dum cóueniret, inter alia monuit, Magdalenæ Cruciæ vt meminisset, quam quidem vulgus passim vt sanctam suspexerat, quam tamen tartareus ille Planus ludificans omnes ancillã & clientem habebat. nihil hac Teresa mota oratione vel assimulatione est: quin potiùs magna quadam cũ humilitate respondebat: *Numquã mihi eius deceptæ subit recordatio, quin contremiscã.*

Teresæ responsio insignis, mentione Magdalenæ Cruciæ facta.

Deniq; virtus hæc, & sui ipsius contemptus ad mortem vsque illi perpetuus fuit: in qua nimirum erratorum suorum à sororibus veniam petijt, & ad Constitutionum illas ac legum obseruantiam est adhortata, simul etiam obsecrans, ne negligentem hanc tepidamque Religiosam (hoc enim se nomine designabat) vt exemplum intuerentur.

Si, quidquid de illius demissione animi dicendum esset, hic prosequi dicendo vellem, finem dicendi nullum facerem. Duo solùm huc, quę omniũ instar futura sunt, attulisse sufficiat. Primùm hanc illi singulari quadã ratione à Domino virtutẽ esse declaratam & commendatam: vt mirũ minimè sit, tantum in hac illam fecisse profectum; cùm ipsemet Dominus suum illi nihil & vilitatem, nec non errata quælibet declararet. Et ita quidẽ palàm, vt quoties illi cunq; singularẽ quempiam vellet fauorem impertiri, errata illius, cùm quæ tum habebat, tum quibus olim fuerat obnoxia, antè acriter castigando reprehẽderet. Deinde verò, cùm cælestia in ipsam dona effundebat, ampliorẽ simul illi Dei cognitionem, maioremq; sui ipsius despicientiam communicabat. Hinc, dũ secum die quadã cogitaret, non tam intimã modò Domini nostri Iesu Christi pręsentiã, quàm olim habuerat, in corde sese habere, in eiusdẽ penetralibus vocẽ sibi loquentẽ audijt, *Hic præsens sum: sed videre te volo, quàm parum ipsa sine me efficere valeas.* aliaque id genus plura illi suggerebat. Cũ igitur talis esset magister, & discipula adeò

Humilitatẽ à Domino edocta fuit.



Digitized by Google

ministerium obibat,& vesperi præcedente secum ipsa sedulò dispiciebat, quo oua, pisces, aut iusculum ritu saporeve condiret, qui à quotidiano discreparet, hacq; Dei ancillas condimentorum varietate, si qua posset, oblectaret. Hinc, cùm ipsius ancillandi vices recurrissent, hebdomada illa abundè satis domui prospectum erat. Hoc dum munere fungitur, Dominum suo condescendere desiderio nonnunquam dicebat; cùm enim ipsa monachis bonum sapidumq; instruere percuperet prandium, liberaliter is deforis submittebat, vnde parari id posset. Adeò vt ipsam penui & culinę præesse, domui, etiam quoad corporis oportunitates, compendiosum imprimis esset. His tamen ministerijs non vsque eò immersa erat, Dei vt sui obliuisceretur; nec suis ipse partibus vicissim deerat Omnipotens, qui ancillam suam ancillantem potissimùm recreabat, & mira mentis dulcedine consolabatur. Obseruata est ab alijs culinam ingressis, dum sartaginem igni applicat, in mentis excessum rapta, & abalienatis sensibus, facie fulgida & illustri sartaginem tamen arctè adeò complectens, vt violenter hæc extorqueri non posset.

*Quàm sollicite Monialibus ministraret.*

*Teresa sartaginem tenens raptũ patitur.*

In vilibus abiectisque etiam ministerijs semper prima erat & princeps: hinc, dum ceteræ alia atq; alia domus, euerrendo sordes, loca purgarent, chortem ipsa semper sibi sumebat euerrendam. Quo in ministerio sordido obeundo suaueolentia quædam mira, quam non item aliæ sentiebant, nares eius afflabat. In omnibus porrò, ad quas cõcedebat domos, id genus obire officia illi solenne erat, nimirum lances extergere & abluere, sordes euerrere, aliaq; eiusdem modi ministeria ancillaria exequi.

Malagone, etsi afflicta valetudine, ea tamen mentis erat generositate, vt ante alias lecto exsurgens, omnes domus sordes conuerreret, collectasq; in foricas deportaret. Cùm ibidem domus illius, in qua modò moniales commorantur, ædificium construeretur, iam inde ab aurora ad vsq; noctẽ fabris ipsa præsens & inspectrix adesse, prima sportam, prima scopas in manus sumere, ac deinde à Præposita alijsq; Monialibus, cùm aduenissent, commissorum ea die tali in ministerio erratorum, pedibus earum aduoluta, veniam postulare, perinde ac omnium minima vilissimaq; exstitisset.

*A suis Monialibus de genu veniã commissorum petit.*

Nec verò solis Moderatricibus hac se animi submissione subijciebat; verùm etiam, si quam corripiendo Monacham, verbis animum ita illius exulcerasset, vt ad dies hæc aliquot stomachosior appareret; ad pedes eiusdem accidens, sibi petebat ignosci, non satis aduertisse se dictitans, quid reprehendendo effutijsset.

Si quando in Lectionibus sacri Officij recitãdis impingeret vel minimũ, ilicò se medio odæo in solum prosternebat, hoc peccatum ritu protestata. Quo submissionis exemplo sæpenumerò sic adstantium monialiũ viscera commouebantur, vt lacrymantibus abundè oculis, suo inter recitandum fungi lingua officio non posset. Inter nouitias verò & nuperas Monachas

*Quomodo in choro se gereret in officij lectione peccans.*

 semper

Digitized by Google

ſemper ſibi ſedem deligebat,& ſi quæ ſibi pronuncianda eſſet lectio, poſteriores Præfectæ atque eius Vicariæ cedere pro more habebat.

Domicilio in opido Villanoua de la Xara conſtituto non minus in domeſticis obeundis offi:ijs ſui haberi rationem volebat, quàm alterius cuiuſpiam de turba;cumque vnius dumtaxat brachij vſum haberet liberum(altero ſcilicet malè affecto)quomodocunque poterat, ſordes euerrebat,& triclinio aut culinæ,quoad poterat,operam ſedula nauabat.

Quomodo Præpoſitas honoraret.

Cùm ad aliquod veniſſet monaſterium, ſuo Præfectas officio fungi ſemper ſinebat,perinde ac ſi ipſa non adfuiſſet, digniorem que ijs nunquã non locum cedebat.Si quando odæo euocaretur, facultatem exeundi à Priore magna ſummiſſione ac reuerentia poſtulatum ibat. Et hanc ſi cõmune triclinium ingredientem Tereſa accumbens conſpiceret, exſurgebat,donec ſuo illa loco accubuiſſet.

Cùm Albæ Guardianum quempiam alloqueretur, & Præfectam ad eumdem conueniendum intrantem videret,ilicò loco ſurgens illam cõſidere voluit,atque interim aliquantiſper in pedes conſtitit,donec tandẽ, vt Præfectæ,ſummoperè vt conſideret vrgenti morem gereret, etiã aſſedit.Huic Præpoſitæ nomen erat Ioanna de S.Spiritu.

Quomodo ſe gereret cum ijs, quæ tali tenebantur morbo, qui abominationem moueret.

Si quæ monialium ex naturæ imbecillitate quid haberet, quod quamdam ſtomachi nauſeam & auerſionem videnti cauſaretur; ad hanc Tereſa ſimul & ſenſuum abominationem refrænatura,& humilitatem exercitura,accedens propiùs familiarius ſeſe ingerebat, manus etiam interdum eiuſdem exoſculabatur,aut quidquam de paratis illi cibarijs deguſtabat, aut alio id genus opere faſtidientem naturam compeſcebat.

Humiles mortificationes Tereſæ.

Fuit,cùm ſua pleno in triclinio commiſſa palàm enunciaret, & humi, è patinis lancibuſque ita comederet ſordidulis, vt nauſeam delicatiori ſtomacho peperiſſent, quamquam munditiei natura ipſa perſtudioſa eſſet.

Aliàs manibus pedibuſque quadrupedis in morem reptando tricliniũ ingreſſa eſt,necnon multo ſaxo grauata,laqueoque collum inſertum habens,quem ſoror quædam pone ſequens manu tenebat illius, vt quidem credo,culpas referens. Aliàs eodem ingreſſa eſt onuſta palea ſuas magna humilitate culpas pronuncians,perinde ac ſi nouitia quædam nupera fuiſſet,quæ ad ſui victoriam & mortificationem huiuſce humiliationis exercendæ à Præfecta facultatem petijſſet. nulli enim fas eſt monachæ id genus mortificationes ſubire,niſi Moderatricis antè facultatem magna animi demiſſione & feruore poſtularit. De mortificationibus porrò hic pauca dico,cùm ex hoc ſpecimine de reliquis coniecturam facere procliue ſit, ſcientique quid ſit mortificatio,quidquam de hac dicere neceſſe non ſit: cùm in omnibus quas tractamus virtutibus facilè appareat, quanta ſui victrix fuerit,quàm abſoluta ſenſuum paſſionumque domina, quantaque quid-

Digitized by Google

quidquid impedimento esse poterat, quò minùs heroicos illos virtutum, quas exercuit actus, exerceret, fortitudine exsuperarit. Is namque verè mortificationi studet, qui naturam expugnat, tentationibus obluctatur, Deoque omnia subijcit, nec propterea quidquam eorum, quæ Dei obsequium & amor facienda necessariò exigunt, omittit.

Factum etiam est, vt sacrum aditura conuiuium seuera superior oratione, quò ipsam mortificaret, inde vt facesseret, monuerit, ad quam ipsa etiam vocem magna animi serenitate & humilitate ilicò paruit, quamuis alioquin numquam non maxima sacri huius ferculi fame teneretur.

Cùm vltimis vitæ suæ annis adeò viribus esset exhausta, vt communes sequi leges commodè non posset, petijt ab ipsa loci, in quo tum versabatur, Præposita, cóne esset die ad triclinium ventura. Quæ illam interrogatio adeò non commouit, vt etiam omnibus, quibus ibidem hæsit diebus, triclinium frequentarit.

Cùm in alterius monialis cubiculo agentem Præposita quædam cum libertate aliqua sic compellasset, *Iesu bone, poterimusne vestram Reu. conuenire Mater, quæ tamdiu illic commoratur?* ilicò ianuam vultu hilari & sedato, nullum penitus proloquens verbum aperuit.

Si quando cœnobio aliquo excederet aliò abitura, praui quod dederat exempli petere à monialibus veniam solebat, quod etiam fecit, cùm decedere de vita contigit, vt iam suprà dicebamus. Hoc verò tanta humilitate & animi teneritudine faciebat, vt omnium oculis lacrymas excuteret. Quid ageret Teresa e monasterijs discedens.

Virtutis porrò huius perstudiosa erat, & summa admiratrix; ipsum etiam Dominum eiusdem amore teneri asserebat: cuius cur tantus is cultor esset, si scire optarent, hanc esse rationem aiebat, quòd amaret ipse veritatem; humilitas autem aliud non sit, quàm veritas, dum scilicet agnoscimus, quàm parum reuerà simus, & nihil penitus à nobis nos ipsis boni habere. Ceterùm virtutem hanc Sodalibus suis imprimis commendabat, monebatque, ne, quæ domi intra priuatos agerent parietes, ea externis patefacerent, nec sanctitatis apud mundanos nomen affectarent, neu placere hominibus studerent, quamuis id non alio fieret fine, quàm vt hoc pacto illi ad domui benefaciendũ inducerẽtur. si enim iter hoc insisterent, fore vt fame emoriantur, sed potiùs seruare conarentur, ad quæ voto se obligarunt: etsi enim mundo incognitæ essent, Deum Opt. Max. illarum intra claustri latebras latentium nomen hominibus in plateis diuulgaturum, viamque inuenturum, qua hi necessitatibus ipsarum prospiciant. Cur amet Deus humilitatem. Nolebat Teresa suas, quæ agerẽt, hominibus aperire. *Via perfect. cap. 15.*

Hoc etiam suis præceptum iniunxit, vt, cùm ab alijs coarguerentur, vel accusarentur, nihil in sui defensionem afferrent, neu se excusarent, nisi fortè aliud vel charitas, vel alia causa iusta suaderet: partes enim & defen- Suadebat suis Teresa, ne se excusarent.

Digitized by Google

defensionem ipsarum Deum suscepturum. Si quas autem hoc imitari monitum cerneret, singulari quodam gaudio efferebatur; easque alijs maioris faciebat.

Suadebat adhæc, vt in rebus minoribus se exercere assuescerent, quo paulatim ad maiores peruenirent. Ad verò se non excusandum permultum conferet cogitare, quantum nihil ad defensionem sui afferendo quis per omnia lucrifaciat, deinde quàm parum hoc modo amittat. Nam si rem benè consideremus, comperiemus non immeritò nos castigari, cùm culpa pleni simus. Nam si fortè hæ, quas obijciunt, culpæ nobis non insint, aliarum sanè multarum rei sumus: imò verò nonnisi summo nos honore afficiunt, cùm eas, quas habemus, subticent. Verus porrò humilis verè fieri parui, persecutionibus exagitari, & condemnari velle debet, etsi nihil culparum admiserit: si enim imitari Dominum voluerit, qua illum in re potiùs quàm in hac imitetur? Quapropter omne ipsarum aiebat studium in hac versari virtute debere: neque enim timendum hic esse, quòd aliquod animæ vel corpori damnum adferat: quin potiùs tantum inde emolumentum & fructum secuturum, vt ne falsæ quidem visiones vel reuelationes vllum ei sint allaturæ damnum, qui verè humilis est. Nihil adhæc esse, quod tam citò Deum vincat vel alliciat, quàm humilitas: hac quippè impellente & inuitante eum in materna viscera descendisse, & per hanc à nobis illum in animas nostras vel crine capitis pelliciẽdum: tum etiam, qui plus habuerit humilitatis, plus etiam Dei; qui verò illius minus, etiam huius minus habiturum: neque enim intelligere se posse, quomodo vel sine humilitate amor, vel sine amore haberi possit humilitas. Demum duas illas virtutes sine insigni quadam rerum omnium creatarum abnegatione non posse consistere. Ceterùm illam è contra improbabat humilitatem, quæ donorum à Deo indies receptorum cognitionem nobis aufert. Salutare quippè est eadem cognouisse, simul etiam agnoscere, ea nos minimè promeruisse: si enim dona hæc non agnoscantur, semper anima ad quid heroicum aggrediendum iners & torpida erit. Illam quoque vituperabat humilitatem, quæ ab orationis nos studio auocaret, qua ficta quadam specie indignos nos dicamus esse, qui coram Dei præsentia versemur, vti & illam, quæ animam in bonorum operum faciat exercitio languere, vel turbet. Vnde ipsa, vt quæ miram horum omnium experientiam habebat, esse & falsas quasdam humilitates eruebat, quæ facilè hominem in fraudem pellicere possent, & ab his sibi vt cauerent, numquam non suas hortabatur.

*Nihil adeò Deum flectit, quàm humilitas.*

*Non probat Teresa humilitatem, quæ à Dei donorum cognitione, oratione, aut alijs bonis operibus auocat.*

CA-

# CAPVT XVII.

## *DE ILLIVS IN LABORIBVS PATIENTIA, quamquе libenter pro amore Dei pateretur.*

IAm quidem proximè de obedientia, vera & legitima humilitatis filia, loqui me oporteret: nisi tamen antè, quantum ipsa propter Deum passa sit, præmisero, hanc de humilitate mihi materiam planè decurrisse minimè videbor. In hac enim multa sunt, è quibus manifestum fiat, quàm virtus hęc in anima eius radicata esset. Pluribus quidem opus foret verbis, vt pro dignitate multa, quæ passa est, prosequi possim; hæc tamen multò dici queāt faciliùs, quàm insignis illa patientia & alacritas, qua eadem perpessa est. Passa autem est in omnibus, quibus pati aliquem quid modis posse verisimile est, in corpore, anima, & honore. Teresę patientia.

In corpore siquidem iam inde à pueritia grauissimas tulit ægritudines, adeò vt toto vitæ tempore nulli rei vtilis futura videretur, vti primo enarrauimus libro; vomitus quoque duos quotidianos, quorum meminimus: quorum licèt matutinus ipsam deseruerit, vespertinus tamen illi perpetuus fuit. vt taceam & alios morbos acerrimos, eosque plurimos: quorum etiam non pauci ad mortem vsque illi adhæserunt, vti cardialgia, dolor colicus, & insolitus quidam, qui caput, & brachium vt plurimum, quandoque etiam membra omnia occupabat tremor, & vespertina illa, de qua modò egimus, nausea. Adeò quidem, vt quinto antequam exspiraret anno, in Mansionum suarum libro, iam abhinc annis quadraginta nullo à dolore se die vacuam fuisse scripserit. In his verò omnibus, etiam tum cùm viam salutis primùm ingrederetur, insignem exhibuit tolerantiam: nec non violenter se cohibuit, ne exteriori aliquo signo motuve dolorem amaritudinemque, qua conflictabatur interiùs, proderet, ne, quæ se ægram inuiserent moniales, aliquatenus contristaret vel grauis esset. Hac illi in re permultum profuit S. Iobi exemplum, cuius tolerantiæ historiam iam legerat; hinc cum ipso dicebat, *Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus?* Nihilominus eo ipso, quem è Mansionibus allegauimus, loco testatur consideranti sibi flagella pœnasque, quas promeruerat, exigua hæc & nullius ponderis visa fuisse. Si quando verò dolores iam intolerabiles & immensi videbantur, quosdam patientiæ elicere actus assuescebat, suamque cum Dei voluntatem, quoad quidem poterat, conformare, Dominum obsecrans, vt, si ita videretur, patientem sibi animum elargiretur, & ad finem vsque sæculi hoc se in statu agere fineret.

Quid in suo passa sit corpore. *Mansion 6. c. 1.* *Iob 2.* Quos actus interiores Teresa suis in doloribus excitaret.



Digitized by Google

In ipsis etiam itineribus duros quosdam & inauditos labores pertulit, perfrigida aura(quanquam frigus illius valetudini noxium imprimis esset) per imbres, niues,& intolerabiles æstatis calores itinera capessendo. Grauitatem horum adaugebant quotidianæ ægritudines, dolores vsq; eò intensi, pauperies, variaque incommoda tum in hospitijs, commeatu, lecto, alijsq; rerum oportunitatibus, quibus corpus tenue adeò & imbecillum indigebat, subeunda. Huc accedebant & viæ asperæ, duræ, denique maximis obnoxiæ periculis. Non rarò etiam contigit, vt per eos, quibus in itinere versabatur, dies continua cœlo pluuia, vel densa nix decideret, ac multis passuum millibus nullus occurreret locus, nullum vmbraculum ac tugurium, quo succedẽdo cœli iniurias propulsaret; ac tandem post itineris molestias vires recreaturæ tenue adeò & inops adeundum esset hospitium, vt nec ignem, nec vnde is eliceretur, haberet, nihil denique, quo pelli fames posset: cubiculi denique tectum adeò esset rimosum & hians, vt hinc inde subintrante aere tam frequens cœlo penetraret imber, vt nec vestibus interdum pellere eũdem posset. His porrò in rebus eã præferebat generositatem mẽtisq; constantiam, facilè vt appareret, quàm libenter in ærumnis ageret. Harum, de quibus loquimur, noctium quadam hospitium ita quidem affecta subijt, vt ægra vix membra traheret: è vestium siquidem humiditate ortus colicus illam inuaserat dolor, & membrorum dissolutio, nec non maximi artuum tremores. Quam vt sic affectam Anna de S. Bartholomæo eiusdem socia vidit, ignem quæsiuit, quo pannum illi aliquem calefaceret. Hoc quidam vir grauis, qui eodem in diuersorio erat, conspecto, iniurius in ipsam in contumeliosa adeo prorupit verba, vt ab id genus viro posse ea proferri non facilè quisquam credat, nisi linguam eius mouerit diabolus, periculum facturus, eamne ad impatientiam redigere posset. Hæc porrò ipsa æqua & sedata mente omnino pertulit, dum non alia de se dici promeritam se credit, quàm quæ erant pessima. Sed quam inde alijsque id genus contumelijs hauriebat, voluptas adeò immensa erat, vt hæc ipsa illi sanitatem afferre videretur.

Lætatur se iniurijs & contumelijs affici.

Cùm Burgis ægerrimè haberet, datus illi in valetudinario publico, in suprema eiusdem parte, ad diuersandum locus, cœli peruius iniurijs & frigidus. Cuius cùm hic sortem filiæ dolerent & commiserarentur, nimis etiam hunc sibi commodum esse ait; neque enim vel tantum sese promereri, atque non sua se, sed illarum causa angi & dolere; habere se namque plus quàm mereretur. Cùm verò tenuem hic illi & angustum parabant lectulum, exclamabat: *Quàm hoc molle & delicatũ cubile est Domine mi, cùm ipse dura in cruce recubaris!* Eo ipso tempore, quotiescumq; sumebat cibum, sanguis illi è quodam quod in faucibus habebat vulnere prorumpebat: quem illius dolorem miserantibus monialibus aiebat: *Ne vos, obsecro, mei tangat miseratio: plura namq; & grauiora Dominus meus pro me pertulit, cùm felle & aceto potatus est.*

Eni-

Digitized by Google

Enixè à Domino ipsa contenderat, numquam vt sibi dolores deessent, vnde nec etiam vmquam illi defuerunt. testari id possunt, qui assiduè cum ipsa versabantur, qui nullo eam die integra gaudentem valetudine conspexerunt, nisi quòd, cùm noua inchoanda erat fundatio, vel aliquid, quod in maximam Dei cederet laudem, peragendum, infirmitates paululum minuebantur, tantamque sibi ipsa faciebat violentiam, nullo vt premi malo videretur. Vnde tam ipsa sibi quàm reliquæ moniales similem offerri occasionem optabant, vt meliusculè propterea haberet. Et quoniam quidquid patiebatur, exiguum quid erat, si coronam, quam illi præpararat Deus, intueamur, hinc etiam plenam diabolo potestatem & copiam fecit Dominus, vt ipsam interdum affligeret & exagitaret sicut eum ad S. Iobum vexãdum cœlitus legimus accepisse. Propterea, vti iam suprà commemoratum est, quotiescumq; aliqua se anima diabolico iugo subduceret, vel vitæ rationem meliorem iniret, in ipsam statim omnem suam furens euomebat rabiem & indignationẽ. Vnde etiam continenter quadã vice quinq; horarum spatio tam diris ipsam diuexauit modis, tantaque afflictione tum interiori, tum exteriori oppressit, (quòd corpore seipsa toto, brachijs, & capite impeteret, vt se coercere & retinere neutiquam posset) vt duro iam se sub onere succumbere debere crederet. Interim tamen sibi constans patiẽdi gratiã à Domino efflagitabat, simulq; paratam se declarabat, si modò ita illi videretur, ad afflictionem hanc ad vsq; iudicij extremi diem perferendam. Quinque illo horarum elapso spatio, tum demum intellexit à quo hactenus miserum in modum fuisset torta: vidit enim adstantem sibi deformem quemdam AEthiopem, ringentem idcirco dentibus, quòd vnde sperasset compendium, inde passus esset dispendium; quem demum aqua lustrali ab se fugauit.

*Petijt à Domino Teresa, numquã vt sine dolore esset.*

*Iob 2.*

*Teresam diabolus interdum affligebat.*

Plura alia id genus perpessa est, sed vnum dumtaxat commemorabo, quod plus cæteris ab alijs notatum fuit. Hispalensi sede iam constituta, Toleto Abulam redijt; vbi etiam biennio post toto mansit. Mirè hoc temporis interuallo vniuersus Excalceatorum cœtus exagitatus fuit, vti suo in loco dictum est supra. Hac in procella Abulensi è domo missis ipsa monachas hinc inde sparsas litteris consolabatur. Malè hoc humanæ salutis aduersarium cacodæmona habebat, qui hanc qualemcumque opem hoc conatus est pacto interturbare. Ad Completorij Officium Teresa se conferens, ac lucernam manu gestans, iam scalas ad summum vsque gradum ascenderat, cùm iam iam odæum ingressura, derepentè velut destituta sensibus, nonnihil retrò cedens prolapsa est, atq; sinistrũ sibi brachium fregit. Ingẽtem quidem hac in ruptura passa dolorẽ est, longè verò maiorẽ postea, dũ curatur: multũ quippe effluxit tẽporis, antequã accederet, qui ossa cõfracta restitueret; quòd quæ luxatis confractisq; ossibus solidãdis nota erat mulier, haud procul à Metina, ijsdem dieb. ægra

*Diabolus in causa, vt Teresa fregerit brachium.*

decumberet. quæ cùm accersita adesse tunc non posset, tantisper malagmata quædam iubet à se præscripta applicari, quo ad ipsa præsens adesset. Iam brachium enerue & virium expers erat, cùm tandem medica aduenit. Nihilominus, pro eo quod ferendi habebat desiderium, illius se arti arbitrioque totam Teresa concredidit, vt quidquid videretur, id in se exerceret. Igitur à monialibus omnibus, templum adire iussis, se Domino per preces petijt commendari. Interim cùm sola ipsa cum chirurga mâsisset, & alia quam hæc adduxerat rustica; duæ illæ, quæ robustæ erant & valentes, brachium contractum & luxatum tanta coextendere vi cœperunt, vt humeri vertebris & oscillis fragorem edentibus hac in extensione intolerabilẽ passa dolorẽ sit. Hunc tamẽ illa meditatione eius leniebat cruciatus, quẽ tũ Dominus Iesus Christus est perpessus cũ illius in cruce brachia violenter à carnificibus extensa sunt. Vt ergo rediere moniales, adeò placido serenoque Matrem viderunt vultu, perinde ac si nihil penitus pertulisset; quin potiùs adeò læto ac renidenti, vt hunc se diceret dolorem ne omnibus quidem mundi gazis redimere velle. Diu brachium ne mouere quidem potuit, cuius tandem penitus etiam vsum amisit, vt, quoad vixit, nec vestem induere, nec exuere, imò ne velum quidem capiti imponere potuerit. Lapsus verò fuit huiusmodi, itaque inopinatus, tam nulla etiam præuia occasione, tamque magnus, vt, quotquot domi fuere, nonnisi dæmone impellente illam cecidisse censerent. Id verò inde colligitur manifestiùs, quòd, cùm de monialibus quædam illi diceret, Dæmonis id operâ factum videri, ipsamet Mater exceperit, *Plura etiam & maiora infligere vellet mala, si Deus id permitteret.*

Ecquid in anima perpessa sit.

In anima verò viginti duorum annorum spatio maximas passa ariditates & desolationes est; horum etiam nonnullis, grauibus oppressa timoribus est; dum nimirum metuit, ne à dæmone fraudis artifice sibi illudatur; nec non continua acrique exagitatione illorum, qui verè eam asserebant decipi. Non mediocriter hoc ipsam torsit, quòd hi illam maximè vexarent & cruciarent. qui verò hoc eam modo exagitabant, viri erant boni, quique eius commodis salutique studebant. Perpessa adhæc est horribiles à dæmone interiùs tentationes & afflictiones, & sæpe quidẽ ita graues, vt, quantum illi quidem videbatur, nullum prorsus in se Dei fauorem sentiret, nullũ erga ipsum amorem; imò non plus acceptorũ ab ipso beneficiorũ recordaretur, ac si numquam eiusmodi quid cælitus accepisset; adhæc quidquid in mundo erat, graue illi esset; imò nullus omnino mortaliũ ipsam recreare posset; nauseâ quoq; illi afferret lectio & oratio; deniq; omnia, & quotquot ipsã alloquebãtur, summum illi mœrorẽ afflictionemque causarentur. Quid verò dicã de ijs, quæ in primi, nec nõ in reliquorũ propè omnium cœnobiorũ erectione contigerunt? quid de persecutionibus, quibus exagitata est, dum Ordo ipsius maximo in discrimine

Teresa sine omni aliquando cõsolatione fuit.

ver-

Digitized by Google

versabatur? Nam quamuis libro tertio harum meminerim, tamen si, quidquid quo ad hæc dicendum habeo, dicerem, plura hauddubiè suppeterent, quàm hocce loco dicere necesse sit. Quidnã passam ipsam credimus propter incensum & ardens illud desiderium, quo apud sponsum suum esse, illoque potiri cupiebat, idque tot annis dilatum; idque eò magis, quòd interim, naturæ fouendæ gratia, comedere, dormire, cum hominibus agere, & litteras scribere cogeretur, cuius tamen vnica voluptas erat in solitudine cum sponso suo, quem tantopere diligebat, conuersari, & totam se illi cognoscendo, amandoque impendere?

Non parum etiam ipsam cruciabat, quotiescumque à carissimis filiabus suis, quæ tam amanter ipsam complectebantur, diuelli, easque relinquere cogebatur, quamcumque demum sibi vim ad dolorem hunc dissimulandum faceret, cùm præsertim videret, non eas amplius à se conspiciendas.

In honore quoque & fama permultum pertulit, etsi non alium in terra, quàm Dei honorem, quique ad sancti illius nominis gloriam, & illius obsequium erat necessarius, quæritaret. Iam antè vidimus, quàm multi illius orandi modos exploserint, & reuelationes, & quomodo illam ceu à malo spiritu actam coniurare exorcismis voluerint. quod sanè non exigui cuiusdam doloris illi causa fuit. Die quodam cùm in Manchensis prouinciæ pagum, cui vernacula lingua *la puebla* nomen est, appulisset, haud procul à templo ad sacrificiũ Missæ audiendũ, & sacræ communionis participandum excensioné fecit. quotquot in hac æde conuenerant, palam aiebant non rectè mulierem hanc procedere videri; proinde consultum fore eam vi publica comprehendere. Vt verò cœleste eam viderunt epulum inire, offensi ipsam adiere percontantes, ecquanam audacia ad sacram se Eucharistiæ mensam ingereret? loco itaque se non subduceret, in ipsam enim ante se inquirere velle, quàm inde digrederetur, ecquænam esset. Hac Mater contumelia gauisa, ne verbum quidem interrogantibus respondit. Tanta autem hac de causa in templo coorta cómotio, itaque ab omni, quæ confluxerat, multitudine tumultuatum, vt, quamuis festum Dedicationis eiusdem (Incarnationi autem dedicatum erat) die illa recoleretur, & encæniorum magna esset solennitas, omnia tamen turbata passim viderentur. & sanè nisi P. Antonus de Iesu, qui ea regione notissimus erat, casu eò appulisset, longiùs etiam commotionis tempestas progressa esset. qui, quamuis verbis conuenas lenire contenderet, & turbas componere; impediri non potuere, quò minus vnum emitterent, qui mulieres hasce sequeretur, visurus quonam tandem concederent. Ad quæ omnia nullum Teresa verbum in sui purgationem attulit.

Quid in fama & honore passa sit.

Ignominia Teresæ illata.

Varia in illam vulgi rumore spargebantur, eaque probrosa & grauia, ac

calumniantium variæ de omni propè re obtrectationes: sed has ipsa nihil morata, non minus iisdem mouebatur, quàm si de alia quapiam sparsæ essent; nihil proinde in his se habere, quod Deo velut meritorium offerret. Quin & Isabellæ de Iesu (vt quæ nouerat, omnia hæc cum apertissima veritate pugnare) dicenti, ferre se nequaquam posse talia de ipsa hominum sermone iactari, hilari lætoque respondit vultu: *Nulla, cariß ima, auribus meis accidere musica potest gratior: cùm enim vera dicant, meritò illa iactãt; at cùm fustibus me nondum excipiant, quid mirum tantilla hæc ipsos de me dicere?* Ita scilicet semper respondebat, cùm semetipsam insimulat, calumniantes verò & iniurios defendit, & excusat.

Quid Teresa responderet iniurijs lacessita.

Pastrana Toletum abeunti Princeps Eboliensis lecticam, quâ veheretur, ei concesserat: quam Toletum hoc modo inuectam sacerdos conspicatus mentis impos, rectà ad monasterium abit euocatæque ad ianuã ait, *Túne illa Sancta es, quæ mundo illudis, & rheda veheris?* nec non alia, quæcumque in buccam veniebant, effutiebat. Teresa verò ignorans illum mente captum esse, humiliter audijt, nihilque in sui purgationem adferens, cuidam viro probo ait; *Nullus est præter hunc, qui meas mihi culpas suggerat.* Etsi verò imminuti hunc esse cerebri intelligeret, ab illo tamen tempore adeò abhorrere lecticas cœpit, vt eas etsi ab illustribus matronis oblatas adhibere exinde noluerit, sed communibus suas vehi curribus iuberet.

Teresę in audiendis iniurijs patientia.

Cur postea lecticis & rhedis Teresa vehi noluerit.

Vt ad Incarnationis cœnobium reducta est, vt eidem cum potestate Moderatricis præesset, vehementer est ab omnibus monialibus domi tumultuatum, vt suo dictum est loco, quòd potissima monacharum pars eidem aduersaretur. hinc varias vbique in ipsam spargere calumnias, innoxiamq; iniurijs proscindere & contumelijs. Et eò demum turba processit, eò indignatio, vt quædã de numero nouæ Præfectæ fauentiũ semper illi comes adhæreret, verita ne verborum iniurias diriores etiam manus iniuriæ exciperent. Hac porro ipsa in tempestate insignem semper animi pacem & tranquillitatem præferre, & sereno quodã ore, quoad poterat, omnia in melioré parté interpretari, nec mirandum videri, cùm durũ sit imprimis & graue, violenter liberum hominem adigere & imperio inuitum compellere, aliaque huiusmodi. Ceterum ea interim conscientiæ securitate ac quiete fuit, vt manè, non præmissa culparum confessione, diuina participare Eucharistiæ mysteria non dubitarit: quod monachas maximè ædificauit.

Teresæ in iniurijs pax.

Ad Hispalensis domus constitutionem abeunti, duo diuinis addicti viri per iter illi dixerunt, multis ipsam quò tenderet Hispali aduersis exagitandam. Et sanè tam diris illa in vrbe exagitata fuit modis, vt se iam inde à primi constitutione cœnobij nihil vmquam passam diceret grauius, & hactenus tolerata ludicra quodammodo videri. Hic siquidem

dem falsa aduersus eam de rebus grauissimis producta sunt testimonia, tantumque diabolus hic valuit, vt etiam velut nocens apud Sanctæ fidei Quæsitores insimulata sit, illorumque iussu in ipsam ac Sodales aliquot sit cœptum inquiri. Et quoniam qui hanc concitarat procellam, magnæ vir auctoritatis erat, multumque apud omnes valebat gratia, (quamquam omni se vacare nossent culpa) quotidie lictorem, à quo ad sacrum tribunal abducerentur, præstolabantur. Etsi verò tanti ea res momenti esset, tantam ea suis allatura infamiam, & vnde tantum accedere monasterijs pòst fundandis dispendium, denique tantum Dei obsequio & vniuerso Ordini iam nuperrimè enato poterat damnum sequi; nequidquã interea Teresa turbata est, sed virilẽ exhibens constantiã, etiã gaudebat, se, nullo commisso crimine, propter Dei gloriam aduersa posse pati, sicut è verbis huc à me adferendis ex epistola eiusdem ad Mariam Baptistam missa deprõptis erui poterit. *Benedictus Dominus, qui ex omnibus eliciet bon: quidẽ iã tũ summo perfusa sum gaudio, tanta simul & tanta videns. Hoc scias velim, singularem mihi hic Dominũ fecisse gratiã, cùm veluti in delicijs versari mihi videbar. Adeò vt licèt præ oculis haberem ingens quod inde domibus hisce oriri dãnum posset, nihil tamen illo mouerer: quòd longè maior esset, quæ inde pullulabat voluptas. Magnum sanè solamen est conscientiæ securitas, & culpa vacare. Bene valeo, etsi hactenus incommoda satis vsa sim valetudine: Scrupi illi vitam mihi sustentant. Hui! qualem hic passa annum sum!* Inde in Castellam reuersam alijs alij criminationibus maleuoli obtrectando impetiere; sed tam parum eas ipsa curabat, deque ijsdem tanta voluptate & quiete loquebatur, vt audientibus stuporem moueret. Sæpè etiam erat non in solis calumnijs verborum sita iniuria, sed ad manus etiam aliquando deuentum est. Cùm Toleti sedis erigendæ gratia ageret, antequam de proprij suis esset tecti oportunitate prospectum, ad cœnobium S. Clementis se Missarũ sacra auditura, cũ sodalibus suis quandoq; conferebat: vt verò à nemine cognoscerentur, vestitũ mẽtiebantur, & in aliarũ matronarũ piarũ & honestarũ comitatu eodẽ sese conferebãt. Hic nõ procul à Religiosarũ craticula cõsidebant, quòd locus ille & secretior esset & quietior. Interim Teresa cũ quadã è comitibus feminis, communionis ergô ad aliũ locũ, vbi sacrũ iam celebrandum erat, sese conferunt. Inde verò tanta hominũ in ædẽ confluxit multitudo, vt ad suas redire sodales minimè potuerit, hinc in Templi medio oppressa à turbis ingruentibus, manere coacta est. Cùm verò iam turba paulatim diffflueret, ecce mulier quædã vicina amissam quærẽs crepidã, ipsam à B. Matre furto surreptã inclamare cœpit, itaq; ilico efferuescere & concitari, quòd nõ citò satis loco surgeret, quò amisũ illa calceũ quæreret, vt eam pugnis & palmis magna vi onerarit, quò hoc ipsam pacto exsurgere cogeret: quòd enim pallio satis vili vndique obtecta esset, pauperculam eam de turba mulierculam credebat. His demũ peractis ad filias Teresa redit, manibus caput

Teresæ constantia ad S. Inquisitionem iam ducendæ.

Teresæ in persecutione gaudiũ.

caput sustinens, ijsque ridendo dictitans: *Ignoscat illi Deus, nam ipsa iam tum satis malè habebam*. Inde verò domum reuersa lepidum hoc ipsa factum non sine risu commemorando recoluit.

In fundatione Burgensi simile quid constat illi accidisse: cùm enim feria quinta hebdomadæ sanctioris in æde quadam sacra versaretur, & quidam transire ad eum cupientes locum, in quo B. Mater agebat, ipsam non pro eo ac volebant ilico surgere viderent, pedibus eam & calcibus impetere non dubitarunt, vt hoc modo in aliam concedere partem eam compellerent, & in terram propulerunt. Quam Anna de sancto Bartholomæo, socia illius releuatum abiens, ridentem comperit, & hilari sedatoque ferentem animo quæ sibi illata fuerat iniuriam.

Eodem quoque modo pertulit, quidquid in ipsam quà verbo, quà facto iniuriarum irrogabatur, nullus vt eam vmquam idcirco vel tristiorem concitatioremve, vel commotiorem viderit; sed singulari quadam hilaritate propè omnia risu excipientem. Tantum verò in omnibus his animi robur prætulit, vt, cùm quodam tempore maximis conflictaretur laboribus, filiabus per iocum videri se diceret durum habere ante pectus asserem, quo ita ictus aduersitatum excepti eliderentur, vt ad intima præcordia penetrare non possent.

Gaudiū Teresæ iussæ foras non amplius prodire.

Cùm eam vetarent Superiores ad fundationes nouas inchoandas in publicum amplius prodire, varias illi verborum contumelias, quibus eam apud Generalem Præpositum onerarunt, retulerunt: quibus auditis tam insolitum ipsam occupauit gaudium, vt id animi ipsa continere penetralibus non posset, memorque, quomodo Dauid olim Rex pia ante arcam Domini stultitia tripudians subsultasset, idem ipsa pietatis genus coram sanctissimo Eucharistiæ Sacramento exercere libentissimè voluisset.

2. Reg. 6.

Quidquid autem reipsa factoque perferebat, nihil sanè erat comparatum cum eo, quod etiam perferre cupiebat. Vnde, tametsi naturalis constitutio obluctaretur, animus tamen & voluntas quibuscumque etiam se obijciendi laboribus nouus semper & interritus erat. hinc non raro Dominum in feruore mentis sic compellabat, imbecillitatem spiritus & sensus suos debiles non respiceret, nec propterea quidquid sibi videretur, imperare & imponere ancillæ suæ cessaret; se namque vniuersa à parte sua, illius adiuuante gratia, imperata quoad posset, executuram.

Teresæ propositum ad patiendum.

Dicebat adhæc, non aliter in vita hac mortali viuere se oportere, quàm vt pro Dei nomine pateretur, hocque ex toto se corde & voluntate perfecta à Domino postulare. Hinc etiam interdum ad Dominum clamabat, *Aliud à te Domine non efflagito, quàm aut mori, aut perpeti.* Sanctos quoque, qui maiores alijs pro Dei nomine labores pertulerant, sancta quadam inuidia æmulabatur. Hinc factum, vt, cùm Toleti de Apostolorum Principibus Petro & Paulo Matutinum Officium persoluisset, ingens ipsam animi inuaserit,

Petebat aut mori, aut pati.

rit impetus, accedente tam insolito gemitu, vt in supremo vitæ agone versari & anima iamiam corpore emigratura videretur. Inde verò, durante æstu, ardentissimis quibusdam maximam sanctorum illorum Apostolorum felicitatem, quòd id leti genere ipsos occumbere pro Domino contigisset, verbis deprædicare exorsa est.

In oratione quoque nullas à Domino poterat spiritus consolationes petere, ne quidē easdem desiderare, imò ne id quidē facere se posse dictitabat, etsi vellet & conniteretur; at solum labores & ærumnas, quòd toto vitæ tempore suo numquam eas Domino defuisse cerneret. Multis etiam annis à Deo petijt, vt, quoad viueret, vita omnis laboribus sibi persecutionibusque abundaret: dicebatque, se, cùm nullum in alijs fructū edere posset, velle saltem posse quidpiam pati, ac paratam omnes, qui fingi in mūdo possunt labores & mala perpeti, vt volūtatē Dei vel paulò amplius ac perfectius adimpleret. Minus eæ illi placebant domuum fundationes, quæ sine vlla contradicentiū oblocutione & labore erectę erant; quæ autē plurimo illi sudore ac difficultate steterant, magis ipsam recreabāt; hinc & huiusmodi domicilia ad perpetuitatem fore diuturniora arbitrabatur.

*Non nisi labores à Domino petere poterat.*

*Monasteria difficulter erecta ipsam illi dabant solidioris successus.*

Ad omnium quidem virtutum studia monachas suas identidem adhortabatur, ad nullam verò magis, quàm ad constantē propter Deū tolerātiā: dicebat proinde, erubescere ipsas debere, aliud si iter insisterent, quàm per quod sponsus ipsarum præiuisset: & eam, quæ huiusmodi in se desideria non experiretur, se de Excalceatarum numero non esse credere debere. neque enim quietē debet, sed laborē & passionē desiderare, vt Redemptorem Iesum quadamtenus imitetur. Qui verò considerarit ad hanc singillatim virtutem à Domino ipsam non secùs atque ad humilitatem verbis incitatam, quæ iam hactenus commemorata à nobis sunt, non tantopere obstupescet. quadam enim vice his eam verbis compellauit: *Anne in fruendo consistere meritum putas, carissima? mihi crede, non in hoc id situm est, sed in operando, patiendo, & amando. Non audisti, nonnisi semel Apostolum Paulum gaudijs esse cælestibus perfruitum, sed sæpius pertulisse & in laboribus fuisse: vides adhæc, omnem vitam meam dolore & passione plenam fuisse, semel duntaxat in monte Thabor me gloriæ scintillam expertum. Noli putare, cùm me vides à matre intra brachia & sinum foueri, sine dolore ipsam maximo hac lætitia perfruitam esse. Nam ex quo tempore Simeon illam dolorum perferendorum commonuit, claram illi Pater meus lucem infudit, ad perspiciendum ea, quæ ipse postea in vitæ decursu passurus eram. Sancti illustres, qui in desertis vixere, sicut à Deo ducti & impulsi erant, ita magnas suscepere pœnitentias; & quamuis assiduè cum diabolo præliarentur, ac secummet ipsi, multo tamen tempore omni consolatione spirituali carebant. Crede filia, quem maiori Pater meus amore prosequitur, maioribus hunc etiam laboribus solere exagitare; & his respondet amor. In quo verò id potiùs tibi ostendere valeo, quàm id tibi cupiendo, quod mihi ipse*

*Pudeat Religiosam per aliud iter insistere, quam per quod sponsus præcessit.*

 *optaui.*

*optaui & selegi? Respice hæc vulnera; numquam enim eatenus dolores tui pertigerunt. hoc iter est veritatis.*

Hinc, si interdum natura corpusque eiusdem in patiendo obtorpesceret, Dominus, vti bonus quidam magister, eam coarguebat; quemadmodum eum mense Februario anni euntis sæculi primi post septuagesimum fecisse constat, dum ait: *Semper quidem hinc labores ipsa concupiscis, illinc verò eosdem à te excutere satagis. Equidem ita dispono res, vt te velle scio, non pro sensualitate ac debilitate tua. Ergo generosè certa: vides enim auxilium tibi meum affulgere.*

## CAPVT XVIII.

### *DE MACERATIONE, QVA CORpus attriuit.*

VT institutam de illius patientiæ & humilitatis magnitudine materiam absoluam, necessarium mihi visum de pœnitentia eiusdem, paupertate & obedientia singillatim nonnulla subiungere. Pœnitentiæ itaque semper amatrix fuit, ingentibusq; ad eamdem desiderijs ferebatur, quemadmodum eiusdem è Constitutionibus, & summo vitæ rigore & asperitate, quam suis in familijs cupiebat obseruari, manifestum fit; hanc ipsa, quamdiu Superiores ob inualetudinem non inhibebant, inuiolatè custodiebat, sæpè etiam colebat impensiùs, quàm corporis vires & valetudo permitterent; cùm hac ipsa inprimis delectaretur. Hinc sæpenumero de imbecillitate corporis morbisque querebatur, ac plangebat, hos sibi impedimento esse, ne, prout quidem volebat, vitæ rigorem sectaretur. Eo etiam tempore, quo in Incarnationis cœnobio agebat, iam aliquatenus à morbis solitis libera, tam asperè rigideque in corpus suum animaduertebat, vt frenos ei à confessoribus inijci oportuerit. Antequam domiciliorum suorum erectionem moliretur, triennio propemodum toto in familia cuiusdam honestæ matronæ sui perstudiosæ agens, sæpius medio illo tempore ab hac conspecta est dirissimis in corpusculum suum sæuire flagellis, cilicium horridum ad carnem premere, animi nitori ac munditiei tota studere, itaque orationi intendere, vt die toto illius non aliter vsum haberet, quàm pauxillo post prandium & cœnam tempore. Cùm in Abulensi sancti Iosephi domo ageret, sæpenumero ad sanguinem vsque, non raro etiam citra sanguinem se cædebat. Sed hæc illi verbera parum doloris infligere videbantur: sæpè namque tam vehementia asperiùs in corpus suum sæuiendi illam occupabant desideria, vt, si Dei accederet nutus & voluntas, suum discerpere frustatim corpus voluisset. Hanc ob causam suum

*Teresæ desideria erga pœnitentiã.*

*Asperitas vitæ Teresæ.*

suum plerumq; vrticis tergum feriebat, vt sæpè dilacerata cute vlcera suppurarent, quæ deinde repetitis id genus castigationibus disrupta redintegrabantur. Hunc verò in corpus rigorem ne tum quidem intermittebat, cùm grauissimis vexata doloribus & morbis iaceret. Hinc cùm Segobiæ in hebdomada sanctiori ex febribus lecto affixa decumberet, monachas omnes ab se in templum emisit, nulla omnino apud se retenta. omnibus ergo digressis, cubili surgens, suum egregiè flagellis tergum cruentauit. Hanc porrò flagellorum consuetudinem tamdiu seruauit, donec brachij mutilatio impedimento fuit: ex eo namque tempore magis corporeis eam obsecundare necessitatibus oportuit.

*Vrticis se flagellabat.*

Cubile autem saccus erat palea suffultus, non lana. Semper etiam exigui fuit cibi: immo plerumque abstinuit. Iam inde à primo stabilito domicilio, si quando per valetudinem licebat, pultes farinaceæ quotidianus propè illi cibus erant, ouum vnum, addito adhæc modico olusculo, vel pisis, aliove simili leguminum genere: inter hæc vt plurimum ieiunabat. Fuit, cùm non nisi nuces, vuas passas, & ouum aliquod, vel frustillum piscis manducaret. Etsi verò medici carnis illi vsum præscriberent, semper tamen eadem abstinebat, nisi maxima compelleret necessitas.

*Communis Teresæ cibus.*

*Carnem nō gustabat nisi in maxima necessitate.*

Salmanticæ cùm ventri purgando catapotium aliquod ægra bibisset, & illata illi gallina esset cocta, ex eadem, etsi summa moniales contentione instarent, dicerentque maiorem sibi ad virtutem stimulum fore, si ex allato vel modicum gustaret, aliquid vt sumeret, ab ea impetrari minimè potuit, sed dumtaxat ex ouilla elixa.

Vt plurimum laneam gestauit tunicam: satis etiam diu tam interula, quàm stragulæ lecti, & ceruical illius è panno illo nautico fuere & secundario, quali insterni equi solent & iumenta. Atque quoad res illi accidit sanè memoranda, in hunc modum: Cùm primùm illud monasterium maximo feruore floreret, Maria de sancto Baptista, audito B. M. Pontificem Maximum Pium V. interulas admodum viles & spissas gestare, exiguum quid esse censebat, imò etiam quodammodo delitias, si similes ipsa gestaret. Quamobrem, cùm suas in partes aliam monialem pertraxisset, ambæ Matrem accedunt veniam sibi fieri postulantes interulas è grossiori illo nauticoque panno gestandi. Quibus Teresa primùm id in se experiri se velle ait, dispectura num materia illa institutis conformis foret. atque vti dixit, sic etiam periculum fecit. Itaque id genus panni allatum cùm esset, omnes ad vnam inde sibi indusia, vti & alias vestes omnes, quæ è leuidensa lanea materia hactenus solebant parari, maxima sua consolatione compararunt. Hæc ad aliquod quidē temporis spatiū in vsu fuit, sed deinde adeò omniū valetudini nocuit, vt

*Excalceatæ indusia spissiora gerunt.*

hanc tum medicorum, tum confessariorum suasu à se postea proscribere coactæ sint. Quo primum die spissiores hasce induerant interulas, quodam omnes ad vnam metu angi cœpere, ne in spissiori hoc panno mundæ non essent, neu tueri se à vermibus vestibus innasci solitis possent: hinc vesperi, supplicatione instituta, & crucifixi Domini effigie prælata, ab odæo ad vsque Teresæ cubiculum procedere agminatim cœperunt, Dominum vnanimi consensu orantes, vt hunc abs se metum excuteret. Hoc peracto, & singulis ad cubilia reuersis, eas Teresa, quæ paucis idipsum ac feruenter à Domino petere debuerit, consolatura sigillatim adijt, spem illis faciens fore, vt petita facilè illis cælitus à Deo concederentur. Et sanè Deo cauente factum est vt tam in id genus, quàm alijs tenuioris materiæ indusijs, vti etiam in vestibus reliquis, iam inde à die illo hactenus nullæ innatæ sint sordes, quin potius ea quoad hoc illis insit mundities, quam nec vidit quis vmquam, nec audiuit. Quod profectò donum nō veteranis modò, sed etiā nouitijs quàm breuissimo tēpore obtingit, nisi fortè de reditu ad AEgyptū & vomitum sæculi aliquam animo cogitationē foueāt. Quin imò in domicilio Abulensi id obseruatū est longè mirabilius: nouitias, quarum vestibus sordes ingenerantur, tandem ab ordine suscepto descìscere. Hic verò, quem dico, vestium internorum nitor in omnibus omnino monialium cœnobijs locum habet; nam id ipse singillatim ac sedulò de nonnullis inquisiui, qualia sunt Abulense, Salmantinum, Albanum, Vallisoletanum, Hispalense, Olissiponense; vti etiam de nonullis eorum cœnobiorum veteranis, quæ vno omnes hoc ore fatentur, planeque sibi persuadent in reliquis id omnibus domibus vsu venire. Quin etiam auditu comperi, dum ad horum quæ iam dixi monasteriorum quodpiam externæ aliquot alterius instituti moniales, pauperes, ad dies aliquot diuertissent, ijs ipsis, quibus hæ ibidem diuersabantur diebus, hanc quam dico in lectis deficere munditiam & puritatē cœpisse, sed illis inde digressis eodem priorem munditiem die redijsse, &, quæ tum conspectæ sunt sordes, numquam exinde amplius comparuisse.

*Teresæ religio a vermibus libera.*

*Teresæ in asperitatibus gaudium.*

Quo autem erga asperitates ferebatur studio, immensum id erat: cùm enim diuino flagraret amore, proq; eiusdem nomine tam grauia & facere & pati vellet; insigne quoddam ardentium horum desideriorum refrigerium & alleuiatio erat, rigidis in corpus suum modis posse animaduertere. hinc, quas in corpus exercebat asperitates, nonnisi maximoperè ipsam consolabantur, laboresque eiusdem non parum leniebant. si verò suo relicta quoad hoc fuisset arbitrio, horribilibus & extraordinarijs quibusdam in carnem modis sæuisset. Verùm cùm hinc ipsa tam inflāmato in asperitates & rigores ardore ferretur, illinc verò Superiores & Cōfessarij, cùm ob assiduas frequentesque quibuscum conflictabatur infirmitates, tum quòd permagni eam viuere interesset, ab his illam arcerent, & ipsa non parum quo-

ad

Digitized by Google

ad hoc expostularet; magister illius (ita enim Christum Dominum ipsa vocat) suam etiam circa hoc ancillæ suæ adaperire voluntatem voluit, sicut è schedis illius conscriptis manu colligere licet. Quarum in vna hæc continentur: *Quodam tempore cogitanti mihi, quàm graue mihi esset carnem gustare, & seueram in corpus me non esse; significatum est, id interdum ex amore proprio potius, quàm ex eius affligendi desiderio procedere.*

Pœnitentia sæpe ex amore proprio procedit.

In altera hæc sequentia leguntur: *Quodam die animo dum verso quàm austeram vitam duxisset Catharina de Cardona, quodque ipsa etiam austeriorem ducere, pro desiderio, quod taliter eius instituenda mihi Dominus aliquando dat, possem, nisi Confessariorum suasu iussuque ab hoc seueriori vitæ genere abstinerem, cogitare cœpi, an non propterea satius esset illis in hoc dissuasu morem non gerere; sed mihi dubitanti de cælo responsum est: Nequaquam filia, bonum tu securumque iter tenes: vides omnem austeritatem, quam ipsa consectatur? equidem pluris tuam facio obedientiam.*

Præfert Dominus Teresæ obedientiã austeritati Catharinæ de Cardona.

Exploratum etiam habeo, P. Martino Guterrio Collegij Societatis Iesu Salmanticæ Rectori aliquando Teresam in hæc verba scripsisse, *Apparuit hisce diebus sanctissima quædam femina, vita seueriore notissima*; puta Catharina illa de Cardona, cuius iam suprà meminimus. Cuius cùm virtutum scribendo texuisset catalogum, illi se quidem singulas ait inuidere; vnam tamen excipere, quòd de austeritate cœpta monita nihil vellet remittere, nimiamque eam & immoderatam esse confessarijs identidem dicentibus parere detrectaret. Quæ verba cùm tantam sapientiam redolerent, & à muliere essent sanctissima maximæque auctoritatis perscripta, omnibus illa domesticis ipse in recreatione collectis prælegit. Etsi verò Teresa seueritatis asperitatisque vitæ perstudiosa, & sectatrix esset indefessa, eamque filiabus ipsa suis nullo non loco inculcaret; acriter eas tamen reprehendebat, si moderamen excederent, nec eam ab ipsis aliter, quàm cùm Confessorum Superiorumque accederet nutus, vnquam permittebat vsurpari.

Non probat Teresa Catharinæ de Cardona in confessarijs nõ credẽdo pertinaciã.

Immodicas à filiabus suis seueritates non vult exerceri.

## CAPVT XIX.

### *QVAM EXIMIA PAVPERTATIS FVERIT cultrix, quàm tamen effusa & liberalis.*

NEc verbis exprimere, nec mente comprehendere possem, quàm sanctę paupertatis semper fuerit amica, quantamque hæc illi voluptatem & gaudium afferret. nec enim minùs eam oblectabat inopia, quàm alios opum copia. Hinc quo domi maiori rerum laborabatur inopia, eo maius illius erat gaudium: & cùm verò multa suppetebant, maior illius erat animi ægritudo, quàm dum penuria rei domesticas premebat.

Teresam delectat paupertas.

Iam ſuo in loco vidimus, qua contentione & ſtudio laborarit, vt in primo, quod tum moliebatur, domicilio è ſola viueretur fidelium munificentia, vt & iam rei huius litteras Roma aduocare non dubitarit. Et, ſi hæc à ſuo res dependiſſet arbitrio, nec illud, nec cetera, quæ deinde erexit domicilia, ſtabili dotata prouentu fuiſſent; niſi inuitam & contra ſuum iudicium tam in hac, quàm in reliquis rebus omnibus eam parere ſuperioribus oportuiſſet. hinc numquam non animosè ijs obluctata domiciliorum fundationibus eſt, quæ annuos eſſent poſſeſſura prouentus, cùm è contrà omni opum vi in eorum, quæ poſſeſſionibus annuis caritura erant, erectionem conniteretur.

Nolebat Teresa monaſteria ſua reditibus ſtabiliri.

Toletanam inchoaturæ ſedem duodena aureorum nummûm millia à quopiam addicta erant; ſed hac illa pollicitatione deterrita nonnihil in cœptis refrixit, & ſubdubitare cœpit: verùm vbi & hæc ſtipulatio reſciſſa, & fundandi facultatem ea vrbis gubernator conditione interpoſita fecit, modò nullos ſtabiles cœnobium id cenſus poſſideret; non minori perfuſa mentis gaudio eſt, quàm quis alius diuite reperto theſauro fuiſſet. hinc exultans & gaudens ſic ſuas compellauit ſocias: *Quàm modò, cariſſimæ, certa noſtra ac ſecura eſt peregrinatio, cùm hocce iam idolum à nobis amolitus ſit Omnipotens!*

In oratorijs domeſticis non alias conſtituebat cruces quàm arundineas, & è ligno non dolato nec elaborato. nihil vmquam à quoquam exigebat, nec ſuas exigere permittebat, niſi ea fortaſſe, quibus ægerrimè ad domum inſtituendam carere poterant. hinc domeſtica & ſacra ſupellex tamdiu illi curta & anguſta erat, quoad eam externi vltrò gratanterque è pietatis ſtudio offerrent. Sed omnibus in rebus adeò naua & induſtria erat, vt exigua, quam haberet, recula ſacram ædem ita inſtrueret, vt ea ampla & lauta videretur. nam in omni eo, quod ad diuinum ſpectabat cultum, imprimis accurata erat, & induſtria.

Nihil ſuas petere volebat, niſi ſummè neceſſaria.

Quamuis proprio careret domicilio, adeò non idcirco animo angebatur, vt magnoperè ſe gaudere diceret potiùs, quòd talibus in ædibus agerent, vnde, quotieſcumque locatori allubèret, pelli poſſent. meminerat enim Saluatorem mundi nihil vmquam poſſediſſe in terra proprij.

Gaudet in tali habitare domo, vnde facilè pelli poſſet.

Quoniam verò, dum fundationes domorum proſequebamur, dictum eſt, ecqua in ſingulis cum inopia ac rerum penuria conflictaretur, quantoque eandem gaudio ferret; idcirco nonniſi paucis hocce illam capite commemorabo. Gaudebat inprimis veſtes obſoletas, viles ac ſemilaceras geſtare; eæ tamen ſemper curabat, vt nitidiſſimæ ac mundiſſimæ forent: erat enim omnis, tum corporis, tum animæ nitoris nec non veſtium perſtudioſa: indignabaturque, ſi quam ſuarum ſordidulam

Veſtes detritas ferre gaudet etſi nitidas.

dulam in veſtitu cerneret; vt interior illius animæ mundities etiam ad corpus & veſtimenta pertingeret: quas enim exuebat vittas aut induſia, nullam ſudoris aut alterius cuiuſpiam rei maleolentiam, vti aliorum exutæ veſtes ſolent, ſed ſuauem potius odorem ſpirabant. Sæpè etiam eas ipſa ſumebat veſtes, quas aliæ iam vſu detritas poſuerant; in quo naturalis ſuæ munditiæ præſcriptum excedere quadamtenus videbatur: quin etiam, cùm detritam geſtare laciniosámque veſtem permittebatur, exultantem eam, ac ſuis quodammodo diuitijs plaudentem vidiſſes.

Etſi aſſiduis propè ſemper infirmitatibus conflictaretur, laboris tamen operiſque cultrix erat indefeſſa, ac quoties per neceſſarias occupationes licebat, numquam non operi inſiſtebat: hinc vel filum ducebat, & aliarum penſa diſcriminabat, vel ſuebat, vel aliud eius generis exercitium vſurpabat; adeò vt ne vel momento vacaret. Quin etiam quoties cum viris grauibus ac proceribus collocutura ad cancellos prodibat, ſemper aliquod manuale, vt interim inibi operaretur, penſum adducebat: quod etiam nonnullis, cùm rem notaſſent & diligentiam, adeò minimè diſplicuit, vt etiam ſummopere placuerit. Propterea vtile aiebat inprimis eſſe, clauſis cancellis externos affari, quòd, interim dum cum ipſis ſermo miſcetur, aut vitta componi, aut aliquod manuale opus peragi commodè poſſet. Et quoniam hoc ipſa adeò ſedulò obſeruabat, nulla domi omnino monacha erat, quæ non ipſum imitaretur, & vel minimum auderet otiari. Hinc cùm monialis quædam opus ſuum penſúmque iam abſoluiſſet, fuſi pleni filum in aliud glomus conuoluit, vt otium hoc pacto ac tempus falleret, ſimulque etiam ignominiam, quam incurriſſet, ſi in conſpectu Matris ſuæ otioſa apparuiſſet, euitaret: quæ ſedulitas cùm mirè ipſi placuiſſet, monialem hanc laudando commendauit.

*Laborem amabat Tereſa.*

Omnia porrò hæc opera magna cum accuratione & perfectione exequebatur: viſo verò aliquod è laboribus tum ſuis, tum reliquarum monialium lucellum redactum eſſe, ſingulari quadam perfundebatur voluptate.

Iuſſa librum quempiam componere, dolere ac graue id ſibi eſſe aiebat, quòd alijs occupationibus diſtineretur, & à filando per ſcriptionem auocaretur.

Volebat adhæc pauperiem hanc omni omnino in re enitere. ſatagebat quidem, vt omnibus monaſterijs ſuis de horto vtcumque capaci, ſanitatis causâ, proſpectum eſſet; nec non vt quædam in ijſdem oratoriola excitarentur, in quæ per otium interdum moniales animi colligendi ergô ſecederent; de cetero eadem tamen parua, omniaque ſimplicitatem volebat, nullam verò elegantiam redolere. Tertio verò decimo fundationũ ſuarum capite ſic loquitur: *Quàm, Deus bone, ſplendida illa ac magnifica ædificia parum*

*Volebat Tereſa ædificia ſuorũ eſſe parua & tenuia.*

*parum ad interiorem profectum conferunt. Propter eius amorem vos obsecro, carissimæ sorores meæ, & Patres, ne vnquam in moderatione hac quoad splendidas sumptuosasq; domos sectanda defatigemini. Ponamus nobis ob oculos fundatores nostros, sanctos inquam illos Patres, à quibus descendimus, quos per hoc paupertatis & humilitatis iter ad Dei scimus fruitionem peruenisse. Verè vsu comperi. plus spiritus nobis, quin imò plus interioris gaudij obtingere, cùm corporibus non adeò commodè prospicitur, quàm tum, cùm amplas hæc possident & capaces ædes, varijsq; commoditatibus perfruuntur. Quid, quæso, nobis ea conferunt, etiam maxima, cùm vt plurimùm nonnisi vnicum nobis concedatur ad vsum cubiculum? quid item nobis prosit, si hoc ipsum dolatum & leuigatum sit? Scio enim minimè nos in parietibus inspiciendis detineri oportere: præsertim si cogitemus, non hanc esse domum, quæ perpetua nobis futura sit, sed quæ nonnisi modicè, & quamdiu vita durabit, etiamsi longissima futura sit perfruemur. Omnia porrò nobis sapida & dulcia futura, videntibus, quo pauciora in hoc mundo habuerimus, eo plura in æternitate illa nos possessuras, in qua habitacula pro amoris, quo Domini nostri Iesu Christi vitam fuerimus imitatæ, mensura præparabuntur, &c.*

Idipsum etiam secundo Viæ ad perfectionem capite pluribus inculcat, & à filiabus per amorem Redemptoris Iesu, ac pretiosum illius sanguinem ex animo efflagitat. & addit, optare se, si modò sine piaculo dici queat, vt, quo die amplas magnificasque paraturæ sunt ædes, eodem illæ derepentè corruant, omnesque ruina inuoluant (modò, inquit, sine piaculo & religione id fieri possit) quin etiam hoc se à Domino petituram. Hæc aliaque id genus plurima dicebat, siquidem illam Dei esse voluntatem nouerat. in qua ipsam etiam sententia decretoque imprimis confirmauit sanctitate notus Petrus de Alcãtara: qui dum in viuis ageret, paupertatem illi numquam nõ suasit; nec non vita iam functus, glorioso in corpore illi apparens, rei cuiusdam exiguæ quidem in specie ipsam commonefecit; quam tamen, quia ad hanc spectabat virtutem, ipse vt exiguam non duxit. Cùm enim quidam Abulensis cœnobij murus iam deforis duceretur, apparens B. Matri, ei auctor fuit, ne calce cum cæmentoque construeret, paupertatis illi simul amorem inijciens. Respondentiq;, sine calce fore, vt is concideret, subintulit: si concidat, non deerunt, qui lapsum restaurent.

Paupertatis commendatio.

Dicebat sibi in filiarum gratiam à Deo declaratum esse, ecquæ in paupertate sita essent bona, quæ demum perspicienda aiebat ab ijs, quæ ipsam essent expertæ: *Paupertas enim,* inquit, *bonum est, quod vniuersa mundi totius bona in se complectitur; ipsa magnus dominatus, quam qui habet, omnia illius bona pleno dominio possidet. vera paupertas, quæ propter Deum solum toleratur, magnum quemdam secum fert honorem: pauper nullo præterquam Deo indiget: & statim, cùm nullius operæ indigeat, multi ei suppetunt amici.* Esse item hanc aiebat murum atque arcem, qua religionem egregiè tueatur: suasque continuo adhortabatur, ne placere mundanis, ijs adulando studerent, vt hoc illi pacto eò liberalius

liùs necessaria domui subsidia contribuant (ita enim fore, vt fame emorerentur) sed Deo placere ac satisfacere, instituti præscripta ad vnguem seruare, suæque demum respondere vocationi ante omnia contenderent, Deum quippè ipsis quamprimùm præstò futurum, quin & eos, qui minùs ipsarum rebus studerent, ante cæteros etiam licèt inuitos necessarijs opportunitatibus subministrandis auxilio fore. Hoc ipsum porrò numquam non suis inculcabat, neve vnquam in eius virtutis commemorandis laudibus saturabatur. Suadet Teresa suis, Deo vt placeant, non mundo.

Etsi verò tanto in paupertatem affectu ferretur, in pauperes tamen, quoad eius facere poterat, non modò benigna erat & liberalis, sed etiam effusa & munifica quàm quæ maximè, sicut animi eius celsitas & generositas postulabat. In eos verò, qui pia animarum iuuandarum negotia tractabant, quodcumque necessarium erat argentum, libentissimè insumpsisset, atque etiam, vti antè narratum est, reipsa quàm liberalissimè insumebat. Cùm obuium in via habuisset P. Didacum de Yepes Ordinis Hieronymiani, quem peculiari ipsa affectu complectebatur, videri sibi dixit parum illi ad commeatum pecuniæ superesse, viæ verò adhuc permultum. quinque ergo illi de modico suo viatico argenteos est elargita, nonnisi commodato tamen, quoad facultatem dandi à Superiore impetrasset. Hos quidem Didacus nummos, quòd ab amica descenderent manu, accepit; tamen gratijs, vt quidem par erat, datrici actis, reddidit, quod ijs opus ipse non haberet. Cùm à Ducissa Albana Maria Henricia eam amicè inuisens, mille argenteos in rerum temporalium subsidium accepisset nummos, eos acceptos Incarnationis cœnobio, quod ipsa tum temporis moderabatur, consignauit, etsi Excalceatarum domicilia sat magna tum rerum necessariarum penuria premerentur. Si quas morbidas & ægras, atque etiam bene valentes re aliqua verè norat opus habere, de hac illis ilicò prospiciebat, nec de sumptu tum vllo, etsi à re pecuniaria non admodum esset instructa, querebatur. Teresæ liberalitas. Non querebatur de sumptibus in ægras impensis.

* *
*

## CAPVT XX.

### DE SINGVLARI ILLIVS, QVAM SEMPER ostendit, obedientia.

*Lib. 35. moral. c. 10.*

Obedientiæ laus.

Dominus obedientiā Teresæ erga confessarios probat.

IN obedientiæ virtute numquam non singulari quadam ratione enituit, quæ, vt Gregorius Pontifex loquitur, sola virtus est, quæ cæteras menti virtutes inserit, insertasque custodit. In huius rei declarationem duo dumtaxat attulisse, eaque paucis perstrinxisse, satis erat, quæ quidem ex ijs, quæ primo secundoq; cõmemorauimus libro, satis manifesta sunt, & sunt procul dubio penitus admiranda. Primũ illud est, cõfessarijs illã suis exactissimè paruisse, etsi non alia illis parẽdi esset ratio, quã quòd ipsi cõfitenti operã darent. Nã non modò, sine eorũ consilio, nihil prorsus faciebat, verùm etiam, si illa, quæ à Domino ipsi facienda iniungebantur (etsi minimè dubitaret, quin à Domino illa proficiscerentur) confessarius fieri vetaret, nihil illorum exequebatur: imò si contrarium imperaret, sine dubitatione vlla ei auscultando parebat. Cui si obtemperabat, Dominũ rogabat, sibi vt iussa illius negligenti ignosceret, quòd non aliter ea facere omittebat, quàm vt illorum exequeretur imperia, quos ceu eius suspiciebat vicarios. Et eò quidem res processit, vt etiam sibi vim faceret, quò supernaturalibus, quas à Deo inter orandum accipiebat, gratijs resisteret, & cruce formata illum à se fugaret, alijsque sibi apparentem modis exsibilaret, in quo tamen suipsius voluntati & inclinationi aduersabatur. Hãc porrò perfectam eius obedientiam Dominus laudabat, suadens etiam, vt quidquid illi faciendum præscriberent, perficeret, veritatem se illis pollicitus declaraturum. & vti promisit, sic etiam præstitit.

Teresæ obedientia.

Alterum verò id est. Toto illo, quo de Abulensi fundando domicilio agebatur tempore, etsi idipsa quàm maximè perfectum eo potissimùm vellet nomine, quòd id sibi à Deo Opt. Max. imperatum esset, quãquam res protrahebatur longiùs, variaque rerum intercederent euenta & casus inopinati, interim ne vel latum quidem ipsa vnguem ab obedientiæ præscripto deflexit, sed eruditos semper Theologos percontando consulebat, & quidquid demum illi agendum imperarent, ac sine piaculo fieri posse suaderent, id quàm exactissimè absolutissimeque exequebatur. Vnde ab opere cœpto desistere iussa, sine vlla molestia, nec inuita opus abrũpebat, etsi, quod eatenus perductum erat, maximo illi labore stetisset. Imò etiam domo iam erecta, simul Incarnationis eam Præposita ad pristina cunabula reuocabat, monasterium suum, necnon neophytas plantulas

Digitized by Google

las relinquere non dubitabat, eoque se conferre, illius in omnibus imperio obsecutura. Nec antè hinc digressa est, quàm Præpositi Prouincialis pacem ac benedictionem ad nouam transeundi domunculam obtinuit. Hæc quotiescumque mecum ipse perpendo, non possum non mirari, vtpotè quæ summæ cuiusdam sunt perfectionis, quæ quis imitando assequatur, sanè ignoro.

Equidem plus omnibus mirandum censeo tertium id, quod hoc suprà libro sum prosecutus, quod ad vnum Confessarij imperiti verbum flammis tradiderit ea, quæ in Cantica Canticorum scribendo erat commentata. Nec verò arbitror hic opus esse illius in Superiores cultum & reuerentiam pluribus adstruere, cùm ipse Balthasar Aluarius Societatis Iesu honestæ cuidam matronæ hunc in modum locutus sit: *Viden' Teresa de Iesu, quid à Deo receperit, & qualis sit? Qualis qualis tamen est, in omnibus, quæ illi præcipio, adeò mihi sincerè perfecteque sese submittit, vt patri puer.*

P. Hieronymus Gratianus cùm Præpositum Prouincialem ageret, ait illi Beata Mater, cùm maximi momenti faciendum negotium erat, vt aliquanto adhuc ipsa tempore in domo, in qua tum agebat, commoraretur, maximè consultum fore. Ille mox contrà, satius sibi videri, vel illius obedientiæ periculum facturus, vel quòd ita reuera illi pro rei directione videretur, respondet, inde ipsam quamprimùm digredi. Teresa ergo, etsi à Domino rem perficiendam iam antè didicisset, atque etiam hæc (vti quidem alius quislibet censuisset, qui suum non promptè adeò subiecisset iudicium) illa discedente dissoluenda videretur, nullum ex opposito locuta verbum, nullum in contraria adducens argumentum: Fiat, inquit; &, vt dixit, ilicò inde abitionem adornauit. Cùm ergo diei biduive iter confecissent, quærit ex ea Gratianus: Quid antè nobis non indicasti, Mater, cœlitùs tibi reuelatum negotium hoc ritè ad exitum deducendum? Cui illa, Reuelatum quidem id, inquit, fuit; sed in reuelatione errare possem, at dum Reuerentiæ vestræ morem gero, qui meus es Superior, me certò scio errare fallique non posse. Iam igitur, inquit Gratianus, dispice, & rem Domino per preces commenda. Insequenti ergo die petijt, ecquid à Domino quoad hoc intellexisset. Cui Mater, significauit mihi Dominus, rem quidem, vti antè etiam aperuerat, feliciter confectum iri, verùm iam longè meliùs per eam, quam obedientia me docet, quàm per illam, quam ego antea volebam inire, rationem perficiendam. Non minùs sanè est id admirandum, quàm illa, de quibus iam antè egimus, quòd quamuis tot reuelationes haberet, ac sæpè illi etiam tenuia quædam Dominus circa res agendas declararet,

Teresa proprium non sequitur iudicium etiã reuelatione accedente.

illius tamen consilia non sequebatur, nec reuelationibus vsquequaque etiam apertissimis adhærebat, neu dicebat, Maius mihi à Deo lumen communicatur, & maior mihi sanè est ijs, quæ à Patre luminum significantur, quàm quæ mortalis mihi consulit homo, credendi ratio, sed vnum se superioris Confessarijve sui verbum pluris aiebat ducere, quàm reuelationes mille, illorumque se consilio ac suasu, quos vt Dei suspiciebat vicarios, regi dirigique solùm oportere. quod vt verbis apertissimè declarauit, ita etiam multò adimpleuit perfectiùs. Hinc etiam dicebat interdum, quidquid sibi Confessarius iniungeret, vel quidquid ipsa vicissim eũ etiam velle intelligeret, eorum nihil se vllo intuitu omissuram, imò si quod illius mandatum perficere negligeret, deceptam grauiter esse credituram.

Reuelationibus præponit consilia Superiorum.

Ad Hispalensem fundationem abeunti, & per sacras Pentecostes ferias in oratorio Ezijensi agenti, ardens derepentè incidit desiderium, insigni aliquo Spiritum paraclitum obsequio, idque in gratiarum actionem, & agnitionem præcipui cuiusdam fauoris olim hac in festiuitate ab eo accepti, honorandi. Eius generis quidpiam apud se exploranti in mentem venit, salutare & consultum fore, singulari sese voto ad P. Gratiano, qui tum in Bætica Prouincia Excalceatorum Præpositum agebat, in omnibus obsequendum obstringere. Magnam hac ipsa in re difficultatem sentiebat, vti id colligere est ex ijs, quæ quadam in scheda exarauit. sic igitur habet: *Hinc quidem mihi videbar nihil hoc faciendo præcipui agere, illinc verò durum id imprimis mihi apparebat: cùm quòd Superioribus intimi animorum recessus non pandantur, tum verò quòd tandem illis loco motis inopinatò alius succedat, si fortè cum vno solo res benè non succedat, & aliud nihil inde me consecuturam, quàm vt toto vitæ tempore, tum interiori, tum exteriori libertate carerem. Atque hoc me aliquantulum, imò etiam satis inducebat, ne huiusmodi ipsa votum conciperem. Ita quidem ancipitem tum me difficultas hæc oppreßit, vt toto vitæ tempore fecisse aliquid non videar, in quo maiorem mentis senserim luctam, ne quidem tum, cùm religiosis me votis Altißimo obstringerem, nisi fortè cùm paterna egressa sum domo, ad cœnobium transgressura. Huius verò rei alia causa non fuit, quàm quòd mihi illam amicitiam & amorem, quo in ipsum ferebar, tum in memoriam non reuocarem, sed eum ceu extraneum & ignotum mihi fingerem, imò nec eiusdem talenta atque animi dotes animo recurrerent, sed id animo tantùm agitarem, salutarene esset huiusmodi quid in honorem S. Spiritus suscipere. Crediderim porrò, omnia quæ mihi remoram injiciebant, non nisi dubitationes quasdam fuisse, quæ mihi quoad hoc occurrebant, idne in diuinum cederet obsequium ac laudem, vel contrà.*

Obedientiæ voto singulari P. Gratiano se obligat.

Hæc porrò illi repugnantia ac nutatio ruborem injiciebat, dum videt aliquid in mũdo dari posse, quod propter Deũ aggredi dubitaret. Verũ

tam-

igitized by Googl

tandem omnem in ipsum, cuius causa id faciebat, fidem conijciens, protinus in genua procumbens, coram Deo votum concepit, omnibus se vitæ facturam diebus, quidquid Gratianus iniungeret, modò id nec Dei iussis, nec Superiorum, quorum imperio continebatur, aduersaretur. vtq; Deo acceptum aliquod præstaret obsequium, omnem quam hactenus libertatem habuerat, à se penitus abdicauit, & simul etiam promisit, nullam se datâ operâ culparum ac peccatorum illum celaturam. In charta verò, cui superiora illa inscripsit, ilico subnectit: *Ignoro verò, num aliquod hinc mihi accesserit meritum; videbar tamen mihi eximium & præcipuum quid, in spiritus diuini honorem, quoad saltem intelligere ipsa poteram, fecisse. Itaq; factum, vt magno inde perfusa sim gaudio & voluptate, quæ & exinde perpetua fuit. cùm verò mecum ipsa metuerem, ne in angore & oppreßione aliqua, hoc concepto voto, permanerem; maiorem libertatem nacta sum, nec non fiduciam, nouis illum, ob exiguum hoc, quod præstiti obsequium, à Domino gratijs cumulandum, vt aliquatenus harum ipsa fiam particeps, meq́ue magis in omnibus illuminet.*

Hanc quoq; singillatim virtutem à Domino nostro Iesu Christo edocta est: sæpè namque ei consuluit, vt cum confessario de omnibus animæ suæ negotijs communicaret, cunctos quos ab se acciperet fauores, sincerè illi aperiret, ipsique in omnibus morem se subijciendo gereret. Declarauit ad hæc, ab obedientiæ tramite nulla illi esse ratione, etsi grauissima subeunda occurrerent incommoda, deflectendum. Hoc porrò illius est præceptum ac documentum: *Verè non obedis, si non aduersa & contradictiones pati tecum ipsa statueris: respice quæ ipse sum in vita perpessus, & hac tibi consideratione omnia videbuntur facillima.*

Obedientiam Domino docente didicit.

Illius de eadem præceptum.

Virtutem quoque hanc ipsa permagni faciebat, suisq́ue eam filiabus esse volebat familiarem: cuius dignitatem ac necessitatem breui hac declarabat gnoma: *Quæcumque obedientiam non habet, Religioso est nomine indigna.* hancq́ue proinde haberi volebat non in voluntate dumtaxat, qua exteriùs quæ iniuncta erant, exequi cuperent; sed etiam in iudicio, eadem sibi nonnisi rectè esse debiteq́ue à superioribus impetrata persuadendo. Hanc ob rem, vti secundo narratum est libro, suas in iudicij voluntatisq; mortificatione potissimum monachas exercebat: vti, verbi gratia, dum cuidam de turba iniunxit, vt allatum in cœnam cucumim terræ insereret; dum etiam tot alij simul opera imperauit, vt eadem exequi non posse commodè videretur, aliaq́ue his similia.

Quæ obedientiam non habet, non est religiosa.

Dicebat adhæc, orationem, & reliqua priuata monialis exercitia ([illegible] modò non ea sint, quæ ex ordinis præscripto ceteroquin facienda sunt) [illegible] nō illubenter omittenda, quò superiorum pareatur imperio. si quam [illegible] verò contingeret contristari, quòd non tantum, quantum fortasse vel[illegible]et, illi orationi peragendæ temporis concedatur, quòd alijs interi[illegible] [illegible]n illam operibus Præposita vacare velit; non aliam aiebat tristitiæ h[illegible] [illegible]ius causam videri, quàm

Obedientiæ causa intermittenda oratio.

Amor proprius causa est tristitiæ, quæ nascitur ex obediendo.

Libro fundation. cap. 5.

quàm amorem proprium, occultè subtiliterq; vix vt percipiatur huic nimio inordinatoque orandi desiderio permistum; quo nimirum nobis ipsis potius, quàm Deo satisfacere ac placere velimus: quapropter nefas videri, hanc ob causam aliquo Monachas mœrore deijci. Si enim operibus externis ab obedientia distringerentur, etiam culinæ & ollis purgandis, in ijsdem Deum non minùs reperturas, qui cùm interioribus in rebus, tum etiam exterioribus præstò est ancillis suis futurus.

In quo vera sita sit perfectio.

Simile.

Insuper aiebat, nulla animam re ad summum perfectionis apicem pertingere citiùs, quàm obedientia; & hanc esse causam, cur sub specie recti tot tartareus ille præstigiator in animis religiosorum ab eadem auersiones, & difficultates oggerat. Neque enim in visionibus, vel reuelationibus, non in diuinis fauoribus vera sita est perfectio, sed in ex tota voluntate & libenter, quidquid demum vult Deus, modò lætum, modò amarum ac triste, amplectendo. Et, quoniam magna diabolus nobis & sensualitas propterea contentione resistunt; dicebat, quemadmodum ab hominibus in lite quadam dubia & perplexa arbitri deligi solent, quorum arbitrio partes & actores litigando defatigati acquiescant; ita ab anima nostra, quò litem, quam diabolus & sensualis cupiditas illi intentant, à se amoueat, superiorem & Confessarium velut iudicem deligendum firmiter secum aliud nihil facere proponente, quàm quod ille faciendum iusserit, Domino credendo dicenti, *Qui vos audit, me audit*; itaque consequi, vt & à lite sese liberet, & suam ipsius voluntatem obliuiscatur: *Hæc*, inquit, *vera est vnio, voluntatem meam cum diuina vnire. hanc quæro, hanc in omnibus esse velim; non verò, nescio quas, inebriationes magnæ cuiusdam consolationis, quæ speciosa vnionis nomine insigniuntur: & verò talis deinde futura est, si præcesserit illa, de qua hic loquor. Verùm si post suspensionem hanc, & parum obedientiæ, & propriæ voluntatis multum reliquum fuerit, mihi potiùs cum amore proprio, quàm cum diuina voluntate futura coniuncta videbitur.*

Luc. 10.

Cap. 4. libr. fundation.

Vera vnio quæ sit.

Falsæ vnionis nota.

Dei fruitio etiam intermittenda, vt obedientia exerceatur.

Religiosos adhæc seruos & mancipia esse dicebat Dei, vt qui illius se amore, & sponte sua obedientiæ velut in seruitutem vendiderint; eos proinde ex obedientia, ipsiusmet etiam Dei fruitionem, orationem ac solitudinem intermittendo, quò obedientiæ se dedicent operibus, relinquere debere: &, licèt in his maior errandi, quin etiam impingendi sit occasio, longè tamen maius ea afferre animabus ipsorum compendium solere, quàm solitaria mentis recollectio. In horum namq; operum nos executione agnoscere, quidnam simus, & quousque nostra sese virtus extendat: qui autem in solitudine ac secessu obscurus delitescit, nescire veréne humilitate & patientia donatus sit; imò ne ipsum quidem scire posse: vti, qui nunquam in prælio versatus est, nec hostem vidit, quibus præditus sit lacertis, ignoret necesse est. Proinde aiebat optimum esse in obedientiæ sese operibus exercere, vt hoc pacto ad sui quis cognitionem perueniat;

Digitized by Google

niat; atque vnum humilis cognitionis sui diem maiorem longè Dei esse gratiam, quàm plurimos in oratione transactos. idque eò magis, quòd verus amans amet per omnia & in omnibus, dilectique perpetuò recordetur, quin etiam in ipsis quæ peragit operibus orare queat, suamque ad Deum mentem sustollere.

Quòd autem veram vnionem in eo sitam Teresa dicat, vt voluntas nostra Diuinæ in omnibus congruens & conformis sit, ab ipsomet Domino docente didicit. vt enim ipsa de se narrat, sic quodam illi die significauit, *Ne cogites, filia, vnionem esse, arctè admodū aliquem mihi coniunctum esse (cùm etiam, qui me peccando offendunt, mihi coniuncti sint;) vti nec fauores & suauitates in oratione, etsi illa in sublimi quodam sit gradu, percipi solitas: quæ licèt minus quid sint, sæpe tamen media sunt ad animas lucrifaciendas, licèt in gratiæ statu non versentur. Tum intelligebam, vnionem purum esse & mundum spiritum, super omnia terrena eleuatum nihil vt illorum reliquum sit, ob quod ille Dei voluntatem derelinquere velit; sed qui ita vnus sit spiritus, & voluntas vna cum illius congruens, & abrenuntiatio ita Deo penitus intenta, & occupata, vt nulla amoris suipsius, vel rei cuiuspiam creatæ ibi vigeat memoria.* Quòd autem eos etiam, qui in diuinum suum numen delinquunt, sibi coniunctos ait esse, ita debet intelligi, quòd ipse sit in omnibus; quem proinde generali hoc modo etiam in ijs esse oportet, qui peccando aduersus ipsum præuaricantur.

## CAPVT XXI.

### *DE ILLIVS IN VERBIS POTENTIA & efficacia.*

GRegorius Pontifex hæc Marci Euangelistæ verba, *Illi autem profecti prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis*, exponens ait: *Quid illis in verbis considerare nos oportet, quid ex ijsdem memoriæ mandare, quàm post imperium ac iussionem secutam esse obedientiam, & post obedientiam signa ac miracula?* Et sanè sæpè ita contingit, vt, qui exactissimi obedientiæ sunt cultores, alios etiam morigeros & obsequentes experiantur; nec creaturas modò illorum Deus parere velit imperio, sed ipsemet etiam voluntatem ipsorum ac petitionem implere gaudeat. Testatur hoc vates regius: *Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet.* Hac de causa cùm de eiusdem obedientia superiori simus capite locuti, non

*Marci vlt.*

*Psal. 144.*

non importunum videbitur, hoc de illius in verbis cùm apud Deum, tum homines potentia agere. Vidimus hanc aliquatenus, dum orationis illius efficaciam, quantumque apud Deum illius valeret deprecatio, quot denique tum corporum, tum animorum morbos precibus suis depulerit, declarauimus.

Orationis Teresæ efficacia.

Matrona Burgis iam annis aliquot prolem à Deo continua prece postularat; sed irrito semper euentu. verùm cùm deinde B. Mater sterilitatem illius in precibus Deo commendasset, haud multò pòst votorum facta compos est: quod illa beneficium magna semper animi gratitudine recoluit.

Inde fiebat, vt verbum illius mira polleret in creaturas omnes energia & potentia. Vnde sæpe eam consuluerunt tentationibus, perplexitatibus, animi angoribus ac scrupulis diuexati: quos ipsa, tametsi oppressi malum explicare suum minimè poterant, & à dubiorum vinculis exsoluebat, ac sensa animi penitiùs rimando, serenatos mente ac quietos abs se dimittebat. Multi quoque, etiam remotis è locis, ad ipsam, de rebus spiritualibus communicaturi, vndiquaque affluebãt; alij suis in afflictionibus solamen apud illam inuenturi: neque verò plebeij dumtaxat & triuiales, verùm etiam viri eruditione conspicui. Nemo autem erat, qui non lætior & tranquillior ab ipsa recederet: eximiam enim ad mœrore prostratos verbis erigendos à Deo nacta facultatem erat.

Teresa in consolando potens.

Proceres & illustres genere matronas læta quadam sinceritate simplicitateque candida, ac benignitate insolita compellabat. Et quoniam cum Rege cœlorum & Angelorum tam familiaris illi erat conuersatio, cùm terrenis magnatibus de plano agere minimè verebatur. Hos illa liberè de rebus ad animæ salutem spectantibus commonefaciebat, quin etiam quandoque eadem verborum simplicitate humiliter si quid offenderent coarguebat. Verùm simplicia hæc humiliaque illius verba tantum habebant apud eos roboris, vt non modò piè monenti non obstreperent vel indignarentur, verùm etiam gratias agerent, & exinde maiori in monitricem amore raperentur, vitamque in melius commutarent.

Teresæ verborum pondus.

Quibuscum illi agendum erat, cum his feliciter quidquid agendum erat transigebat; vti iam antè, dum sedium erectiones enarrabam, ostendi: tam placida namque illius agendi erat ratio, verbaque loquentis adeo partim submissa, partim robusta & prudentia, vt quocumq; demum vellet, audientium animos pertraheret. Hinc, dum de Ordinis sui rebus ad Regem Philippum perscripsit, maiore apud Maiestatem illius numero ac pondere eius fuere litteræ, quàm præsens omnium, qui amplissimis rem hanc verbis in curia vrgebant, commendatio.

Illius, iam suprà declaratum est, quàm potentes essent litteræ ad tentationes animorum tollendas. Exempli loco sit monialis illa, quæ tantis animi op-

mi oppressa angoribus est, vt diuini recitare officij pensum nullatenus aliquot diebus potuerit, etsi alioquin nulla corporis impediretur infirmitate. quoties enim id illa auspicaretur, repentè symptomate aliquo occulto corripiebatur, vt illo omisso choro excedere compelleretur. Vt ergo ad cœnobium, in quo illa commorabatur, Teresa appulit, re comperta, monachæ bis terve priuatim Horas suas recitare ex interuallo suasit. quod cùm feliciter successisset, chorum cum alijs ilico petere iussit: & ecce, ab illo die euanescente tentatione, eo quo antè modo suum decurrere cum reliquis Monacha illa pensum Horarum potuit.

Monialis ab officij diuini recitatione occulta quadam tentatione impedita.

Fabros duos, qui in domo, in qua tum agebat, operando occupabantur, tam acri inter se contentione rixantes, vt grauioris esset mali periculum, ipsa lenibus allocuta verbis ita composuit, vt furore posito repentè & litigare desierint, & agnorum instar mansuefacti sint.

Ad Hispalensem sedem stabiliendam digressa, patenti in campo, haud procul à Taberna Albina, cum suis in aliquot milites insolentes, & aliquot alios primùm verbis, dein strictis mucronibus inter se concurrentes incidit. quo ferali territæ spectaculo monachæ, non secùs ac pulli sub gallinæ alas, ad Matris suæ gremium quasi ad tutissimum confugiunt asylum. Quibus Teresa, *Considerate, obsecro, fratres, præsentem hic adesse Deum, qui vos aliquando dijudicaturus est.* quo dicto ilico reconditis in vaginam ensibus nescio quò abierunt, nec deinde monachis visi sunt.

Interdum nonnulli explorandi gratia illam adibant (neque enim ijs, quæ de ipsa famâ spargebantur, credebant,) deliberato animo eius, si qua in re poterant, verbis constringendæ. ipsa verò communi suo loquendi modo ac formula, de rebus scilicet ad animæ salutem spectantibus sermonem miscendo, sciolos hos compellabat. Hac ipsam intentione cùm accessissent adolescentes duo; horum, antequam loco se subducerent, ita Teresæ oratione penetralia introrsum perculit renium scrutator Deus, suam vt ipsimet culpam & sinistram, qua illuc venerant, sponte ei aperire sua mentem non dubitarint, indeque nonnisi meliores rectiorique capta intentione digressi sint.



Digitized by Google

## CAPVT XXII.

## DE GRATIA SANITATVM, QVA POLLEBAT.

Gratiam sanitatum habebat Teresa.

HAEc porrò potentia non in ſolis illius conſiſtebat verbis, ſed ad manus etiam ſe extendebat; fuere hæ namque virtute plenæ, & multa earum adminiculo Deus opt. max. ægris ſanitati reſtitutis, operatus eſt miracula. neque enim ſolas illi parere volebat creaturas ratione donatas, ſed noxios etiam & vitioſos humores. Initium ducamus ab illuſtri perſpicuoque illo opere, quo acceptum in vlnas patruelem ſuum Conſaluum Ouallium etiamnum paruulum, vel iam verè mortuum, vel eo in ſtatu agentem, vt omnium iudicio exanimis haberetur, genibus ſuis inſiſtentem, leniter illi de ſuo ſpiritu inhalando, parentibus & viuum & ſanum reddidit.

In ædibus Aloiſiæ de la Cerda Toleti dum ageret, quædam è domeſticis mulier intolerabili dentium & vnius aurium dolore ita longo temporis ſpatio conflictabatur, vt nulla hunc depellere medicorum ars valeret vel induſtria. Hæc de Tereſæ ſanctitate multa cùm inaudiſſet, ſignaculo crucis vt partem malè affectam communiret, ardentiſſimè ab ea petijt. Quam abs ſe manu benignè Tereſa repellens, *Quin tu*, inquit, *hinc recedis? te ipſa conſigna: neque enim à manu mea virtutem crux accipit, ſed à ſe ea hanc habet*. Inter repellendum verò hanc maxillæ partem tetigit, quam tangi ſibi laborans mulier petierat. ſtudióne id factum, an fortuitò, incertum eſt: id conſtat, ad hunc repentè contactum ab omni prorſus dolore fuiſſe liberatam. Nec verò breuis dumtaxat ea fuit liberatio; ſed etiam perpetua: exinde enim numquam eodem cruciatam dolore teſtantur omnes, qui ipſam cognouere.

Laborabat fortè Metinenſis cœnobij moderatrix ardentiſſima febri, & pleuritide acerrima, vt tenuis in ea ſpes appareret vitæ. Tereſa ergo comperto, quanto vitæ in diſcrimine hæc verſaretur, Metinam cùm veniſſet, confeſtim ægram inuiſit: quam cùm ſui vmbra corporis inumbraſſet, omni ſe morbo ſolutam Præfecta ſenſit, & penitus ſibi reſtituta poſtridie lecto ſurrexit.

Aliam tabida triennio ipſo afflixerat cachexia & tuſſis continua: quam B. Mater conſolata, ſumeret animos ſuaſit, Deo ſeſe valetudinem illius per preces commendaturam pollicita. quo dicto factoque integra valetudine conualuit.

Valliſoleto iam Salmanticam decreuerat proficiſci, cùm ecce ſocia eius Anna de S. Bartholomæo pridiano veſpere repentè in morbum inci-

incidit: quam cùm post Matutinas iacentem adisset, diceretque, *Noli turbari, filia, iam enim aliam mihi itineris comitem selegi, Præfectæque in mandatis dedi, vt simul ac sanitati restituta fueris, eò te mittat, quo me esse loco compererit.* His enim eam verbis delinire satagebat, quòd in ipsam eximio ferretur amore. Quamuis verò Annam sic consolaretur, graue illi tamen erat sine comitatu eius iter capessere. igitur paulisper inde digressa, Domino ex animo illius valetudinem commendauit. Rursus ergo cubiculum ingrediens, quo loco valetudinis negotium esset, percontatur. Anna lectulo insidens omnem ab se febrim depulsam subitò testatur, ac potentem, si modò videretur, ad eum se restitutis viribus conferre locum, vbi tum ipsa consistebat, vt sanitatis specimẽ suæ videret. Nec abnuit Teresa. confestim ergo sospes & integra cubili surgens ad Matrem tendit. Vnde confirmatis diuinitus viribus, lectulo se mane postridie proripiens, cum ipsa in viam se dedit. Eadem cùm ex dentibus laboraret, & ita quidem vehementer, vt ferre non posset, Teresam rogat, vt salutari crucis figura maxillam consignet: cuius commiseratione tacta Mater, crucem formauit, & ad huius signum repentè dolor omnis euanuit. Ter quaterve hoc idem Abulæ factum est antè paulò, quàm ad Burgensem fundationem discederet. Verùm Burgis deinde cùm idem eam dolor inuasisset, sortem eius miseratæ moniales Teresam enixè rogarunt, signo crucis vexatam partem vt signaret. cui eo, quo assolebat omnibus in rebus, lepore aiebat, *Ito, ito, noli putare me passim cruce omnia consignare.* neque tum quidem crucem efformauit; licèt omnium rogatu tandem adducta benedictionem illi impertierit. quo facto, redonata salute est. nec quoad Teresa vixit, vmquam postea dolor hic Annam torsit: & illius demum post mortem, vt sequenti declarandum est libro, penitus ab eodem est liberata.

Monialis quædam Metinensis erysipilate laborabat, ac præsertim in naso, quem adeò semper inflatum & inflammatum habebat, vt eum tandem medici à gangræna crederent depascendum. Die quodam cùm acerrima malo intensissimo accessisset febris, vt B. Matris, quæ tum illa in domo versabatur, colloquio congressuque aliquo modo suo in morbo deliniretur, malè affecto corpusculo cubili surrexit. cuius pia Mater sortem miserata manum per vultum duxit, dicens, *Tace, filia, confido in Domino breui te à malo hoc vacuam fore.* Et, ecce, meliùs monialis habere cùm euestigio cœpisset, antequam inde digrederetur, omnis penitus ita dolor abscessit, vt deinde ampliùs non accesserit. Plura illi Teresa non iniunxit, quàm vt immensas procreatori Domino ageret gratias, quòd se sanitate redonare dignatus esset.

Palentia digredientem sacerdos quidam pius è dentibus laborans molaribus rogauit, sibi vt benedictionem impertiret; & subitò omnis illorũ

cessauit dolor. Addere hic etiam aliud redditæ salutis, etsi non corporalis, exemplum libet. Cùm enim postremùm Salmanticensi cœnobio excederet, omnibus eam monialibus ad ianuam vsque comitantibus; dum retrospicit, Isabellam de S. Hieronymo, quæ ab alijs cogitabunda aliquantò longiùs aberat, videns, eamque ad se euocans, *Huc adsis*, inquit, *filia; quid illic hæres?* quam dum inter vale dicendum amplexatur, facieq; faciem Isabellæ tangit, e vestigio acris, à qua tum quidem dirè exagitabatur, tentatio eam deseruit, nec postea vmquam impetijt.

## CAPVT XXIII.

### *DE SINGVLARI EIVSDEM IN BENEficos gratitudine.*

Teresa gratissima fuit erga beneficos.

QVas hactenus commemoraui virtutes, in summo quodam illas gradu maximaque perfectione Teresa habuit, vt norunt ac testantur, quotquot cum ea egerunt frequentiùs. quamquam, quòd non adeò, vt quidem oportebat, exactè hæ ab illis notatæ sint, nec obseruatarum etiam tam perfectè ipsi meminerint, non pauca, quæ alioquin fructum afferre nota cuiuis potuissent, interciderunt. Ceterùm eximia eius erga quoslibet vel minimo accepto beneficio amicos gratitudo adeò eminens & manifesta fuit, vt nemo, si vel parum animum voluerit aduertere, eam non statim agnoscat: In omni namque vita accepta à quocumque beneficia & grata mente recoluit, & aliquo quoad potuit beneficio de suo rependit. quam nec in supremo vitæ est oblita articulo: quo monialibus non minùs agebat impensè pro omnibus quæ sibi impendebant obsequijs gratias, quàm si externa aliqua & ignota exstitisset, erga quam nullis obligatæ essent nominibus. Si quidquid de hac gratitudine dici potest, huc depromerem. omnem illius huc denuo arcessere ab initio ad mortem vsque vitam, vti & ab alijs in ipsam collata beneficia tam parua quàm magna de nouo repetere deberem. sed paucula dumtaxat paucissimis complectar.

Erga Deum opt. maximum, etiam antequam ex animo & penitus illi famulari inciperet, adeò erat grata, vt, cùm se non tanto in ipsum amore ferri, quanto reuera deberet, cerneret; quos ab ipso accipiebat fauores & gratias, vsque eo illam cruciarent & angerent, vt ad angorem illum superandum ea ipsa qua donata cælitus erat animi generositate maximè illi fuerit opus. ac ne sic quidem animum serenare, seque ingratitudinis non insimulare poterat.

Confessarios verò ad vnum omnes, quos habuit, miro semper modo coluit & dilexit; inque animi grati argumentum numquam horum

rum aliquem ceu noxium repudiauit, nisi aut illi aliò à Superioribus amādarentur, aut ipsa ad nouam constituendam sedem opidò discederet.

Sæpenumerò insigni cum grati animi sensu ac significatione suis referebat omnia, quæ ab alijs sibi collata erant beneficia, eaque recentia semper memoriæ recolebat. Hinc etiam quemdam, à quo haustum frigidæ aliquando per viam acceperat, impensè Deo ad aliquot annos in oratione commendauit.

Incarnationis etiamnum in cœnobio agens, cùm die quodam in Guiomaræ de Vlloa ædibus commoraretur, contigit Sacerdotem, apud quem ambæ delicta ponebant, in grauem diuturnumque morbum incidere, quem cùm haud procul à Ledesma, sanitatis recuperandæ ergò & recreandi corporis ambæ deduxissent, Teresa non minori hic illi solicitudine ac caritate est obsecuta famulando, quàm patri suo carnali. cibaria quippe illi coxit, plurimas apud ipsum noctes vigilando traduxit, & tam officiosè omnibus illi in rebus ministrauit, vt quamdam de turba mulierem dixisses; nec vlla vmquam hoc in ministerio illam nausea vel defatigatio occupauit. vnde, assiduos, quibus postea ipsa afflicta fuit, morbos his è laboribus & vigilijs ortum potissimum habuisse, plurimorum opinio est. Ægro Teresa ministrat.

Hispali cùm antependium altaris à quopiam viro tenui accepisset, in quo rudi quodam ac puerili modo Abrahami depictum acu erat sacrificium, ipsum, quòd domus ædesq; sacra à rebus necessarijs non bene esset ea tempestate instructa, adhibere aræ visum est. quod cùm monialis æditua iam altari adaptaret, per iocum videri sibi ait Angelum adstantem non inscitè gestus virgis seipsum cædentis referre. Ita quidem reuera apparebat, & quotquot eum videbant moniales, similitudinem hanc aptè excogitatam videri aiebant. Verùm seueriore grauioreque in illam conuersa vultu Teresa ridentem coarguit, petens, Hæccine esset ob acceptam ab proximo eleemosynam gratitudo? aliaque in hanc rem plurima, tanto verborum pondere, adeoque seriò depromens, vt mirarentur vniuersę, & simili posthac ioco abstinere statuerint. Corripit eā, quæ eleemosynam acceptā risu exceperat.

Multa alia hic dici possent, si illorum viuax conseruata esset memoria: quòd enim maximè esset humilis, etiam minimum acceptum à quopiam obsequium vel beneficium non minori recolebat gratitudine, quàm summum immensumque: idque omni grati animi quo poterat genere, illo pręsertim, quo maximè pollebat, & faciliùs poterat, per orationem scilicet. Vnde etiam factum, vt quotquot ipsam consilio vel re iuuerunt, singularibus à Deo æquissimo remuneratore deinde beneficijs affecti sint. Exēpli loco vnum instar omnium depromam, è quo de reliquis formare prudens Lector iudicium poterit. Quodam in monasterio sacerdote vsque eò maleuolo in confessionibus sorores vtebantur, vt quibus ille poterat modis domui obesset, & in omni re aduersaretur. Huius cùm Præfecta rei B.

Noluit confessar um domo pell etsi suis ad uersantem.

Matrem commonefecit, rata illius loco alium in spiritualem Patrem ab ipsa deligendum, hoc illam modo Teresa excepit: *Per amorem Domini nostri Iesu Christi te obsecro, filia, eũ vt sustineas, & taceas: nec vlla domi de Patre illo pellẽdo mutãdoq; sermonẽ misceat, quibuscũq; etiã modis vos ille diuexet, modò ad Dei offensam iniuria damnumq́ue non pertingat. Neque enim patiar ingratas nos esse erga illum, à quo tantum recepimus boni. Memini enim illum, dum in coemendis ædibus circumuenire nos emptores vellent, fucum & fraudem detexisse. vnde quod hoc pacto nobis beneficium ipse contulit, animo ac memoria exuere non possum, nec non eum, à quo per ipsum exemptæ sumus, laborem. Ceterùm semper mihi visus est Dei obsequio addictus, & bene esse erga nos animatus. Video sanè, non esse in me ceu quoddam perfectionis genus habendum, quòd erga beneficos adeò semper benefica vicissim existam: id mihi innatum esse debet & ingenitum: vna quippe halecula suas me quis in partes deuinciendo pertraheret.*

## CAPVT XXIV.

### *DE MAXIMA EIVSDEM PRVDENTIA.*

Teresæ prudentia plusquam humana.

HAc de virtute hic quidquam loqui minimè mihi opus videbatur, cùm tam ex ijs, quæ toto hactenus ipsi libro deduximus, quàm ijs, quæ in eius cœnobijs nemo non vsurpari videt, sole meridiano sit clarius, prudentiam eiusdem humana maiorem exstitisse. Quo enim modo tot fundari tanta in rerum penuria, totq́ue obloquentium insurgentibus procellis potuissent domicilia, nisi extraordinaria quadam ac propè diuina prædita prudentia ac sapientia illorum fundatrix fuisset? Difficultatem hãc adauget, quòd mulier esset, paupercula, cœnobij septis inclusa, & ex alterius nutu dependens. Quis enim non prudens vt qui maximè tot perfringere difficultates, tot tamq; varias hominum complexiones perferre, tot iudicia voluntatesq́ue superare, tot incommoda exhaurire, quis denique tot ad adeò excelsa necessarias rationes excogitare potuisset? Omnia hæc, etsi tanta sint, adeò tamen mihi videntur exigua & tenuia, consideranti feminam adeò morbidam, aliarumq́ue rerum tractatione impeditissimam, ita etiam inopem eadem iam stabilita monasteria conseruare & dirigere administrando potuisse? Plerisque horum monasteriorum erectionem humani iudicij lance ponderantibus stolidũ videbatur ac temerariũ plura id genus stabilire; atque adeò cẽsebãt etiã iã erecta haud multò pòst dissoluẽda & in auras abitura. Vnde Ioanna Suaria, illa intima eius in Incarnationis cœnobio amica, dicere in speciem reprehendentis solebat, *Iam satis multa hinc inde erexisti columbaria, tandem aliquando desine, nec*

*plura*

*plura molire*. Verumtamen, nequidquam obstante tanta paupertate & austeritate, quæ in ijsdem vigebant, & inter omnes illas, quibus exagitabantur, persecutiones non modò ea, quæ iam erexerat, integra perstiterunt, & etiamnum hodie perstant, sed alia de nouo etiam constituit. Nihil verò magis in admirationem me rapit, quàm ea, quam in omnibus suis domibus præscripsit, viuendi ratio & disciplina, quàm suas ad orationis studium efformarit & impulerit, quàm ad idipsum compendiariam demonstrarit viam, quàm ad veram obedientiam, mortificationem, humilitatem, silentium & recollectionem mentis, atque adeo reliquas virtutes erudierit. Quod qui ignorat, videat tantummodo, quę hodie in hisce domibus vigeat & obseruetur disciplina, quę vitæ norma, atque inde haud difficulter colliget, qualis fuerit magistra, cùm tam eruditas, tamq; bene institutas post se reliquerit discipulas. Vnde manifestè colligere est, quàm eximio prædita fuerit ingenio, quàm maturũ nacta iudiciũ, quàm altã à natura acceperit prudentiã, quamq; supernaturaliter à Deo fuerit edocta: neque enim video, quomodo humana hisce par esse rebus prudentia posset; ac propterea eã, qua ipsa donata fuit, plusquam humanam fuisse non immeritò censui.

Magno quodam in primis in filias suas amore ferebatur, quē etiam modis omnibus consentaneis ipsis declarabat: vnde fiebat, vt ab illis etiam reciproco ipsa amore diligeretur, & quo eas cumque ducere volebat, haud inuitę ipsę sequerētur. Ex hoc materno erga ipsas amore nascebatur, vt quibuscũque opus haberēt rebus, has ijsdē procurare satageret, vt, quoad eius fieri poterat, nemini quidquam, ac præsertim morbidis & ægris deesset. *Amabatur à suis filiabus Teresa.*

Volupe illi erat, si eadem illas hilaritate mentis Domino videret famulari, quam ipsa in omnibus præferebat. Illos verò non probabat, imò ridebat, qui cũ aliquē interioris pietatis gustũ perceperunt, statim singulares apparere volētes humana vitãt commercia, &, prout ipsa aiebat, caperata contractaque repunt fronte, imò ne alios quidem alloqui audent, veriti, ne hoc pacto pius ille sapor penitus intercidat & emoriatur. Hinc statum quotidianumque suis esse volebat animo remittendo tempus, & in præcipuis per annum sanctorum ferijs pia quadam eas permittebat cantione animum oblectare, atque in laudem ipsorum hymnum aliquem pium pangere, & eo, quem statuta præscribunt, modo sese recreare: religionis tamen limites ac decori nõ transgrediendo, neu latum quidem vnguem ab obseruantia regulari deflectendo. *Teresa hilaris erat & iucunda.* *Recreari suas quotidie volebat.*

Hunc verò monialium erga ipsam amorem magna quædam comitabatur reuerentia, & extraordinarius respectus, quem eximia illa, quam in ipsa notabant, sanctitas, prudentia, ac sapientia causabantur. *Amor filiarum in Teresam reuerentiæ mixtus erat.*

Digitized by Google

bantur. Hinc, quamquam tam tenerè ipsam diligebant, ipsaque naturâ etiã esset hilaris, fiebat, vt, quę apud illã agerẽt, ne oculos quidẽ audeỉẽt ad eã intuendã, venerabundam maiestatẽ reueritæ, attollere; quæque ab ipsi euocabantur, ipsam quodammodo tremiscentes adirent. Ita porrò interdum obtutum componebat, vt intima cogitationum arcana intueri videretur.

Teresæ in reprehendendo grauitas.

In reprehendendo singularem quandam adhibebat grauitatem, nec non rationes aliquot producebat; quibus quæ deliquerat confundebatur, melioraque spondebat; nullam verò indignationem, vel alieniorem animum præferebat, quin potiùs gratijs actis maiori eam quàm antè dilectione prosequebatur.

Delicta non dissimulabat, nisi rarò.

Monialem aliquã cur durè tractaret.

In errata non nisi rarissimè conniuebat: peccantium verò has blandè, illas asperè tractabat, mortificatione aliqua seueriori adhibita ipsas probando, prout opus habere vnamquamque obseruabat. Vnam verò inter alias vt plurimùm seueriore austerioreque curabat medicina; petentique alteri cuidam, cur monacham hanc adeò probam, & tam bene erga ipsum animatam adeò rudi regeret lupato, ita quidem esse se credere respondit, ceterùm necessariò hoc illam flagello opus habere, ne ab aliarum agendi consuetudine per lenitatem deflecteret.

Seuera erat in eas, quæ nimis erant liberæ.

Interdum magna cum amoris significatione suam vnicuique imperfectionem singillatim aperiebat: eratque erga humiles & morigeras lenis & benigna; austera verò aduersum eam, quam nimia videret libertate efferri.

Si quam verbis castigarat, ilico vultu quodam placido & læto ad eamdem redibat; si quando præsertim aliqua humilitatis signa & erroris agnitionem in peccante cerneret.

Monialem quamque volebat nõ nisi suijpsi curam gerere.

Nolebat eas, quibus id ex officij pręscripto non incumbebat, rerum domesticarum procurationi intendere; sed potiùs virtutes notare vnamquamque alterius cupiebat, vt hoc pacto amor in illam cresceret, & ex ijsdem aliquod sibi reliquæ commodum colligerent; aliarum verò sodalium nullam obseruare errata. atque inde sese aiebat non parum in spiritu profecisse.

Non placebant illi, quæ adeò sibi de propria perfectione plaudebant, vt quidquid obseruarent in socijs, delictum & imperfectionem rigidè censendo crederent: atque illas idcircò aiebat omnium esse imperfectissimas, vt, quæ nimirum delicta in se nulla notarent, sed in alijs plurima; eisq; etiam aliarum commissa deferentibus fidem à Superioribus antè adhiberi nolebat, quàm maturiùs rem examinassent. Verumtamen necessarium esse aiebat imprimis, cum charitate & prudentia Prælatis ac Superioribus defectus etiam ipsarum Præpositarum declarari. Eas verò putidè simplices rebatur, quæ id nefas esse, atque imperfectionem redolere censerent.

Quomodo aliorum errata Superioribus declaranda.

Quas

Quas in oratione ita absorptas notabat & immersas, vt saluti valetudinique corporis officerent, eas per alias recreationis tempore distrahi abalienarique, nec non ijs officia iniungi exteriora, aut alia quapiam ratione diuerti iubebat. *Eas Teresa distrahi volebat, quę in oratione nimis esset frequenter.*

AEgrientes accommodata ad consolandum oratione animabat; si quas verò harum contristari angique cerneret, quòd sui causa sodalibus in varia occupatis, ipsæ inertes otiosæque lecto decumberent, leniter easdem corripiendo, lætari è contra aiebat oportere, quòd æqualibus merendi, operumque misericordiæ priuatos intra parietes exercendorum ansam darent, cùm in publicis nosocomijs eadem ab illis exerceri nefas esset.

Vestitus & vittarum modum formamque seriò præcipiebat seruari à suis eamdem, quam in Constitutionibus ipsa præscripserat. Si quando verò contingeret (quod Deus auertat) aliquam hac in re elegantiam affectare, aut quidpiam minus decens sectari, hoc ipsum inspectantibus omnibus, flammis dari iubebat, vt hoc cæteræ monitæ exemplo sibi cauerent, factique huius ad posteros transiret memoria. *Curiositatē in vestitu & vittis vetabat.*

In sermone suas volebat esse simplices, & candorem religiosum spirantes, ipsumque magis eremicolarum & hominum recollectorum redolere phrasin, quàm affectatas aulicorum formulas; vt mallentque hoc in genere simplices & stupidæ aliquantulum, quàm plus æquo curiosæ elegantesque videri. *Moniales in verbis esse volebat simplices.*

Nihil à Moderatricibus ad statum precum pensum, & statutas austeritates volebat addi, nisi aliqua fortè fieri aliud suaderet necessitas, idque ad diem dumtaxat. nisi enim id moderamen hic adhiberetur, moniales ipsę tacendo rem dissimularent, tepidarum incursuras sese notam ratæ, si hac de re conquererentur; quæ, si onus hoc quotidie magis & magis grauaretur, cùm salutis iacturam facerent, tum ne ijs quidem ferendis, ad quos voto se obligarunt, rigoribus pares forent. *Nihil à Præfectis ad sacri officij pensum aut austeritates addi volebat, & cur.*

Officium diuinum volebat interquiescendo paululum tractimque, voceque submissa recitari. E voce enim contenta geminum aiebat sequi incommodum; primùm, cantum altiorem inconcinnum ingratumque auribus accidere, cùm ad numerum non caderet: deinde modestiam & spiritum vitæ à se initæ hoc pacto perdi & intercidere. *Cātum cum pausa volebat & voce dimissa fieri, & cur.*

In religiosarum admissione spectari magis volebat talenta dotesque animi eius, quæ admitti postulabat quàm eam, quam è facultatibus paternis adferret: nullaque illas de causa permittebat suarum in cœtum adscribi, quibus, quas Constitutiones exigunt, dotes defuerint, præsertim si aliquod naturæ corporisque vitium habeant, multò verò minus ad votorum easdem emissionem admoueri. Tantum aiebat damnum sequi, admittendo plures quàm Constitutiones præscriberent, quantum si ipsa cœnobia de- *Cur numerum præscriptum monialium nollet excedi.*

destruerentur: imò numquam eum compleri numerum maluisset, vt, si quæ admodum idonea allegi in cœtum peteret, huic in familiam admittendæ locus esset. Laicas etiam quàm paucissimas esse volebat, & eas dumtaxat, quibus ægrè domus carere posset. Atque hac in re Præpositis occurrendum videri, quæ laicas semper habere plurimas gestiunt, quibus domos suas grauant, & sæpè quidem eiusmodi, à quibus parum illę subsidij habere queunt.

*Laicas habere volebat paucissimas.*

*Melancholicas à domibus suis excludebat.*

Quæ natura melancholicæ & tristes erãt, his aditum quàm arctissimè ad suas volebat occlusum; quòd, quæ sunt huiusmodi, alijs impedimento non raro etiam domui damno sunt. Si quæ verò tales iam de facto in religionẽ cooptatæ erant, singularem haberi earum à Præfectis rationem volebat, in illarum commoda prospici, de rebus necessarijs prouideri, & aliquam eis recreationem & animi relaxationem afferri. Non tamen inordinatis ipsarum imaginationibus has volebat condescendere, vti nec confabulationes nimias, nec libertates, nec refractariam inobedientiam concedere, sed seueritate & rigore eas compescere, illarumq; machinationibus occurrere. Semper enim regulam & Constitutiones rigidè obseruari & integrè volebat, & nulli prorsus, intuitu vllo, tam bene quàm malè valenti, hac in re conniuebat, etsi vel diutiùs in religioso cœtu vixissent, vel in sæculo auctoritate potentiave valuissent; sed magna quadam constantia & rigore statutorum iura & obseruantiam propugnabat.

*Quomodo eæ tractandæ.*

*Inferiores Superiorũ errata volebat cũ charitate reprehendere.*

In hoc inprimis incumbebat, vt Præpositæ eligerẽtur, quæ prudentia & vitæ probitate ceteris præcellerent. quamquam ne hoc quidem illi satis erat, sed inferioribus etiam inprimis præcipiebat, vt si quas in Superioribus notarent imperfectiones, cum humilitate ac congrua veneratione has ipsis aperirent. Quam si Præpositę reprehensionem ægrè ferrẽt, & propterea alieniore in has redderentur animo, Domini causa hoc vt perferrẽt monebat: fore enim, vt mercedem hoc nomine ab ipso recipiant.

*Quæ sit Præpositarum creãdarum ratio.*

Præfectas nosse imprimis volebat, potissimam ipsarum constituendarũ rationem esse, vt in Constitutionum seriò legumque obseruantiam excubarent, non verò vt ijsdem pro arbitrio quidquam demerent vel adiungerent; & hæ si secùs facerent, commonendum Superiorem videri. Credere se aiebat, non bene suo illam Præsidem officio fungi posse, quæ domi quid ageret, quod Præposito Prouinciali clam esse vellet; quin potius gratum illi esse debere suarum ipsum rerum conscium esse: hoc enim pacto muneris impositi illi onus leuius reddi ac tolerabilius.

*Documentũ in vsũ Præpositarum.*

Cum ijs potissimum agere moniales domi volebat, quæ & rerum vsum peritiamq; alijs maiorẽ, & prudentiam maturiorẽ haberent: verumtamen cauerent, ne peculiari aliquo in quampiam affectu ferri se illius causa plus quàm alterius obsequij præstando exteriùs ostenderent: hoc enim pacto cæteras turbari.

Quotidiana sese discere magis magisque aiebat experientia, vniuersam do-

domorum harum quietem in Præpoſitis ac Gubernatricibus conſiſtere. vbi enim hæ ſubditarum ſibi animos obſtrinxerint, ſponte ſua ipſę. quidquid iubêtur, exequuntur: ſed Superiores inſignes ſuijpſarum victrices eſſe oportere, ad inferiorũ imperfectiones & tentamenta perfringenda. Nihil porrò impenſiùs in Præfectis exigebat, nihil magis illis aiebat neceſſarium, quàm regendi talentum, maioremque huius haberi quàm ſanctitatis rationem volebat; plurimas namque ſanctitate præſtituras. quæ tamen ad regendum gubernandumque ineptæ futuræ ſunt. Prælati verò, ſi quam nimio aliquarum ſtudio ſiniſtroque affectu electam viderit, & regendi hoc illi talentum deeſſe, partes eſſe creationem hanc irritare, aliamque illi cœnobio moderatricem aſſignare, etſi alia acceſſitam domo. Si qua verò Præpoſitarum aliarum gubernandarum dote caruerit, etſi vel religioſiſſima & virtutibus illuſtriſſima foret, quamprimum in ordinem redigatur, nec vno quidem præeſſe anno permittatur. Vno enim anno fore aiebat, vt multum domui ſubditiſque ſuis huiuſmodi noceret; &, ſi triennio ipſo ad gubernaculum ſedere quietè ſinatur, fieri forſitan poſſe, vt illius regimine tota, ſubingredientibus paulatim prauis conſuetudinibus, domus extremam in perniciem ruat. Immites & immiſericordes in hoc Prælatos eſſe, nullumque commiſerationi locum dare volebat. neque enim vbi tam frequens mortificationum eſt vſus, tanta humilitatis exercitia, graue cuipiam videbitur ab officio munereque deponi: *Si verò ideò indignari depoſitam contingat, inde*, inquit, *manifeſtò apparet, huic ipſam muneri ineptam eſſe. neque enim quæ adeò eſt imperfecta, vt regimini præfecturæq; inhiet, ijs præficiẽda animab. videtur, quæ tãta cõtentione ad perfectionẽ anhelãt.* Quę ſanè tãto digna eſt ingenio ratio, digna quæ omniũ religioſorũ mẽtibus ac memorię inſculpatur.

Familiariũ temporaliũq; adminiſtrationis rerum magnã haberi volebat rationẽ: hãc enim ad ſpiritus negotiorũ directionẽ inprimis eſſe neceſſariã. hinc in domibus, quæ cenſibus annuis dotatæ erant, maiores fieri vetabat expenſas, quàm prouentus annalis ferendo eſſet, etſi alioquin neceſſariarũ cõmoditatum penuria laborarẽt; ſumptus verò nimios, etſi ad decorũ & honeſtatẽ conſeruandã requiſitos, omninò prſcindebat. Si. n. Prępoſitæ multa in res inutiles impenderẽt, fieri poſſe, vt nihil monialibus in prandium ſuppeteret, quo ſumptib. alijs pręſtãdis argentũ ſufficeret. In domicilijs verò ſtabili cẽſu carẽtibus nullũ permittebat alienũ æs contrahi. ſi. n. tam hęc quàm illa debita contrahere inciperent, paulatim in nihilum redacta conciderẽt. Statim nãq; Superioribus inhumanũ fore videretur, quod ſuis ipſæ operibus manibuſq; cõpararunt, lucrũ ijs non concedere, & negare, vt à cõſanguineis quæq; ſuis nũmarium ſubſidiũ peteret. Hinc multis ſe partibus malle dicebat monaſteriũ id diſſolutũ, quã hũc in ſtatũ redactũ videre. Interim tamẽ neceſſaria cuilibet ſufficiẽter cõmoda pſtari volebat: ad quę nihil illis vnquã aiebat defuturũ, acri modò fiducia in Deũ Præpoſita nitatur, &

Monaſteriorũ quies in Præfectis ſita eſt.

Quid ante ſanctitatem in illis Teresa requireret.

Cur electã Præfectam aliquando deponi iuberet.

Cur exauctorari Præpoſitis graue eſſe non debeat.

Volebat rei familiaris ſumptus fieri ad normã annui prouentus, nullum vero æs contrahi alienum.

 quam

Digitized by Google

quam poterit adhibeat diligentiam. Visitatores volebat quid in quaque domo operum fieret inspicere, simul etiam lucri vniuscuiusque monialis rationem subducere, vt quæ multum erant lucratæ, ijs gratiæ agerentur, & ad sedulò pergendũ hoc pacto animarentur, illarumq; nomẽ alijs in cœnobijs, in quibus adeò nauæ impigræque operatrices non erant, deprædicari.

Cur in nouis monasterijs lectissimas moniales initia ponere cuperet.

Si quas nouas constitueret sedes, quæ illarum ponerent monachæ fundamenta, esse volebat quàm lectissimas; hinc eas, si aliquid videret peccantes, acriter corripiebat. monebat verò, viderent, ad quantã ipsæ perfectionem obligarentur: cùm non propriorum solùm commissorum ipsis apud Deum ratio, sed & eorum, in quæ aliæ pòst successuræ prauo illarum exemplo impingerent, reddenda videatur.

Rebus verò iam constitutis, de illo quem diximus rigore multum remisit, vti eius è verbis Mariæ de S. Baptista perscriptis colligere est: *Sciat velim non eam me modò in gubernando esse, quæ solebam olim: iam ex amore omnia fiunt, nescio an id eius sit causa, quòd nulla mihi rigoris exercendi detur modò occasio, vel quòd intellexerim hoc pacto tranquilliùs quid peragi.*

Omnibus viribus contendebat, vt omnem erga parentes, & consanguineos, & creaturas reliquas affectum filiæ suæ exuerent; dicebatq; suum erga dilectam aliquam amorem intepescere, si hanc rei cuipiam sæculari animo affectuque videret affixam.

Nouitias volebat blandè regi.

Nouitias rigidè regendas negabat, sed tali dumtaxat ductore opus habere, qui blandè & suauiter ad Constitutionum obseruantiam eas pelliceret.

Ingenio præstantes diligebat; & tales in suum allegebat Ordinem.

Ingenio bono donatos vnicè diligebat; ac præterquam vocationem Dei, nihil in allegendis monialibus etiam Laicis spectabat magis, quàm vt ingenio valerent. Qui eius perspectam habebant vitæ sanctimoniam, quamque orationis esset amica, vnicè commendare pietatem solebant earum, quas ab ipsa in familiam vellent cooptari, & quòd miro orandi studio affectuque hæ tenerentur: hoc enim credebant pacto illã suæ volũtati postulatisque morẽ, hasce admittendo, gesturã: verùm has illa tã parui pendebat dotes, vt in ingenio ipsarum iudicioq; explorando omnis illius versaretur quæstio & cura. Et horum de numero etiam ipse fui, cuius admiratus ab ipsa rei cùm causam postularem, confestim audiui; *Hoc illi loco, Pater, pietatem Dominus elargietur; hic etiam orationem edocebitur: sed quæ aliqua pietatis studia in mundo exercuerunt, interdum etiam necesse est, antè dedoceri, vt quæ ibi didicerunt, hic obliuiscantur. at si ingenio non præstent, ipsum illis hic dari non poterit. Adhæc si monialis aliqua pia & Dei ancilla ingenium non habeat, sibi soli tantùm bona est: at si id felix à natura nacta sit, & alijs gubernandis idonea est, & omnibus quæ domi obeunda sunt ministerijs.* Quin & aliam rei huius rationem dabat: quòd, quæ tenui donata ingenio est, eas, quibus obnoxia est, imperfectiones non consideret, imò nec easdem

possit

Digitized by Google

poſſit agnoſcere de ijſdem etiam admonita: quin potiùs numquam non ſibi videtur bene rem agere, & nullius demum ſuaſu conſilioque ab ea poteſt opinione dimoueri, vel vt ſuum ſubijciat iudicium, induci. Atque excellenti hac ratione, ea præſertim monaſteria, in quibus paucula agunt monachæ, ſe tam in ijs, quæ ad corpus, quàm ad ſpiritum ſpectant, conſeruare hactenus & tueri potuerunt.

Præcipuè hoc vnum ſtudebat, vt perpetua moniales animi pace & tranquillitate potirentur. atque hanc ob cauſam, tum etiam ne cui offendiculo forent, lites omnes, quoad eius fieri poterat, ſuadebat euitari, & nonniſi extremis iam tentatis, cùm aliter res tranſigi non poſſet, eaſdem moueri: alia enim via ſibi redonandum à pauperum protectore Deo, quod iudicio proſequi negligerent. Nolebat adhæc antè litem cuiquam intentari, vel cœptam vrgeri, quàm Præpoſitus rei eſſet factus certior, & ad hoc facultatem ipſe ſingillatim conceſſiſſet. Eiuſdem quietis & tranquillitatis comparandæ cauſà nolebat monacham quampiam ab vna ſede in aliam tranſmigrandi copiam ſibi fieri petere, imò ne quidem noſſe hanc aliquando licere concedi, quòd diceret, intelligere neminem poſſe, niſi qui re ipſa eſſet expertus, quanta hac in re laterent incommoda, quamque patens cacodæmoni ad tentationes inijciẽdas hoc pacto ianua laxetur. Hinc cupiebat, vt, ſi quæ harum ad aliam deſtinanda eſſet ſedem, id per ſpeciem alterius cauſæ fieret; migrans verò non ideò fieri ſciret, quòd hoc ipſa poſtulaſſet. Atque hanc ipſam nullo aiebat in loco pacem quam quæreret reperturam, quin potiùs alijs damnum parituram, & quæ hanc migrationem petit, nullo prorſus apud alias in loco ac pretio eſſe vult. Et, ſi fortè neceſſe eſſet alia quapiam de cauſa illam inde euocare, cauendum eſſe, ne ob eam id fieri ipſa cauſam ſibi perſuadeat, ob quam tranſitum hunc fieri petit. hocque ita ſeruari exactè volebat. Nullis porrò hocce ſedis mutandæ deſiderium aiebat innaſci, quàm ijs, quæ tetricæ & triſtes, vel eius indolis eſſent & complexionis, vt ad aliquid, vnde magnum ſequi bonum queat, minimè idoneæ ſint.

*Lites Tereſia prohibet.*

*Cur filias migrationẽ petere nollet.*

*Quod damnum pariat Religioſa ſedem mutandi facultatem petens.*

Ad ſpiritus pacem & ſerenitatem, atque vt id, quod per ipſam Dominus erat auſpicatus, duraret, ac ſenſim maius ſumeret incrementum, aliam rationem ſuggeſſit vtilem inprimis & ſalutarem, dum monialibus ſuis commendat, & non rarò etiam ſuis in libris imperat, ſerioque inculcat, vt ſicut ipſa doctrinæ amore tenebatur, ita illæ ſemper de animi negotijs cum verſatiſſimis Theologiæ magiſtris communicarent, quorum conſilio nutuque regerentur: quòd hoc pacto futurum eſſet, ſemper vt tutò procederent, neve vſquam impingerent; quos ſi, præter doctrinæ, ſimul etiam pietatis ſtudijs addictos nanciſcerentur, eo directionem ſolidiorem melioremque fore: ſi verò haberi non poſſent, quibus vtraque dos ſimul obtigiſſet, eligendos tum præ pijs eos, qui doctri-

*Filias ſuas conſulere viros doctos vult.*



Digitized by Google

na scientiaque excellerent: dicebat enim numquam sibi ab aliquo viro litterato impositum esse; & hanc opem omnibus quidem necessariam videri, maximè tamen moderatricibus & Præfectis. Cauere sibi suas volebat ab his, qui essent imperitiores: se namque experientia nosse, ecquod sibi à nonnullis indoctioribus, qui cùm rerum essent ignari, non minùs tamen confidenter responsa consultaq; animorum depromerēt, quàm si rē quâq; percalluissent, detrimentum accidisset. Vt verò tanti momenti negotium, adeoq; orationis studiosis, interioriq; sui ipsarū animaduersioni sedulò vacātibus necessariū perpetuò floreret, statuit ac facultatem dedit huiusmodi de rebus cum quibuslibet Religiosis sacerdotibusq; communicādi, ipsæ verò Præpositæ hac in re semper se faciles voluit præberent. Omne siquidē animę bonū in eo aiebat consistere, vt cū Dei famulis interdū de rebus suis conferat & consulat. Quò etiam plura hæc maioraque à Deo dona gratiasque reciperet, eò ipsam de ijsdem cum illis communicare crebriùs & diligentiùs debere, à quibus, cùm foret opus, dirigi, gubernari, & à solitis diaboli imposturis liberari vindicarique posset. Atque vt ipsa alijs consuluit, ita etiam re ipsa præstitit, vt paulò pòst ad libri huius calcem manifestum fiet. Ita porrò confessori, modò is vir doctus esset, credi à suis volebat, vt libro fundationum in hæc scripserit verba: *Super hoc necesse est, vt doctum quempiā ac prudentē Confessarium consulat, nec aliud opere exequatur, quàm quod ille antè verbis suaserit. Ad Præpositam referre hoc ipsa poterit, sibi vt eū assignet Confessarium, qui hisce sit dotibus instructus. Hoc porrò certum fixumq; sit, eam, quæ ijs, quæ confessarius suaserit, non auscultarit, nec se per eum dirigi conduciq; sinat, à malo illudi spiritu, vel graui melancholia opprimi. Etsi enim Confessarius decipiatur, tamen ipsa nequaquam decipietur, meliusq; dirigetur, si illius præscripta monitaq; non transgrediatur; tametsi vel Angelus Dei fuerit cum ipsa locutus. nam lumē illi Dominus communicabit, vel ostendet viam, qua ad exitum res deducenda sit. Nullum verò inde sequetur dispendium; at secùs facere, multis patere potest periculis, & non pauca damna afferre.*

Quod ab indoctis sequatur incommodi.

*Vita cap. 23.*

Animæ bonum in cōmunicatione cum Dei seruis consistit.

*Cap. 8.*

Quod sequatur ex eo malū, quòd quis confessario non acquiescat.

Suadebat adhæc verbis quàm efficacissimis, vt quàm apertissimè sensa mentis illis aperirentur. Cuius rei occasione hunc in modum quodam consulit loco: *Maximè autem necessarium est, carissimæ, sincerè vos & candidè cum confessarijs vestris procedere, veritatemq; illis aperire, non modò in delictis vestris ipsis aperiendis (est hoc siquidem clarissimum) verùm etiam in orandi ratione vestra declaranda. hoc enim nisi faciatis, affirmare non ausim vos rectè incedere, nec à Deo vos edoceri. is namque amat, vt ea claritate & veritate intima animæ illi pandantur, qui illius vices in terra supplet, quæ ipsimet, si inter mortales ageret, aperirentur; simulque vult etiam minimas vos cogitationes, nedum opera vestra illi manifestare.*

*Cap. 9 nouæ mansionis.*

Nonnulla prudētiā diuinā magis quàm humanā exequebatur; vt qui ipsius acta videbat, nullam eorumdem probandorum inuenire rationē posset;

ſet; ſed ex illorum deinde apparebat ſucceſſu, quàm oportunè ea congruéque eſſent peracta. Nouitiæ cuidam iam reliquarum monialium ſuffragijs ad votorum emiſſionem admiſſæ ait, *Hoc mane profeßionem emittes.* Cui monacha, In aliud hanc, inquit, differam tempus, ſi Reu. Veſtræ videatur. His auditis excipit Mater, *Tibi dico, numquam te in Ordine vota nuncupaturam.* Quod tum quidem verbis dixit, pòſt etiam facto oſtendit; cùm nullis aliarum induci potuit precibus, vt hanc vota ſineret emittere. Vnde eã paternas ad ædes redire oportuit, in quibus cùm ageret, eam non ita mox hectica occupauit tabes, è qua modico pòſt tempore exſpirauit. Alterius itẽ nouitię poſt experiméta debita profitendi tẽpus propè erat: hãc tamen, impensè licèt inſiſterent precãdo ſanctimoniales, & nullus in eadẽ notatus fuiſſet vnquã defectus, ad profitendum pergere vlteriùs vetuit. cuius rei aliã dare tum quidem rationem noluit, quàm (vt quidem ipſemet ex eadem coràm audiui) ob defectum aliquem corporalem hanc dimitti; qui nihilominus adeò erat nullus, vt nulli domeſticarum propter hunc à votorum emiſſione arcenda videretur. Cenſebant autem omnes, diuinitus illi aliquatenus eſſe manifeſtatum, vtramque illam ad hoc inſtitutum à Deo electam non videri. Nam de poſtrema id quidem poſtea euidenter ex ijs patuit, quæ contigerunt: tum quia non defuere etiam, quibus reuelare Deus eſt dignatus, quidquid ab ancilla ſua quoad hoc actum eſſet, optimè eſſe actum. Idem ſeueritatis genus erga patruelem ſuam exercuit: cùm nec caro, nec ſanguis, nec monacharum, illuſtria quædam de neophyta hac ſpondentium (erat hæc namque reuera præclaris à natura dotibus inſtructa) preces impedire ipſam potuerint, quo minus anno euoluto veſte ſacra exutam paternas ad ædes remitteret.

Illius in aliquibus ad profeſſionẽ non admittẽdis rigor.

Alterius cuiuſdam inſtituti nouitiam, ad maiorem vitæ perfectionem adſpirantem, ſibi ab alijs commendatam, admittere noluit, quòd quæ aliud inijſſent ſemel religioſæ vitæ genus, nullas ad ſuum, vti iam aliàs pluribus declaratum eſt, transſcriberet. Cumque iam nouitiæ huius fratrem quemdam è Societate noſtra vale dicto ab ſe dimiſiſſet, & hac ſe ratione, quam attulimus, ſimul etiam alijs tueretur, quo minus poſtulatis eius acquieſceret, in ſuum ſe cubiculum contulit aliquid ſcriptura: ſed ilico ad orbem verſatilem redijt viſura, num Socius ille noſter abiſſet. quem abijſſe vbi comperit, eueſtigio ad ſe redire iuſſo, ſuam vt ſororem adduceret, dixit, mente mutata ſuis ſe illam annumerare velle. Adductam ergo admiſit; hæcque etiamnum hodie in Salmanticenſi domo læta agit, ſociarumq; cum exemplo.

Alia id genus plura dicere poſſem, è quibus manifeſtum ſit, non humanis illam rationibus, ſed alijs longè ſublimioribus certioribuſq; niti ac duci conſueuiſſe. Vnum ſolummodo hic enarrabo, quod ipſum ad ea, quæ probare intendo, efficaciſſimum & inſtar omnium futurum ſit. Quodã in

cœno-

Digitized by Google

Quomodo tentationes quarumdã ad Deum anhelantiũ Teresa cuicerit.

cœnobio agebant monialis quædam, & alia laica, orationi ambæ addictissimæ, quam & mortificatione & humilitate pari suffulciebant, ambæ etiam singularibus à Deo fauoribus ornatæ. His contingebant interdum vehementes quidam vsque eò impetus, quibus cum Deo versari desiderabant, vt hos ipsæ reprimere non possent; sed sola Dominici corporis sumptione nonnihil ijdem retundi posse videbantur & imminui. Hinc efflictim à Confessario quæque suo contendere cœperunt, sæpè vt sibi diuina frequentare mysteria liceret. Annuit quidem ille postulatis, sed exinde ita accreuit ardor & impetus, vt, nisi quotidiana ipsis permitteretur communio, languore emorituræ viderentur. Visum proinde Confessoribus, tametsi magnam alteruter rerum spiritus experientiam haberet, tanta necessitate laborantibus nefas fore quotidianam sacrorum participationem denegare. Sed eò demum res processit, itaque angor & desiderium inualescebat, vt summo eas manè, vt viuere per diem quietè liceret, sacrosanctam adire mensam oporteret. Præposita per litteras Teresam de omnibus reddidit certiorem: sed litteris nihil respondit, quoad eum aditura locum coram cuncta edisceret ac perspiceret (tametsi iam inde ab acceptis litteris haud obscurè intellexit, quid rerum lateret) simul etiam vt suas confessori rationes proponeret, cur illius ipsa hac in re sententiæ non acquiesceret. Vt ergo hunc in locum appulit, multis allatis vtrique monachæ ostendit rationibus, nonnisi meram imaginationem esse, quòd se, nisi quotidie diuinas epulas obirent, intermorituras putent: aliquot tamen harum ipsis minimè satisfecere, vti nec alterutro è cõfessarijs, ei scilicet, qui & minus habebat doctrinæ, & rerum spiritualium experientiam minorem. etenim alter confestim cessit, ac veritati se subiecit. Inde statim liquidò Teresa perspexit alio has ægras esse medicamenti genere curandas, illisque magna quadam cum constantia generoseque similia se habere ait desideria, non idcirco tamen sacram mensam se adire. *Mihi credite,* inquit, *non sæpius communicabitis quàm alia, atque ita tres simul moriemur: crediderim equidem longè id expedientius fore, quàm nouam hanc in domos has consuetudinem inuehere, in quibus non desunt aliæ, quæ non minus vobis Deum diligunt, quæq; idem pietatis genus exercere cupient.* Hoc illæ die sacra mensa abstinendo ingentem passæ sunt dolorem; vt verè exspiraturæ viderentur. Teresa, quæ etiam eo die Sacramenti sumptione abstinuerat, magnam ostendit seueritatem & rigorem, eò quòd, quanto minus se obedientiæ subijciebant (dum sibi persuadent se non posse) clarius tanto intelligebat, meram esse tentationem. Ceterum insequenti die, & rursus sequenti minorem expertæ molestiam sunt, quoad tandem ita ipse angor est imminutus, vt licèt iam Teresam, à Superioribus iussam, sacram communionem adire ipsæ viderent, in bonam id acciperent partem, & tam hæ, quàm reliquæ etiam intellexerint, maligni spiritus tentationem fuisse. Factum id in cœnobio haud procul Salmantica; & quam-

quamuis ipse, quænam illæ fuerint monachæ, norim, earum tamen hic nomina prodere minimè placuit. Harum vna iam Dei visione fruitur, altera adhuc superstes est.

## CAPVT XXV.

### DE DISCRETIONIS SPIRITVVM DONO.

QVod modò de spirituum discretione, quam huic ancillæ suæ communicare Deus dignatus est, qua nimirum dinosse poterat in ijs, quos videret, an spiritus, quē haberent, bonus esset vel malus, consentaneus vero vel dissentaneus; dicturus sum, aliquo ad eā, quā iam declaraui prudētiam, quæ lumine quodā cælesti & cognitione supernaturali potius, quàm humanis rationibus cōducebatur, modo pertinet, etsi ad propheti ę etiā donū quàm proximè interdū videatur accedere. Hoc illa in dono eximia & excellēs fuit, perspiciebatq; accuratè, quemnā haberent spiritū, qui cū ipsa agebant, & quousq; pertingerēt; itaq; fiebat, vt, qui iā se in via perfectionis permagnum fecisse profectum putabant, ab errore mentis liberaret. Monfiali cuidam aperuit, egregiæ ipsam perfectionis viam insistere, sed permultum adhuc illi restare itineris conficiendum, antequam ad finem pertingeret. Alia quædam de re quapiam cum B. Matre dum ageret, & humilitatem verbis exteriùs proderet, quam in animo non habebat; id hæc statim agnouit, & renidenti blandoque illi ore, *Interius hoc*, inquit, *non sentis, quod lingua loqueris*. Internam etiam alterius cuiuspiam tentationem agnouit, quam per litteras securam esse iubet, quòd rectum per iter incederet. Rusticus quidam, quem nemo non vt sanctum suspiciebat virum, nec plebeij modò, sed etiam litterati, suum illi spiritum cùm aperuisset, à Deo sese compellari dictitans, multaque de alijs rebus spiritualibus apud illam disseruisset; ilico bono eum spiritu non duci & ipsa cognouit, & suo aperuit confessario. hoc ipsa tamen palàm enuntiare noluit, ne nominis is comparati ac famæ iacturam pateretur; sed rem silentio premēs, hoc ipsummet errore educere contendit, ad sanctos eū mittendo viros, qui in laboriosis eum operibus & obedientia exercerent. verùm cùm in his ipse deficeret, facilè non ita multò pòst patuit, meras esse inanias ac stoliditatē.

*Teresa discretionem habuit spirituum.*

Suo etiam è cœtu (vt antecedenti obseruatum est capite) quasdam proscripsit, quas omni exteriùs carere defectu dixisses; quòd eas ipsa suo videret instituto parum idoneas: alias è contra, vt in illud nomina darent, verbis animabat, omnemque illis metum adimebat, quò firmiter hoc secum statuerent, seque ipsæ vrgerent.

Alterius cuiusdam Ordinis monacha, feruens Dei ancilla, crebrioribus æquo flagellationibus ac ieiunijs in maximum languorē incidit: quæ

*Fundat. ca. 6.*

quoties diuina adiret mysteria, vel noua cuiusdam deuotionis sese offerret occasio, protinus in terram prolabebatur; quo in statu cùm octo horas & ampliùs perseueraret, tum ipsa sibi, tum alijs monialibus mentis pati excessum videbatur. Iam ciuitatem raptuum horum fama peruaserat, quòd frequentes essent. Agnouit Teresa, quidnam rei sub his lateret, doluitque talia spargi: videbat enim quonam omnia hæc reciderent. Religiosæ porrò huius Confessarius B. Matrem cùm adijsset, ea raptus id esse modũ negauit, ac nõnisi temporis iacturã videri, atque è debilitate ait prouenire corporali: quapropter fore cõsultũ ad tẽpus ei verberationes ac ieiunia interdicere. à quibus cùm abstineret, & vires corporis recuperauit, & nullum ei raptuum mansit vestigium.

*Fundation. cap. 8.*

Alius accessit ad ipsam sacerdos admirabundus, eius se confessionem dictitans excipere personæ, quam ex interuallo interuiseret Dei parens Maria, & cuius in lecto considens plus horæ spatio suauissima cum eadem misceret colloquia, futuros etiam euentus, aliaque plura aperiret. quorũ nonnulla cùm ita, vt prædicerentur, contingerent, fiebat, vt quidquid diceret, vt verum haberetur. Agnouit ilico Teresa fucum, quem tamen certis quibusdam de causis tum quidem illi aperire noluit; dumtaxat, vt paululum exspectaret suadens, visurus num verè vaticinia illa contingerent; simul etiam alios quosdam ex ea sciscitaretur effectus, nec non in vitæ quam ducebat rationem inquireret. Tandem igitur patuit meras omnia esse nugas & stoliditatem. Plura alia eiusdem generis ei contigere, quin etiam compluribus ipsa, quibus fucum cacodæmon aut inanis imaginatio faciebat, suâ remedium prudentiâ attulit.

## CAPVT XXVI.

### *NONNVLLAE REFERVNTVR RELATIONES, quas ad Confessariorum suorum quempiam Teresa de Iesu perscripsit.*

NOn abs re mihi futurum videtur ad libri huius calcem scriptum quoddam attexere, quod suorum Confessorum cuipiam Teresa transmisit: quòd in eo sincerè ipsa, apertè simpliciterque loquatur, vtpote illi, quẽ vt Dei habebat vicarium, & quid de sese sentiret, in eo manifestè declaret: hinc ijs, quæ reliquo hoc libro dicta sunt, confirmandis magisq; declarãdis vtile inprimis esse poterit. Etsi verò non alia ex huius productione sequeretur vtilitas, quàm quòd hoc pacto sanctæ huius verba ad memoriã posterorũ integra transmitterẽtur, ne perirẽt, è re foret hoc illa loco afferre: quorum etiam adscriptione non mediocriter me legentibus existimo gratificaturum. In hæc igitur verba auspicatur.

1. Quem

1. *Quem in orando modum nunc seruo, is est. Cùm orationi insisto, rarò per intellectū discurrere possim, quòd anima protinus sese colligere incipiat, & quiete vel raptu gaudere, & ita quidē, vt vti sensibus meis in vlla re neutiquā possim: vt frustra iā eos habere videar, nisi fortè ad audiēdū, atq; id tū quidē nō ad aliquid percipiēdū.* Oratio.

2. *Sæpè me contingit, etiā multā, de rebus diuinis cogitare, sed etiā tum, cùm de alijs rebus loquor, cumq; mihi videar, quocumq; demū modo connitar, vt orationi me dedam, ad eamdem me non posse applicare, ob tædiosam illam ariditatem, quam sentio (quò etiam ipsi corporis dolores non parum conferunt) tam mihi repentè illā recollectionē & mētis sublationē ingruere, vt impedire ea nequeā; hæc quoq; in momēto me deserere, eos in me effectus & fructus relinquentia, quos afferre secū solēt, & quidē nulla habita præuia visione, nec alia re quapiā intellecta, & vt ne quidē norim, vbinam sim; nisi quòd, cùm perire videatur anima, tam magnum è contra ipsam fructum videam colligere, vt vel anno integro eum colligere non posse videar, etsi vel velim: tantum scilicet inde mihi lucrum accedit.* Raptus & eleuatio spiritus subita.

*Aliàs mihi impetus adeò ingentes adueniunt, vnà cū omniū rerū propter Deū abnegatione, vt eos propellere nequeam, vitaque mea iam iam finienda videatur: adeò vt tunc exclamare, & Deum inuocare compellar, & inauditus quidam me occupet furor. Interdum ne consistere quidē aut considere loco valeo: ita scilicet angustiæ & impetus me occupant. hæc porrò mihi pœna ingruit, vt tamen eam non procurem; & tam suauis quidem est, vt ab eadem ne liberari quidē anima vellet, quādiu viuit. Quas verò tūc sentio angustias, eæ sūt, vt ad mortē inferendā satis esse queāt, & ita viuere videar, vt ijsdē obsistere nō valeā: cùm vnica Dei videndi ratio ac remediū sit mors, & hāc ipsa mihi nequeo accelerare: hinc anima putat omnes omnino homines maxima consolatione perfundi, se verò solam mœrore prosterni; nec nō omnes remedium suis in malis, se sola excepta, inuenire. Hoc porrò adeò ipsam diuexat, vt, nisi raptu aliquo Dominus occurreret per quem omnia placantur & sedantur, animaque in magna quadam manet quiete, atque etiam delinita & contenta, interdum videndo aliquid eorum, quæ desiderat, non rarò etiam aliud quid audiens, nihil tamen simile, hac sospes egredi pœna omnino non posset.* Amor Dei. Impetus amoris.

3. *Quandoque feruentia mihi Deo famulādi incidunt desideria, & quidē hinc tā vehementi impetu, vt verbis ea exponere nō valeā; illinc verò nō minori cū dolore, vbi video, quàm parum per me ad alios dimanare fructus queat. Tum quidem verisimile mihi fit, nullum dari laborem, nec quidquam graue posse, non mortem, non martyrium, quod non gratanter facileque perpetiar. Atque hæc etiam, nulla præuia consideratione, sed in momento mihi incidunt, quo tota immutor; vt nesciam, vnde mihi tantum roboris animique accedat. Tum inclamare velle mihi videor, & omnibus declarare, quanti referat in rebus eos friuolis voluptatem non locare; quamque ingens sit bonum Deus nobis concessurus, si ad ipsum nos disposuerimus. Tam vehementia, inquam, hæc sunt desideria, vt me ipsa destruam & annihilē, & velle videar, quod commodè exequi nequeo. Videtur porrò corpus & sexus hic vinctam tenere me, vt ad nihil prorsus in Dei obsequio vtilis sim:* Magna Dei desideria.

*ſi enim talia me impedimenta non retinerent, res admodum eximias præſtarem, quoad quidem vires ſinunt. hinc cùm impediri me videam, vt Deo in nulla vtilis eſſe poſſim re, adeò hanc pœnam ſentio, vt exprimere non poſſim. Hæc in dulcedine, recollectione, & conſolatione diuina terminatur.*

Pœnitentia. 4. *Aliquando, cùm mihi illa ei ſeruiendi incidunt deſideria, illis morem geſtura, ſeueritatem in corpus exercere volo, ſed non queo. Hæc namque mihi ſolatio foret: & ſanè quoties eam vſurpo, me recreat & ſubleuat; quamuis quod ago, nihil propemodum ſit, ob corporis mei imbecillitatem: at ſi illa me deſereret, his accedentibus deſiderijs, modum veriſimile ſit me exceſſuram eſſe.*

Denudatio à rebus mũdanis. 5. *Interdum graue mihi eſt & crux cum aliquibus hominibus tractare; itaq; hæc me hominum conuerſatio lancinat, vt lacrymarum copiam oculis eliciat; quòd mihi in ſolitudine agere maxima ſit voluptas. Et licèt aliquando nec legam, nec orem, ipſa tamen ſolatio mihi ſolitudo eſt: conuerſatio verò cum hominibus, præſertim parentibus & conſanguineis, mihi videtur grauis & intolerabilis, vt velut mãcipium catenatum tum me eſſe credam: niſi fortè cum illis colloquar, quorum eſt de oratione & rebus ad animam ſpectantibus ſermo: nam tale me colloquium conſolatur & recreat. Tametſi etiam hi interdum mihi tædio ſint: imò volupe mihi foret eos non videre, ſed in illa me conferre loca, in quibus neminem videns ſola eſſe poſſem. Etſi hoc rariſſimè contingat, & ipſi imprimis me conſolentur, quibuſcum de rebus animæ mea communico. Sæpè mihi graue & acerbum eſt, quòd cibum me ſumere, & ſomnum inire neceſſe ſit; cùm verò minus ijs me videam neceſſitatibus carere poſſe, quàm alius quislibet, ad Dei honorem ijs obſecundo, eiq; eaſdem offero.*

6. *Omne mihi tempus videtur breue, & numquam puto id ad legendum orandumq; ſufficiens mihi ſuppetere; quòd ſolitudo mihi nũquam tædio eſſet. Semper mihi tempus longius dari deſidero, quod lectioni impendam; erga eam enim ſemper mirè affecta fui. Lego admodum pauca: vbi enim librum inſpexi, ſtatim mentem recolligo, quando quod lego, pallato ſapit, itaq; lectio paulatim in orationem tranſit, ſed id rariſſimè ſit, quia multiplicibus adobruor negotijs, quæ licèt pia & laudabilia ſint, non ita tamen delectant, vti prius illud delectaret. atque ita ſit, vt ſemper temporis me conquerar inopia laborare. hocq; in cauſa eſt, cur nihil me (vt quidem credo) recreet, quòd videam ea, quæ volo & deſidero, minimè fieri.*

7. *Omnia illa deſideria, & potiſſimum virtutum, ab eo mihi tempore Dominus dedit, quo orationem quietam & raptus illos mihi communicauit: itaq; me in melius profeciſſe comperio, vt antea mera eſſe viderer perditio.*

8. *Poſt raptus illos & viſiones illa mihi euenerunt commoda & vtilitates, quas hic ſubnectam; vt fatear neceſſe ſit, ſi quid habeo boni, ab hoc in me fonte dimanaſſe.*

Puritas animæ. 9. *Inde mihi acceſſit imprimis generoſum firmumq; Deum non offendendi, ne venialiter quidem deſiderium; nam mille potius oppeterem mortes, quàm venialem aliquam culpam ſcienter deliberateq; committerem.*

Perfectio. 10. *Deinde propoſitum nullius rei, quam ad maiorem perfectionem, Deiq;*

maius

*maius spectare obsequium nossem, omittendo, vbi mihi significabat eam, qui mei habebat rationem meq́ue regebat, quæcumque demum ea esset: quam etiã ob nullũ mũdi thesaurũ intermisissem. Si verò hic secùs fecissem, non videbar ad Deum, quidquam ab eo petitura, vel orationem instituturа redire ausura fuisse, tametsi in his omnibus multos ipsa committam defectus & imperfectiones.*

11. *Accessit & prompta erga confessarium obedientia. quamquam imperfectè: ceterùm cùm quid illum aut velle noui, aut mihi de facto etiam is imperat, prout quidem mihi persuadeo, ipsum implere minimè negligerem, nam si id omitterem, grauißimè me crederem deceptam.* Obedientia.

12. *Ardens etiam paupertatis desiderium, quamuis & hoc imperfectum. Sed ita quidem censeo, me, quamuis amplißimos posiderem thesauros, nullum mihi priuatim censum procuraturam esse, nullam in vsum meum pecuniam conuersurã (nec de ea etiam magnopere laboro,) sed vellem duntaxat, vt de necessarijs mihi subsidijs prospectum esset. Verumtamen sentio plurimum mihi quoad hanc virtutem deesse: nam, quamuis mihi argentum ipsa nolim, habere tamen vellem ad alijs impertiendum, licèt nullum mihi vel censum vel possesionem desiderem.* Paupertas.

13. *Ex omnibus propè quas habui visiones, fructus aliquis animæ meæ accessit, nisi fortè diabolus me deceperit: sed hoc confessarijs meis relinquo dispiciendum.*

14. *Quando pulchrum aliquid splendidumve, puta, aquam, campos, flores, odores, musicam harmoniam, aliaq́ue huiusmodi video, sentio, vel audio, videor mihi, quòd eadem videre vel audire nollem. tantum scilicet est inter ea, & quæ videre soleo discrimen. atque ita fit, vt erga priora illa non magnopere afficiar; inde etiam factum est, vt tam parui eadem pendam, vt nisi fortasse primus aliquis leuis motus, nullus erga eadem in me manserit affectus; & hoc mihi mera videtur vanitas ac nihil.* Rerum terrenarũ contemptus.

15. *Si cum hominibus sæcularibus loquar vel agam (cùm fieri aliter nequeat,) etsi etiam de rebus ad orandi modum spectantibus, si diuturna ea sint colloquia, etiam per modum recreationis, (nisi id planè necessarium sit) violentiam mihi me aliquam facere oportet: est enim id mihi graue.*

16. *Quidquid recreat & delectabile est, erga cuiusmodi affici solebam, nec non mundana omnia mihi crux sunt & cordolium, & oculis grauia accidunt.*

17. *Illa quæ habere me dixi Dei amandi, seruiendi, videndiq́ue desideria, à nulla consideratione secundantur, vti antè fiebat, cùm deuota mihi admodum esse videbar, cùm item lacrymas asiduè fundebam; sed ab inflammatione quadam & feruore adeo intenso & nimio, vt (iterum repeto) nisi raptu aliquo (in quo nimirum anima contenta esse & quiescere videtur) mihi Deus succurreret & occurreret, protinus ex hac vita emigratura viderer.* Amor Dei.

18. *Quos maiorem in perfectionis via fecisse progressum, & similia concepisse proposita, quosq́ue omnem à terrenis rebus affectum exuisse, & generosos* Spiritus feruor.



Digitized by Google

esse video, eos maximopere diligo; cum id genus hominibus tractare ipsa assiduò vellem, & talium sanè è consortio maximè mihi videor ipsa proficere.

Meticulosi Teresam affligebant.

19. Illi verò, quos ita meticulosos & scrupulosos video, vt ijs in rebus palpare, ac certò gressum figere audere non videantur, quæ ex rationis præscripto hic fieri directioneqúe queunt, me affligere videntur, meqúe ad Deum Sanctosqúe queribundam clamare compellunt, qui ea, quæ modò me percellunt & deterrent, dum viuerent, exequi non dubitarunt. Non quòd ipsa ad aliquid sim vtilis, sed quòd illos iuuari censeam à Deo, qui propter ipsum magna arduaqúe aggrediuntur, ac numquam illum deesse credam ei, qui spem omnem & fiduciam in ipsum conijcit. Et dari mihi optem aliquem, qui mihi in credendo hoc ita esse auxilio sit, & vt de victu ac vestitu nihil laborem, sed omnem rei huius curam Deo committerem. (His adnexa erant sequentia verba ipsa Teresæ manu exarata:) Quod de cura necessariorum Deo relinquenda dico, non ita id intelligo, vt mihi ea ipsa non procurem, sed ita vt de ipsis anxiè non laborem & sollicita sim. Et postquam hanc mihi ipse libertatem dedit, bene mihi hactenus cessit, ac mei ipsius obliuisci quantum potuero, conor. Vix effluxisse videtur annus, cùm hoc primùm à Domino accepi.

Vana gloria, humilitas.

20. Deo laus, non est, quantum quidem ipsa noui, quod vana gloria me efferat, video namque manifestè, nihil à parte me mea conferre ad ea, quæ Deus mihi concedit, quin potiùs meas mihi Deus patefacit miserias. adeò vt omni eo, quod cogitare possem, non tot agnoscere veritates possem, quot in vno noto momento.

21. Iam ab hinc diebus aliquot, cùm de hisce loquor rebus, de tertia quadam eas narrare videor: imò interdum iam antè pudebat me, de me talia sciri. at modo mihi videor non propterea esse melior, quin imò deterior, cùm tam parum è singularibus hisce fauoribus proficiam. Et planè mihi persuadeo, nullum me in mundo per omnia deteriorem dari posse, aliorumqúe virtutes maioris multò esse meriti, meqúe nonnisi fauoribus cumulari; alijs verò vno in cumulo iunctim Deum id daturum, quod mihi hic in terra concedere dignatur: ipsumqúe venerans precor, ne mihi hac in vita mercedem vllam persoluat; vnde firmiter mihi persuadeo per hoc Deum iter deducere me miseram & imbecillem voluisse.

Teresa se deteriorem credebat ob fauores acceptos.

Patiendi desiderium.

22. Cùm in oratione ago, quin etiam propè semper, modò vel aliquam antè præmittam considerationem, meas petere consolationes nequeo, imò ne quidem à Domino eas, tametsi velim, desiderare; cùm eum nonnisi in laboribus vixisse videam. quin potius eosdem mihi vt immittat supplico, antè tamen gratiam eorumdem ferendorum concedat rogo.

23. Videntur mihi omnia huiusmodi, eaqúe quæ maximæ sunt perfectionis, tũ animo meo insculpi, cùm orationi insisto: adeò vt non possim non mirari, vbi tot veritates adeoq; manifestas video, vt mũdana omnia mihi vanitas & stultitia videãtur. hinc aduertere me accuratè oportet, quo me antè modo in rebus mũdanis gerere solerẽ: mera namque stultitia videtur esse, de morte aliquorũ & laboribus mundi anxiè laborare, vel saltem diuturnum aliquem propterea dolorem concipere, vel inordinatè

natè parentes ac necessarios, &c. diligere. Dico igitur me angi & dolere, cùm qualis essem, & qualia sentire solerem, in mentem reuoco.

24. Si quid in nonnullis noto, quod apertè malum esse videtur, planè mihi persuadere non possum, in Deum illos peccasse: si verò paulò diutiùs hoc considerando voluebam, quod fit vel quàm breuissimè, vel planè non fit; numquã iudicium determinatum formabam, etsi ad oculum id manifestè viderem. quin imò putabam idem omnibus Deo famulandi inesse desiderium, quod mihi sentiebam inesse. In hoc verò singularem mihi gratiã fecit, quòd numquã me in re quapiam de proximo mala, animo postea recurrente, firmiter detineam: quæ si nihilominus menti obuersetur, semper aliam quamdam in ipso noto virtutem. Adeò vt hæc numquam me crucient, nisi ea, quæ publica sunt, vti hæreses; quæ sæpè me affligunt, & dolorem cient, & propè semper, quoties de ijsdem cogito, nullum mihi dari posse videtur malum, ob quod magis aliquem dolere par sit. Affligit me etiam, si quos videam orationis & pietatis studio deditos, ab eodem desciscere. Hoc quidem me cruciat, non tamen adeò grauiter; cùm huiusmodi inhærere cogitationi non multũ curæ sit. Indicia. Teresam hæreses affligebant.

25. Video me etiam in melius quo ad curiositates, quas sectari solebam, profecisse, etsi nondum penitus easdem exuerim. neque enim me semper in his mortificatam video, quamuis tamen aliquando.

26. Hæc quæ dixi, sunt ea, quæ vt plurimum in anima mea contingunt, (quantum ipsa quidem intelligo) vti & assidua continuaque de Deo cogitatio. Atque, licèt alia agam, & ipsa nolim, vti dico, nescio à quo expergefieri me & excitari à quoquam introrsum sentio: id tamen perpetuum non est, sed tum, cùm de aliquibus magni momenti negotijs mihi agendum est. Et hac de re, Deo laus, satis frequenter cogito: sed non semper in hac cogitatione occupor.

27. Interdum accidit, etsi non vsque adeò frequenter (cùm verò id fit, tres, quatuor, vel quinque dies durare solet) vt omnia bona, feruores, visiones mihi penitus auferri videantur, imò ipsa etiam planè illorum tolli memoria. adeò vt, licèt horum recordari velim, nesciam an aliquid in me eorum vmquam exstiterit, omniaque mihi nonnisi mera videantur somnia, vel saltem nullum horum prorsus meæ occurrat memoriæ. Tum quoque corporalia me mala opprimunt, intellectus etiam turbatur, vt nihil de Deo prorsus cogitare queam, neu in qua lege viuã, sciã. si quid lego, non intelligo, defectibusq; plena esse videor & nullum ad bonum animum vel desiderium præferens: quamque semper præferre soleo constantiam, & animi robur, eò redactum esse, vt ne minimæ quidem tentationi aduersitatique obloquentium resistere posse videar. Tum quoque ad nihil prorsus esse videor vtilis: adeò vt, si quis me alijs in rebus occupet, quàm alia qualibet de turba occupatur, doleam, & in fraudem omnes pertrahere videar, apud quos aliquo in pretio sum, meque etiam eo abdere loco vellẽ, in quo me nemo videret, nec tunc solitudinẽ virtutis exercẽdæ causa sectter, quàm vt ea pusillanimitatẽ meã prodã: denique cũ omnibus, qui mihi aduersarẽtur, ipsa tunc litigare velle videar. Hæc quidẽ mea tum lucta; in qua tamẽ hanc mihi Tentationes eiusdẽ.

Deus

*In laborib. patientia.*

*Deus præstat gratiam, vt plus solito eum tunc non offendam, & hanc mihi amaritudinem ne auferat rogem sed, si modò illi placuerit, eadem mihi perpetua sit, inq; sua me teneat manu ne eum peccando offendã, & ex toto corde me illi conformem. quin potius insigne quoddam illius esse erga me beneficium credo, quòd non perpetuò hac me in anxietate esse sinat.*

*Sanctissimi Sacramenti effectus in Teresa.*

*28. Vnum verò hoc miror, cùm huiusmodi in statu sum, vnico eorum quæ audire soleo verborum, vnica visione, paruaq; quadam mentis recollectione, et si vel ad spatium, quo Angelica Salutatio recitaretur, vel cùm ad sacram Eucharistiæ mensam me dispono, animam & corpus adeò quietum & sanum manere. & intellectum ita illustratum, tam etiam robustum & constantem, quàm antè solebat esse. Et sanè id iam longo vsu experientiaq; cognoui nam sæpenumerò, præsertim cùm diuina meo mysteria, iam ab hinc semestri eoq; ampliùs, perceptibiliter euidentem quamdam sanitatem corpori accessisse sentio. Ipsos etiam per raptus, qui aliquando trium durant spatio horarum, quandoq; die toto, magnam sanitatis experta sum emendationem. Et, quantum quidem ipsa censeo, non est imaginaria id aliqua repræsentatio; nam diligenter id notaui, & animum huc aduerti propiùs. Adeò, vt cùm hanc mentis recollectionem habeo, nullum verear morbum vel dolorem. Fatear tamen necesse est, me, cùm ita oro, vti antè solebam, hanc meliorationem valetudinis non percipere.*

*Virtutes infusæ, non acquisitæ.*

*29. Quidquid hactenus dixi, certam me reddit & credere propè cogit, omnia illa à Deo proficisci. nam cùm agnoscam qualis fuerim, vt quæ perditionis iter insisterem; & qualis paulò pòst per hæc facta sim; certum est animam meam obstupuisse miratam, dum non percipit, vndenam hæ sibi accesserint virtutes. Vt verè me non cognoscebam, videbamq; donatum quid esse & infusum, non verò labore vllo comparatum. Verissimè & manifestissimè intelligo (& scio minimè me falli) non modò id ceu medium quoddam, quo me ad suum Deus seuocaret obsequium, fuisse, verùm etiam tale, per quod me ab æterna damnatione vindicaret. quod Confessarios etiam meos, quibus generalem commissorum omnium confessionem feci, minimè latet.*

*Amor in Deum.*

*Omnium contemptus propter Deum.*

*30. Cùm etiam quempiam video, qui rerum mearum aliquid nouit, vitam illi meam vellem exponere: honorificum quippe mihi esse censeo Deum opt. max. laudari; nihil verò mihi esse eo antiquius ipse testis est (vel ipsa maximè cæcutio) nã nec honor, nec vita, nec gloria, nec vllum corporis animive bonũ dari potest, q̃ me retineat, nec vllam ipsa gloriã vel commodum meum ambio vel quæro, sed vnicam eius gloriã. Nec crediderim equidem, tot diabolum in animam meam bona collaturum fuisse, vt tantum hæc inde lucraretur, quò eam postea in exitium pertraheret, neq; enim adeò eum insanire putem. Neve ipsum etiam Deum crediderim, etsi ob peccata alioquin mea ipsa decipi meruissem, tot virorum fuisse sanctorum preces reiecturum, quæ abhinc biennio ad ipsum nomine meo fusæ sunt. Omnes enim numquam non rogo, vt maiestatem illius pro me deprecentur; vt aperire mihi Dominus dignetur, num hoc ad gloriam ipsius spectet; sin minùs, alio me conducat itinere. Neq; enim credo diuinam eius maiestatem permissuram fuisse, vt huc vsq; hæc procederent, nisi ab ipsa*

*etiam*

Digitized by Google

*etiam descenderent. Hæc, simul etiam omnium Sanctorum rationes, animum mihi suggerunt metuenti dubitantiq; num à Deo hæc proueniant, quòd adeò ipsa sim miserabilis. Verùm cùm & in oratione iã versor, ijs etiam diebus, quibus quieta sum, & cogitatio mea in Deum defixa est, etsi omnes omnino Theologi & Sancti totius mundi coniuncti omnibus me diuexarent, quæ à quoquam excogitari possent, tormentis, & hoc ipsa credere vellem; numquam mihi persuaderẽt, hæc Diabolo auctore fieri, quia animum non possum inducere. Hinc cùm, hoc vt crederem, ipsi me inducere volebant, timebam quidem, videns nimirum quales essent, qui mihi hoc dicerent, credebamq; & eos verum mihi dicere, & me, cùm essem talis, qualis eram, decipi & illudi debere: quidquid tamen antè ipsi mihi dixerant, ilico ad primum verbum, vel recollectionem, vel visionem euanescebat; & ipsa aliter facere non poteram, credebamq; nonnisi à Deo hæc esse.*

31. *Quamuis cogitare possim, Diabolum se nonnunquam his permiscere, & ita reuera, vti dixi, & vidi, hæc res se habeat; diuersos tamen hic causatur effectus. qui verò vel aliqualem rerum habet experientiam, decipi, meo quidem iudicio, non poterit.* Cùm Diabolus est, differentes inducit effectus.

32. *Non obstantibus tamen his, dico quòd, tametsi firmiter mihi persuadeam Deum esse, nihil tamen omnino exequerer, nisi id, qui mei curam gerit, ad maius Dei obsequium spectare censeat: quin etiam semper in ijs intellexi, vt obedirem, nihilq; illum celarem, atq; hoc mihi conuenire. Sæpè meæ imperfectiones & defectus in ijsdem reprehenduntur, & ita quidem acriter, vt ad intimas vsque medullas mihi castigatio penetret, nec non commonefio, quando in ijs quæ ago vel periculum subest, vel subesse potest. quod permultum mihi hactenus profuit, dum sæpe præterita mihi peccata in memoriam tunc reuocantur, ob quæ ingens animo dolor innascitur.* Quid fuit in reuelationibus Teresa intelligeret.

33. *Fui in hisce commemorandis æquo longior: verumtamen etiam certissimum est, bona quibus affluo, dum oratione egredior, adeò esse ingentia, vt etiam nimis quàm breuis fuisse hisce commemorandis videar, quamuis me plurimis alioquin imperfectionibus circumfusam comperiam, omnis fructus expertem, deniq; satis miserabilem. Fortasse fieri potest, vt bona non intelligam, quin potiùs decipiar: ipsa tamen vitæ meæ mutatio penitus euidens & patens est, itaq; vt sentiam facit. In omnibus autem quæ dixi, id dico, quod reuera mihi sensisse & experta videor. Hæ sunt perfectiones, quas in me adeò misera & imperfecta Dominum operatum esse equidem arbitror. quæ omnia arbitrio iudicioq; Dom. vestræ, cùm vniuersa animæ meæ arcana norit, dijudicanda submitto.*

34. Relatio hæc præcedens aliena quidem scripta erat manu, eam tamen, vt postea videri poterit, suo ipsa B. Mater testimonio confirmat, conformem esse & coincedere cum ijs, quæ suo ipsa in autographo scripsit. Quæ autem subnectuntur, illius scripta erant manu, in hæc verba.

# RELATIO SECVNDA.

35. *Annus, eoq; amplius effluxisse videtur, dum hæc, quæ sequuntur, scripsi. Toto illo tempore sua me Deus tenuit manu, vt non in peius ruerem, sed potiùs me multum quoad ea quæ dicam profecisse comperio. sit ille propter omnia benedictus.*

Visiones & reuelationes. 36. *Visiones & reuelationes non defecerunt, sed potiùs longè facta sunt sublimiores. Orandi quemdam me Dominus modum edocuit, quem ex quo vsurpo, maius mihi accessit lucrum, maioremq; in anima mea rerum terrenarum noto abdicationem ac repudium, maiorem etiam mentis generositatem & libertatem.* Raptus. *Raptus etiam increuerunt; nam interdum etiam cum quodam ingruunt impetu, & ita quidem palàm, vt cùm me retinere & coërcere nequeam, exteriùs etiam ab alijs notentur, imò etiam me apud alios versante & colloquente: nam dissimulare eos non possum, nisi fortasse (quòd animi sæpè soleam pati deliquium) simile quid tum mihi accidere dicendo. Et licèt in principio maximo obluctor conatu, tamen aliquando ea illorum est vehementia, vt commodè resistere non possim.*

Paupertas. 37. *In ijs, quæ ad paupertatem spectant, singularem mihi Dominus fecisse videtur gratiam, cùm ea etiam, quibus humanus carere vsus non potest, habere non nisi ex eleëmosyna fidelium accepta velim: adeò vt eo in loco maximopere commorari desiderem, vbi nonnisi mendicata & collata viuitur stipe. Cùm verò tali in domo ago, in qua certa sum, nihil mihi quoad victum & vestitum defuturum;* Fiducia. *non tali votum paupertatis, & Domini nostri Iesu Christi consilium adimplere videor perfectione, quali eo in domicilio, in quo nullis viuitur prouentibus, atque sæpè rerum necessariarum laboratur defectu. Quæ verò per veram paupertatem acquiruntur bona, maxima sunt, nec horum facere iacturam velim. Sæpè me tanta cumulatam fide reperio, vt Deum non posse deesse existimem ijs, qui toto ex corde illi seruiunt, & certa sim non esse, nec futurum tempus, quo non illius verba non adimplenda sint: ita vt aliter mihi persuadere non posim, nec timere quidquam. Quocirca crux mihi est, & pœna maxima, cùm amici mihi consulunt, vt stabiles in cœnobia mea prouentus inducam, ac proinde tum me ad Deum conuerto.*

Misericordia. 38. *Maiori in egenos moueri me commiseratione sentio, quàm antea solebam; maiori scilicet compaßione, & ardentiori illis succurrendi desiderio: & sanè, si meam facere poßim voluntatem, has ipsas, quas induta sum, illis elargirer vestes. Nullam auersionem aut nauseam concipio, etsi cum ijs familiariter agam, vel manus eorum tangam. quod ipsum modò Dei esse donum video. Nam licèt antea ex amore eius ipsis stipem conferrem, naturalem tamen eorum in corde meo commiserationem non percipiebam. In hoc sanè insigniter me profecisse comperio.*

39. Quo-

Digitized by Google

39. *Quoad oblocutiones etiam, & maleuolas aliorum de me obtrectationes, quæ satis multa sunt, meumq; honorem non mediocriter sauciant, non paruam in me emendationem experior; adeò vt non magis huiusmodi detrahentium me cædant iacula, mentiq; maiorem impressionem faciant, quàm si in plebeium aliquem ac simplicem iactarentur de turba virum. imò verò aliqua non nunquam, quin etiam vt plurimum, ratione moueri aduersarij videntur. Adeò verò parum his moueor calumnijs, vt nihil quoad hoc habeam, quod Deo Opt. Maximo vt meritorium offeram, vtpote cùm experientia norim, hac anima mea permultum tolerantiæ lucri accedere; quin potiùs beneficium aliquod mihi hoc pacto conferri censeam. Hinc nullus inde animo infixus hæret rancor, nulla inimicitia, iam inde ab illo tempore, quo primùm orationi me dare cœpi. Antea verò, cùm primùm huiusmodi obtrectationes audirem, paruam quamdam in animo sentire solebam contradictionem, non talem tamen, quæ inquietudinem vel mutationem aliquam in me causaretur. Quin potiùs, cùm aliquos mei commiseratione interdum tangi video, mecum ipsa rideo: nam omnia vitæ huius incommoda & aduersa tam pauca mihi videntur, & friuola, vt nulla eorum sentiendorum mihi esse videatur ratio; vtpote quòd me veluti quodam in somnio agere putem, & vbi hoc pertransierit, excitata nihil omnino cuncta esse comperiam.*

Patientia. Quomodo obloquia Teresa perferret.

40. *Ardentiora mihi Deus impertitur desideria, maiorem erga solitudinem affectum, nec non maiorem rerum terrenarum abdicationem, vti antè dixi, idqúe visionum adminiculo, per quas intelligere cœpi quidnam sint omnia, quamuis etiam omnes amicos, & amicas & necessarios relinquam; (quod minus est) cùm parentes & consanguinei me magis fatigent; quos tamen, modò hoc pacto vel pauxillo magis Deo seruire valeam, cum omni libertate & gaudio desero. atq; ita in omnibus pacem reperio.*

Parentes.

41. *Aliqua, circa quæ in oratione versans consulta fui, comperta sunt esse verissima. Adeò, vt quoad fauores, quos à Deo recipio, magis me profecisse comperiã, quoad obsequium tamen, quod illi à parte mea debeo, magis in peius defecisse, quòd maiore donata sim consolatione & voluptate, quàm promerebar: tametsi exiguus meus feruor, & eximius, quem inuita mihi alij deferunt, honor me sæpè satis affligant & crucient.*

Oratio. Humilitas.

— Ducta hic erat linea, qualis hæc est:

---

Mox verò prosequitur.

42. *Iam nouem propè effluxere menses aut circiter, cùm quæ hic manu mea scripta sunt, scripsi. Ex illo tempore, cùm acceptis hisce à Deo fauoribus ingrata non existerem maiorem longè mihi de nouo (vt quidem intelligo) ab eo libertatem videor accepisse. Hactenus alterius operâ indigere mihi videbar, magisq; mundanorum hominum niti præsidio. Modò verò perspicio, non esse hæc nisi sar-*

Quàm parũ mundanis nitendum.

menta quædam arida iuniperina nec tutum esse quidem vel securum, illorum auxilio inniti: mox enim vt aliquod contradictionum ac murmurationum pondus superincubuerit, ilico confringuntur. Quocirca nullum esse ad non cadendum per experientiam edocta existimo fulcimentum fortius, quàm cruci adhærescere, & in ipsum spem omnem & fiduciam conijcere, qui nostri causa in eamdem se passus est configi. Hunc quippe verum esse amicum comperio, & in hoc tam potentem me & absolutam dominam sentio, vt vniuerso resistere mundo, si mihi aduersaretur, posse videar, modò me Deus non derelinquat.

Teresa parũ de hominũ fauore solicita est.

43. Antea lætari & plaudere solebam, si quando amicos & fauentes homines experirer; verùm modò, perspicua hac veritate intellecta, parum hæc curo: quin potiùs beneuolentia hæc quadamtenus me affligit; nisi illorum fortasse, quibuscũ de animæ rebus confero, vel etiam illorum, quibus ipsa prodesse me aliquatenus posse existimo. ab illis enim me amari peruelim, vt me sufferant & tolerent ineptientem; ab his verò, vt maiori cum affectu ac sincerius mihi credant creata omnia meram esse vanitatem dicenti.

Patientiæ inimisi.

44. Maximam mihi Deus in summis laboribus, persecutionibus & oblocutionibus, quibus paucis abhinc mensibus continuò exagitata fui, constantiam dedit; & eam tantò maiorem, quò etiam vexationes acriores fuere, nulla vt ratione in patiendo defatigata defecerim. Aduersantibus verò mihi adeò non malè volui, aut sinistro in eos fui animo, vt etiam maiori nouaq; in eosdem ferri dilectione viderer; quomodo tamen id fieret, nescio: à diuina scilicet munificentia dextra id proficiscebatur.

Animi æqualitas.

45. Si quid desiderem, maximo id desiderare naturâ meâ impetu soleo: iam verò desideria mea adeò quieta & tranquilla sunt, vt etiam tum, cùm eadem adimpleta video, vix intelligam an gaudeam. nam tristitiæ & lætitiæ affectus, nisi fortè in oratione, ita in me temperatus est, vt triuialis & ignara aliqua videar, atque hoc in statu dies aliquot agam nihil turbata.

Pœnitentia.

46. Maximi autem sunt, quos aliquoties experior, & experta sum, austeritatis amplectendæ impetus & ardores: si quam verò exerceo, adeò mihi quidem videtur tenuis & exigua, ob excessiuum illud desiderium, vt interdum, ac propè semper ea mihi peculiaris esse videatur recreatio: tametsi ea, quam vsurpo, ob corporis imbecillitatem, exigua sit.

Quanta illi crux esset comedere.

47. Sæpè mihi grauissima quædam est pœna, modò verò nimis quàm maxima, quòd cibum me capere oporteat; tum verò maxima fit oportet, cùm in oratione versor: quia hæc naturæ necessitas mihi lacrymarum elicit copiam, & expostulare me querulam cogit vix tamen vt percipiam; quod tamen fecisse me, etiam cùm grauissimi in hac vita mihi subeundi fuere labores, non memini: huiusmodi enim in rebus muliebrem non præfero, sed virilem quamdam constantiam.

Generositas.

Intensius etiam quàm soleo, in meipsa sentio desiderium, Deo vt feruentes sint serui, qui maxima cum rerum omnium abdicatione illi seruiant, & terrenis nullis affectu adhæreant; cùm videam omnia nonnisi esse inanias & ludibrium; ac præsertim

tim viri docti & litterati, quòd videam magnas Ecclesiæ esse necessitates (nam ita me hæ affligunt, vt stultum esse censeam ac puerile ob aliam rem quamlibet mœrore deijci ac turbari:) propterea assiduis illos precibus Deo commendo: quòd magis Ecclesiæ norim quempiam in summo perfectionis gradu constitutum vero quodam amoris diuini feruore prodesse posse, quàm tepiditate sua plurimos.

Quantum Ecclesiæ prosint viri perfecti.

48. In rebus fidei (vt mihi quidem apparet) maiorem me præferre video constantiam; nam omnibus sola Lutheranis vim facere posse videor, suosq; ipsis errores euidenter patefacere. Et sanè tot animarum iacturam nonnisi dolenter aspicio & miseror.

Fides.

Video plurimas animas insigniter in via Domini profecisse: quæ euidenter mea vnius operâ vt conuerterentur, Deum video voluisse; manifestè etiam percipio, quotidie meam in illius amore animam magis magisq; per illius benignitatem proficere.

Amor Dei.

Videor mihi etsi quidem vellem, vana efferri gloria non posse, nec quomodo mihi persuadere ipsa possim, video, harum virtutum aliquam meam esse: quòd non multum effluxerit temporis, cùm me nullam etiam annis plurimis vidi habuisse virtutem; atq; etiam modò, à parte mea, aliud non ago quàm gratias recipere, nullum verò vicissim præsto obsequium, non secus quàm mundi propudium & inutilissimum peripsema. Et sanè ita se res habet: interdum enim mecum ipsa perpendo, quomodo omnibus in melius proficientibus ipsa ad nihil penitus sim vtilis. Et est profectò hoc non humilitas, sed purissima veritas; quodq; me adeò inutilem videam, nonnunquam timeo, ne ab hoste illudar tartareo. Adeò vt manifestè perspiciam, per reuelationes has & raptus hæc mihi lucra & incrementa spiritus accessisse: à parte enim mea nihil sum, nec aliud huc quidquam confero, quàm inutilis aliquis truncus. Hoc verò fiduciam me concipere, & securiorem esse iubet: me proinde intra diuina conijcio brachia, meisq; fido desiderijs. Scio enim certò, ea esse huiusmodi, vt pro ipso mortem oppetere, omnemq; quietem abijcere, quocumque demum meo dispendio, parata sim.

Vana gloria humilitas.

Amor patiendi pro Deo.

49. Aliquoties, sæpiùs per diem, dicti illius Paulini mihi subit memoria (etsi certa sim non ita id in me fieri) vt iam mihi non ipsa viuere, nec loqui, nec aliquam habere videar voluntatem, sed esse in me quempiam putem, à quo regar & conforter, & me quodammodo extra me raptam esse, ipsum denique viuere mihi crux videatur acerbissima. Quod verò maximum pro tali obsequio rependo bonum, id est, quòd, cùm acerbum adeò sit mihi ab ipso separatum esse, propter ipsum tamen viuere cupiam. Vitam autem hanc maximis obrui & miseri laboribus & persecutionibus velim: nam cùm ad nihil vtilis prorsus ipsa sim, ad hoc saltem vtilis esse velim, vt pro ipso patiar. Et sanè omnes, qui in mundo sunt, libenter ipsa subirem labores, vt vel aliquantulò maius mihi meritum comparem, id est, vt paulò perfectiùs & magis illius voluntatem exequar.

Amor & desiderium Dei.

Desiderium patiendi.

Nihil hactenus, dum in oratione versor, intellexi, tametsi etiam multi effluxerint anni, antequam ad eiusdem pertigerim perfectionem. Quæ verò de magnalibus

Prophetia.



Digitized by Google

*bus Dei video & intelligo, & quo ea modo ipse direxerit, tot & tanta sunt, vt vix vnquam de ijsdem cogitare incipiam, quin intellectus mihi deficiat. cùm videam ea, quæ ingenij captum & magnitudinem transcendunt: & hinc animum ipsa meum recolligo. Ita porro sedulò me custodit Deus, necubi ipsum offendam, vt aliquando etiam ipsa obstupescam, videns quæ de me ipse laboret curæ, ita vt à parte ipsa mea vix huc quidquam conferam; vtpote quæ iniquitatum & malitiarum pelagus, antè quàm hæc mihi obtingerent, fui, vt ne me ipsam compescere quidem à peccando posse viderer. Cur autem ea ab omnibus sciri velim, ratio hæc est, vt hoc pacto ipsa magna Dei agnoscatur potentia. Sit ille benedictus in sæcula. Amen.*

His præmissis sic incipit, præfixo in fronte nomine Iesu, vti id pro more habebat in suarum litterarum capite præfigere, hoc modo:

IHS.

*Relatio ista, quæ hic antè posita est, quamquam non mea scripta manu, vna eademq; est cum illa, quam Confessario ipsa meo aliàs perscripsi: & quam dein ipse sua, nihil ei vel demendo vel addendo de suo, manu descripsit. Erat hic spiritualium rerum ignarus in paucis, & Theologicis scientijs magnus; cum quo de omnibus animæ meæ rebus & ipsa contuli, & ipse deinde cum alijs viris eruditis, inter quos fuit Pater Mancius. Nihil ab his porro notatum in ijsdem est, quod sacris Litteris non maximè sit conforme & consentaneum. Hæc porro illorum sententia magnam animæ meæ securitatem adfert, etsi nihilominus agnoscam non debere me, quamdiu per hoc me Dominus iter conducet, mihi ipsi aliquo modo confidere: atque ita semper feci, etsi id admodum graue mihi sit. R.V. videat; vt hæc omnia sub confessionis sigillo clausa maneant, vti id à R.V. iam antè postulaui.*

Hactenus Matris Teresæ de Iesu verba sunt, in quibus describendis etsi aliquatenus manus defatigata sit, hic tamen eadem inseruisse summam mihi voluptatem attulit; quòd plura in ijsdem contineri credam, quàm hactenus ipse toto dixi libro: adeò vt, quamuis præter hæc liber aliud non contineret, ob hæc tamen sola & tolerari & legi mereretur. Vnum porrò in ijsdem notandum, omnia quæ hic continentur, sine controuersia tum illi contigisse, cùm adhuc in Incarnationis cœnobio ageret, antequam nimirum ad monasteriorum fundationes abiret; quin imò primam illam relationem, quæ alterius est descripta manu, sub initium conuersionis illius factam esse; tum scilicet, cùm seriò & ex animo Deo se dare cœpit, & vicissim ipsa supernaturalibus ab illo gratijs præueniri, biennio inquam pòst, vti colligere euidenter est è numero 7. 30. 32. 37. 48. ne eadem hic denuo cogar pluribus repetere. Annus eoque amplius interea effluxit, cùm secundam scripsit; aliam verò nouem pòst mensibus, vti ex eiusdem colligere principio est. Ex omnibus porrò his iun-

ctim

Digitized by Google

ctim colligere est, ad quantam tantillo ipsa tempore perfectionem peruenerit: quod sanè admiratione non caret. Quæ ergo iam inde à principio suo ad tam sublime perfectionis fastigium peruenit, ad quodnam post tot eam annos peruenisse verisimile sit, cùm tot indies gratijs nouis cumularetur, tot sibi seueritatibus & laboribus Deum quotidiè deliniret, tot ad illius gloriam inaugendam fundaret monasteria, tot illi animas indies vindicaret, tam assiduò orationis & mortificationis exercitia coleret, denique tam incomparabili bonorum postea operum thesauro collecto? Si ergo tã eximia eiusdem principia fuere, vt ad perfectissimorũ etiam complementum & finem pertingant (vt locum hic habere commune illud videatur, quod puero Quintiliano in sermonis quotidiani vsu erat prouerbium, Magnorum fluminum etiam ortus & fontes esse nauigabiles:) quanta illam modò in cælo gloria donatam sit verisimile? cùm ad illam post omnia hæc promerendam tantò maiori fuerit opus perfectione, quam tanto ipsa studio, contentione, labore tot annis sibi comparauit. Hinc si quis in filiabus illius eximias aliquas notarit virtutes resque supernaturales, norit is & intelligat, non propterea tamen posse easdem, nec debere cum matre sua comparari; quòd multum ab eo perfectionis ipsæ absint termino, ad quem illa peruenit; & tantò maiori omnibus simul præire hanc interuallo, quantò mater aliqua sapientissima & prudentissima filiolas teneras sapientiâ, intellectu, & corporis magnitudine superat. Quod omnes etiam, non inuitas & ex animo existimo confessuras, quòd eas vt humiles suspiciam & credam: si qua verò ipsum negaret, hanc id ante alias fateri oporteret, & huius minor esset habenda quàm aliarum ratio, & hæc etiam maximè à scopo hoc aberraret, quòd vel ingenio, vel humilitate adeò sit destituta. Notandum hic insuper est, quàm singulari beata ipsa Mater cautione cautum voluerit, vt hæ relationes silentio premerentur, quàm è contra has Dominus in lucem proferre studuerit, eæque, vt ad manus tandem meas post tot annorum interuallum venirent, permiserit, cùm ipsæ etiam characterum notæ & scriptura, vtpote iam dudum exarata, legentium oculos fugerent.

*Quintil. lib. 8. c. 3.*

**Teresæ filiæ non possunt cum matre comparari.**

Illius porrò magnitudo & immensitas in æternum decantetur, quòd ita honoret & extollat eos, qui omnem eius causa honorem pedibus proculcant.

## FINIS LIBRI QVARTI.

VITAE

# B. MATRIS TERESÆ

DE IESV

# *LIBER QVINTVS.*

## PROLOGVS.

*TOt támque eximia de admirandis B. Matris Teresæ virtutibus enarranda occurrebant, vt præcedentem librum diffusum longumquè esse quàm maximè oportuerit: & erat sanè necesse imaginem illam, quam suis hîc exprimere ad viuum coloribus proposui, expoliri perficíque, quò eadem demũ naturalis & viua appareret, vel potiùs quadamtenus naturã repræsentaret. nam quamuis id studiosiùs & accuratiùs, quàm alijs in libris facere contenderim, eóque fuerim prolixior; non tamen plus æquo vel nimis ijsdem inhæsi. Non idcirco tamen dicere auderem, ita eam me, vt quidem oportebat, & æquum erat, delineasse; cùm, quòd ipse eò pertingere nequaquam potuissem; tum verò, quòd secretum suum sibi humilis hæc virgo seruârit, & acceptos à Deo fauores, & labores, quos illius opitulante gratia exantlauit, quantum quidem sibi fas fuit, silentio semper sit premere conata. Eorum verò quæ tegere ac celare minimè potuit, pars non exigua obliuione ad bruta perijt; quæ verò reliqua fuêre, maxima ipse accuratione & studio collegi, ne temporis iniuria ac diuturnitate eadem postea etiam penitus exciderent. Lectores proinde obsecro, ne ex pauculis his, quæ huc afferre potui, de B. Matris Teresæ virtutibus & operibus coniecturam faciant: norint potiùs plura multò exstitisse, & alia, quæ fortè longè sint sublimiora, maiorem-*

*iorémque admirationem promereantur, adhuc dicenda restare. Reliquum mihi est igitur, vt suum imagini huic honestamentum & ornamentum circumsecus adiungam, miracula inquam & magnalia, quibus eam condecorare & illustrare dignatus est Deus: in eorum præsertim gratiam, qui persuadere sibi vix queunt, sanctimonia vitæ quempiam fuisse plus alijs conspicuum, nisi miraculis eadem editis patefiat & confirmetur. Tum verò quòd omnibus omnino miracula conducant & prosint: nam, vt magnus asserit Gregorius, quemadmodum animæ corpore inclusæ vita per corporis motum cognoscitur, sic eiusdem corpore egressæ vita miraculorum virtute demonstratur.* Lib.4.Dialog. c.6. *Quod ipsum ad oculum quamprimum declarare incipiam: cum enim liber hic postremus breuis futurus sit, minimè etiam æquum est, Prooemium æquo esse productius. Cæterum eos, qui hanc lecturi historiam sunt, quæ (demptis erroribus, qui à parte mea interuenerunt) ab omnibus omnino legi magniqúe fieri meretur mortalibus, quòd mirabilia Dei in hac opera elucescant, rogatos imprimis velim, vt tam sublimes, eximias, diuersásque virtutes admirari satis non habeant, sed easdem etiam diuina gratiæ adminiculo imitari omni contentione allaborent. Hanc enim ob causam easdem hic deduxi, & quæ quoad eas Teresa monita consultaqúe dederit, attuli. Etsi verò omnibus ea dicta sint, quòd multa in his imitanda omnes, cuiuscumque demum sint ordinis & status, reperient; Religionem tamen professis, ac præsertim in eumdem Excalceatorum ordinem cooptatis ea potissimùm conueniunt, cùm ipsorum ante oculos tam perfectum vitæ religiosæ exemplar & imaginem proponere dignatus sit Deus, ipsósque hac edocere, quo ad perfectionem modo hilariter peruenire, & paruo cum labore eiusdem reddi compotes queant; qualem denique consolationem & quàm admirabiles fructus degustent, vbi iam illam fuerint adepti. Hanc ob causam studio à communi vitas Sanctorum scribentium stylo deflexi, cùm plerique illorum potissimam historiæ suæ partem in miraculorum narratione consumant. Ipse verò, quamquam multa etiam hac in parte dicenda habeam, illius virtutibus enarrandis maximè studui; quòd non illa, sed virtutes facilè quis possit imitari. Et sanè, si virtutum Sanctorum fuerimus imitatores, eos etiam facili negotio in mirandorum patratione poterimus imitari; & hæc esto nobis defuerint, ea tamen quæ in cælis perfruuntur*

*tur gloria, nobis, si veri perfectiquè eorum simus æmulatores, haudquaquam defutura est.*

## CAPVT I.

### *POST ALIQVOD TEMPORIS INTERVALLVM B. Matris Teresæ de Iesu corpus integrum reperitur, & in domum S. Iosephi Abulam transfertur.*

IAm suprà ad libri tertij extremum narratum est, quonam sanctum B. Teresæ corpus (quo velut instrumento Spiritus Sanctus illius erat in vita tot prodigia operatus) modo in Albano Excalceatarum cœnobio, eo prorsus quo ipsamet viuens depositum loco asseruandum vaticinans prædixerat, reconditum fuerit; vt de corpore eam suo hoc intellexisse secutus declararit euentus. Nunc ad ipsum redeamus; si enim illud, dum viueret, organum quodammodo fuerit, quo magnalia illustriaque per ancillam suam patrare opera dignatus est Deus, vti toto sparsim libro commemorauimus, mortuum id non minùs huiusmodi fuisse comperiemus.

Primo igitur illo depositionis anno Moniales Matris suæ corpus frequentes pietatis ergò visitatum abibant; si quæ verò apud ipsum torpida obdormisceret, strepitu interdum aliquo audito excitabatur, vt orationi incumberet. Non raro etiam suauis quidam ab eodem emanabat odor, etsi densa saxorum esset moles & calx superiniecta. Hæc porrò ijs potissimum diebus suaueolentia sentiebatur, quibus festiua Sanctorum, quos Teresa viuens peculiari studio coluerat, agebatur memoria: tametsi postea eadem quotidiana & assidua propè fuerit. Erat hic odor, etsi suauissimus, non tamen semper idem, interdum namque liliorum, interdum iasmes, & violarum referebat fragrantiam; aliàs, cui similem diceres nidori, nescisses. Hinc ardens Religiosas incessit corporis huius inspiciendi cupido; quòd enim tam suauiter id redoleret; vt etiam ab externis forinsecus is odor perciperetur, fieri non posse videbatur, in putredinem id & tabem diffluere. Hieronymus igitur Gratianus Albam cùm venisset; quid rerum ageretur, ex ordine illi moniales referebant, rogantes ipsum vt inspici effodiq; permitteret. Id Patri consilium cùm minimè displicuisset, clanculo iniecti submoueri cœpti sunt lapides; sed tanta eorum erat copia, vt ne quatriduo quidem ipse cum socio ijsdem auferendis suffecerit. Cùm verò horum lapidum aliquot in stramen, quod in loco erat, casu decidissent, & ex hoc post dies aliquot nouitiæ cuiusdam iam in ordinem admissæ lectum Monialis suffarciret; ipsam etiam paleam redolere sensit: cuius rei illa causam indagans, & admirans, tandem à lapidibus fortuitò iniectis eamdem stramento adhæsisse fragrantiã comperit. Ad quartũ igitur ante Nonas Iulias diem, anno euntis sæculi octogesimo tertio, loculus

aper-

apertus est, iam nono post sepulturam exspirante mense; erat hic ob nimiā humiditatem, in parte superiori corruptus, & læsus, ac semiputris & musco-sus, suauissimè tamen redolens. Dum. n. lapides & saxa imponebantur, calx antè frequens illi iniecta erat, cuius humor ad corpus vsq; penetrarat. Vestes adhæc oēs putredine diffluxerant, & humidum terreum redolebant. Corpus verò sanctum terra oppletum erat ea, quæ per sarcophagum putrē penetrarat; nec non musco plenum; cæteroquin sanum adeò & integrum, ac si iam nuper terra conditum fuisset. Vt enim ipsum, dum viueret, ab omni turpitudine carnali integrū & incorruptū in perfectissima virginitate Dominus custodiuit, ita etiam mortuum ab omni corruptione & putredine seruauit; & vermes in ipsum sæuire noluit, in quod impudici lasciuique ardores ius nullum habuerant. Omnes propè illi ablatæ tum vestes (omnibus. n. induta terræ mandata erat) corpus ablutum, & à terra purgatū: qui verò inde per vniuersam domum diffusus est odor, ingens sanè fuit & admirabilis, atq; ad dies aliquot in omnib. eiusdē angulis percept⁹. Pauxillū terræ huius ab amicis ipse accepi: quæ tam nouam spirabat suauitatem, vt nemo qualis esset scire posset. Nisi quòd quidam è Patribus nostris esse aiebat similem illi, quam os quoddam ingens S. Laurentij martyris (in Abulensi id Collegio asseruatur) exhalabat. Verùm, quem corpus efflat, odor admirabilis prorsus est, vehemens, & tàm nouus, similem vt nemo vmquam naribus perceperit. Tum verò nouæ illi iniectæ vestes, & linteo inuolutū, eodem id quo antè repositum est loco, arcę inclusum, quę omnisi templum subeuntium aspectui patet, quòd locus patens sit & apertus. Verùm antequam loco reponeretur, sinistram illi manum P. Prouincialis abstulit, quam deinde ipsemet Olissiponem detulit, in Excalceatarum Cœnobio, quod haud ita pridem tum fundatum erat, asseruandam. Hoc igitur corpus sanctum loco maximo monialiū solatio mansit, à quib. ipsum est sedulò asseruatū & curatū, & ex interuallo magno pietatis sensu visitatū. Nō multò pòst, Prouinciali in Cōuentu Pastranę Excalceati Patres, anno voluētis sęculi quinto post octogesimū, in die S. Lucæ Euangelistæ sacræ, quæ in xv. Kal. Nou. incidit, congregati statuerunt, sacras hasce reliquias clanculò Alba abductas ad Abulense, vbi prima Teresa noui huius instituti fundamenta iecerat, & cuius cùm exspiraret Præpositam agebat, S. Iosephi Cœnobiū transferri satius multò videri. Huc eos potissimū impulit Palentini Antistitis Aluari Mēdosij studiū, qui se princeps monasterij eiusdē sacellū cōstructurū, inq; primario eiusdē loco illustre B. Matri, deinde aliud sibi haud procul inde paraturū sepulcrū spoponderat, quòd mirificè erga ipsam afficeretur, cùm ne à morte quidem ab ipsa separari vellet. Piæ ergo voluntati illius morem gerere Patribus placuit. Decreta ea res P. Gregorio Nazianzeno Castellæ Prouinciali Vicario: nec non in mandatis ei datum, vt brachium vnum Albę, ad monialium solatium, abscissum re-

Quomodo post nouem sepulturæ menses corpus B. Matris repertum sit.

Teresæ corpus integrū in vita, & post mortem.

Teresæ manus sinistra Olissiponem delata.

Teresæ corpus Abulam deferendum decernitur.

linqueret. Litteræ quoque additæ, quibus corporis auehendi illi potestas fiebat, eodem signatæ die, hora circiter octaua vespertina. Qua etiam res Albæ contigit stupenda, vera nihilominùs; quam qui nosse singillatim volet, Albanas sanctimoniales consulat. Hæ igitur cùm hora hac in recreationis loco agerent, de ijs ipsis inter se colloquentes rebus, quas in Congregatione agitandas putabant, tres alternatim pulsus satis sonoros haud procul à se inaudiere, eosque etiam postea ingeminatos; quibus ad orbem versatilem sacrarij ab aliquo, qui forsitan inscius inclusus esset, egredi gestiente signum dari credebant. Inde non multò pòst ostiaria, quàm potuit diligentissimè inquirens, num quis in templo hæsisset, tres similes pulsus cùm audisset, ad sorores retulit. Tum Præfecta: Ne curemus hæc, carissimæ; Diabolus enim fortè nostram interturbare quietem gestit. Inde verò alia monialis hunc in loculo, in quo sacrum reconditum erat pignus, haud dubiè factum videri strepitum asserebat; nam haud procul ab orbe, quem dixi, versatili sepulcrum erat. Nec verò fefellit. Quidnam verò id esset, tum quidem ignorabant; donec tandem P. Gregorio Nazianzeno rem ex ordine declarantes, ex eo didicere, ea ipsa litteras suas quas tulerat obsignatas hora fuisse. hinc ea omnibus insedit opinio, hoc B. Teresam signo indicioque abituram vale dicere suis voluisse. Atque ita factum est: nam statim mense Nouembri proximo Albam Gregorius venit, & in peruigilio gloriosæ martyris Catharinæ, ad VII. scilicet ante Kal. Decembr. diem, monialibus ad odæum superius Matutinum recitaturis officium concedere iussis; ipse cum Moderatrice & duabus tribusque è prouectioribus in inferiori manens, litteras cùm illis suas prælegisset, ac potestatem à Congregatione Prouinciali acceptam aperuisset; secretò admodum & festinanter sacrum pignus educunt, quod non minùs integrum tum erat quàm antè, & eumdem exhalans quem diximus odorem; etsi paulò iam aridius & exsanguius. Porrò vestes iam penè totæ computruerant. Tum etiam, meo iudicio, manifesta duo eo in loco miracula apparuerunt; præter primariũ illud, quo corpus illud virgineum ac purissimum ab omni fuit corruptione immune. Primum id est, quòd, cùm Teresæ morienti sanguis effluxisset, eoque palliolum laneum, album, nouum, quo induta fuit, repletum esset, hìc triennio iam & bimestri euoluto sanguis recentem ac iucundum spirarit odorem; &, cùm linteo pallioli huius particula insereretur, id paulatim, sanguinis etiam imbutum colore rubesceret. Huius ipse panni vidi partem, vti & alios multos, qui ab eodem tincti fuere, non tamen humore imbuti; cùm tamen aliud circa eosdem non fieret, quàm quòd alter alteri per diem vnum applicaretur. Et est sanè prodigio simile, tam præstantem hoc in sanguine odorem notari. Alterum id fuit. Cùm, postquam sacrum id pignus loculo eductum esset,

esset, P. Gregorius Nazianzenus satis quidem inuitus (vt enim pòst mihi ipse narrauit, nullo in casu suæ se Deo perfectiùs voluntatis sacrificium in vita vnquam credidit obtulisse) vt superiorum pareret imperio, cultrum, quem de zona pendulum habebat, ad brachium illi, quod Albæ relinqueret resecandum, eduxisset, & iam brachio sinistro, cuius erat iam ablata manus, inseruisset (ipsum est scilicet brachium, quod luxatum erat, dum eam dæmon è gradibus odæi deiecit,) facili ipsum negotio, nulla facta vi, perinde ac si melonem vel caseum aliquem recentem incidisset, (vti id ipsemet asseruit) ab humeri vertebris procidit, non minùs expeditè, quàm si diutiùs easdem tentando explorasset. adeò vt suo brachium à corpore disiunctum sit. Acceptum itaque corpus, & linteo inuolutum ad ianuam ipse ilico detulit. At dum interim suauissimus eodem dimanat odor, & idem monacharum in odæo versantium afflat nares, suspicari haud inani coniectura ipsæ cœperunt; sacrum sibi infernè pignus auferri; quare odoratus secutæ vestigia, ad ianuam aduolant. Sed cùm iam Gregorius egressus, & clausa domus esset ianua; tristes ad sua rediere, solum eius habentes iam brachium, & panni sanguine imbuti partem, cuius integrum hactenus possederant corpus. Ilico igitur, nihil cunctandum ratus, Gregorius ea ipsa nocte Abulam discessit, ne re comperta oppidani Albæ tumultuarentur. Abulæ porrò gratulanter læteque acceptum id pignus fuit, & honorificè eo collocatum loco, in quo omnes ipsum, prout allubebat, monachæ inspicerent, eoque se oblectarent. Impositum id primò in Capituli loco feretro, appensis hinc inde decenter cortinis. Deinceps illi longior paratus loculus in tumbæ formam, quem tenui bysso violacea introrsum vestierunt, inductis circumsecus è serico argentoque mixtim paratis funibus: exteriùs verò holoserico nigro instratus erat, quem auro sericoque intertextæ lineæ condecorabant. Porrò loculi clauiculi, seræ, claues auro nitebant; vti & cardines: appendebant verò scuta duo, aureum & argenteum, in quorum vno Ordinis insignia, in altero sanctissimum Iesu nomen inscriptum erat: huic autem tumbæ in stragula aurea hoc erat epigramma acu inpictum, MATER TERESA de IESV. Hoc ipse postea cenotaphium vidi, &, licèt corpus non includeret, odor tamen eidem inhærebat.

Brachium Teresæ sinistrum præsectum, vt Albæ maneret.

## CAPVT II.

### *CORPORIS SANCTI MIRACVLVM SPARgi in vulgus incipit, ipsumque Albam reportatur.*

SEdulò in hoc excubabant Patres iuxtà ac Moniales, ne vllus in vulgus de corporis integritate, neu de eius Abulam auectione sermo dimanaret.

uaret. ita quidem initio illis fieri placuit. sed postea nonnullis, rei conscijs, satius visum est futurum, medicos & Theologos aliquot aduocare, qui, eodem curiosiùs inspecto, dispicerent, fierine id naturali posset potentia, an verò supernaturali & prodigiosæ ea integritas esset adscribenda, vt quæ hi iudicassent, in tabulas deinde referrentur. Hanc etiam ob causam à Maria de S. Hieronymo, domus huius Præposita, præteritæ rei totius seriem scripto petiere consignari : Verùm antè nihil illa euulgare instituit, quàm à Superiore Prouinciali facultatem impetrasset. Ille verò adeò hanc diligentiam non improbauit, vt litteras potestatis indices illico miserit, quæ demum pridie Kalend. Ianuarij anni sequentis circa vesperam appulerunt. Quoniam verò hæc celeriter & non cunctanter fieri Dominus volebat, suaque magnalia iam innotescere, eâdem Abulam hora delati sunt F. Didacus de Yepes, Hieronymianorum Madritensium tum Moderator, simul etiam Licentiatus Laguna, regij Tribunalis Consiliarius, nec non Franciscus Contreras, hodie assessor Parlamenti Granatensis : qui rei huius prodigiosæ dumtaxat videndæ causa, Madrito, non sine labore, & cælo frigido Abulam excurrere non dubitarunt. Ad Antistitis Petri Fernandij Teminij curiam exscensionem fecerunt, eique, ecquod sua in ciuitate latens haberet pignus, declararunt. Is ergo cùm ex Quæstore suo Ioanne Carrillio, qui rei huius iam erat conscius, rem omnem didicisset, Præposito domus per nuntium significat, postridie se, hora nona, cum regiæ curiæ assessoribus adfuturum. Vt ergo dies postera illuxit, ipsæ inquam Kalendæ Ianuariæ, anni Millesimi quingentesimi octogesimi sexti initium, hora vt condixerat nona, huc Episcopus, cum Consiliarijs & medicis duobus, alijsque, vt vigesimum explerent numerum, deportatus est. Didacus de Yepes, & Iulianus de Auila sacerdos, ac medici duo, cœnobium ingressi, sacrum inde corpus eduxerunt, & in vestibulo impositum tapeti (ostio exteriori diligenter occluso) accensas manu propè cuncti faces gestantes detexere ; Episcopus verò omnesque eiusdem comites, ipsum, nudis capitibus, & in genua prouoluti, suis non sine summa admiratione, & lacrymis venerabundi oculis accuratè spectarunt.

*Testantur medici corporis B. Teresæ integritatem non sine diuino nutu esse posse.*

Ipsi verò medici curiosiùs cuncta inspicientes, nihil hic naturale subesse, sed diuinæ eam integritatem potentiæ signum esse confirmarunt; vti & vesperi apud Episcopum reuersi, allatis in rei confirmationem rationibus aliquot, deposuere. Sed vsque eò res hæc euidenter & in liquidum patebat, vt multis opus non esset. Quis enim neget, corpus numquam apertum, nec balsamo conditum, cuique nullum condimentum, aromatisque liquor additus erat, post triennium ac trimestre ita incorruptum & illibatum manere, nulla vt ei integritatis pars deesset,

Digitized by Google

esset, & odorem tam admirabilem exhalare, dexteræ Omnipotentis, & omnem naturalem virtutem transscendens opus esse? Nec minùs mirati sunt tum, cùm lineum pannum sanguine adeò recenti atque odorifero imbutum conspexerunt. Tum ad Monachas conuersus Antistes, Thesaurum, quem domi asseruabant, verè pretiosum esse affirmabat, nihil proinde in mundo ampliùs ab ipsis desiderandum videri. Simul etiam iniunxit, vt decenter eum honesteque, vt quidem oportebat, haberent, & cui instratum fuerat pignus sacrum, tapetem ad profanos posthac vsus non conuerterent. Deinde anathematis interponens pœnam, visa quemquam diuulgare vetuit: sed ij ipsi tacere non poterant, dicentes identidem, Hui! quàm admiranda & stupenda vidimus! tantoque rei patefaciendæ ardore inæstuabant, vt coacto Episcopo intentatas excommunicationis diras rescindere, toto ea res opido innotuerit.

Hoc in statu res Abulæ erant; sed non is earum erat Albæ successus. dum enim inde sacræ reliquiæ tollebantur, Antonius à Toleto Dux nondum è Nauarra redierat, & Ferdinandus à Toleto, S. Ioannis Prior, eiusdem patruus, illa etiam tempestate opido aberat. vnde hic etiam re comperta indignari & stomachari cœpit, cùm quòd Beatæ esset Matris studiosissimus, tum quòd videret, quàm pretiosæ ciuitas sua rei iacturam fecisset: censebat enim, non tam Duci, quàm sibi, cui omnem Ducatus curam Dux ipse absens concrediderat, iniuriam irrogatam. Inde non multò pòst ad monasterium cum scriba publico veniens, Præpositæ ac monialibus, graui interpositâ indictaque pœnâ, edixit, ne cui, quod sibi reliquum erat Teresæ brachium, vlla ratione iniussu suo traderent. Nec verò hîc illius stetit accuratio, sed de corpore etiam ipso sollicitus, missis Romam litteris apud summum sacrorum Antistitem tantum effecit, vt Excalceatis is Patribus, quamprimum vt Albam sacra Lipsana referrent, ipsaq; Præpositæ domuiq; Albanæ redderent, mandarit; & si quid aduersus hæc quod obijcerent haberent, coram se vel ipsimet, vel procuratore misso, causam acturi suam, depromerent.

*Summus Pontifex Teresæ corpus Albam referri mandat.*

Vt primùm supremi Pontificis mandatum P. Nicolaus de Iesu Maria, qui tum Prouinciam administrabat, accepit & intellexit; nihil cunctatus, Abulam se contulit, indeque secretò corpus, in comitatu P. Ioannis Baptistæ Prioris Pastranensis, Albam deferendum curauit. Is autem ac P. Nicolaus de S. Cyrillo, Manserensis domus tum Præpositus, Albam vnà cum sacris reliquijs pridie lucis S. Bartholomæo sacræ, anno eiusdem sæculi octogesimo sexto delati sunt. Adeò tamen clanculò eæ illatæ sunt, vt, quidnam inferretur, nemo scire posset; quas deinde circa octauam matutinam monasterio reddidere. Haud

Haud dudum Albanam hi erant domum ingressi, cùm eodem casu ipse me confero, Abulam, corporis sancti videndi causa, cogitans: maximo siquidem eiusdem conspicandi desiderio tenebar. adeò vt si paulò ci ius aduenissem, ante ianuam ipsum reperissem, itaq; voto meo fecissem satis. Vt primùm ergo id in oppido vulgatum est; solenni supplicatione & harmonico concentu suam testari oppidani & Clerus gratulationem exorsi sunt. Verùm Prouincialis, quòd non vt perpetuò illic mansurum, sed velut commodato, corpus sanctum deponeret, summi Pontificis dumtaxat pariturus imperio, adhiberi pompam inhibuit; sed solùm vt Monialibus ipsum traderetur, voluit, vt eius traditi testimonium afferretur. Ioannes igitur Baptista, accepta à Præposito mandata sedulò exequens, ne latum quidem vnguem à præscripto deflexit. Exinde in choro inferiori venerandum est pignus collocatum, & Duce ad cancellos vnà cum matre Comite Lerinensi versante, confertæ multitudini templum occupanti ipsum est multis accensis cereis circumquaque ostensum. Pastranensi verò Præposito è Monialibus, verène id B. Matris Teresæ de Iesu corpus esse agnoscerent, & hoc sibi traditum reuera esse certò scirent, sciscitanti, ab omnibus vna voce responsum est, ipsum esse, vti & ab alia ciuium multitudine, quæ in anteriori ædis parte loca omnia occuparat. quorum omnium in testimonium à scriba publico fieri tabulas ipse iussit. Et sanè commodè accurrentem oportuit ciuium turbam post cancellos hærere. tanta namque confluxit multitudo, tantus omnium videndi fuit ardor, tantum studium, is adfluentium vndique impetus, vt si sacrum publicè in anteriori parte templi expositum fuisset pignus, vestiũ præsectis frustis, ne corpore quidẽ ipso pietate actus populus abstinuisset. Omni verò post meridiem tempore tam frequens ex interuallo confluxit turba miraculum hocce spectatura, vt nec excludere eam possent, nec ipsi, qui in interiori sacratiorique agebamus parte, egredi, nisi sera nocte: quod nulla homines videndi caperet saturitas.

Opidani verò & magistratus, dum non credunt sacras has Albæ reliquias à Patribus relinquendas, publicas adhibuere custodias, ne à quoquam exinde auferrentur: quin imò monachas auctoritate publica rogarunt, ne eas cuiquam auferendas concederent, magnopere gauisi sacrum ad se pignus relatum esse. Horum omnium oculatus ipse sum testis, qui intra cancellos id per otium sum contemplatus, deinde pedes illius, tametsi raptim admodum, exosculatus. etsi enim iam advesperasceret, & templi fores occluderentur, nobis tamen egredi per externos minimè licebat. Aliud hic non minùs mirandum commemorabo, cuius ipse sum testis; nam in me, & circa me ipsum contigit. Eadem vespera Excalceati Patres qui Teresæ corpus Albam detulerant, cùm iam abituri ad idem diuertissent hospitium, quo ipse cum socio successeram, corpus aliquantulum



Digitized by Google

lum recreaturi; ecce allata ad eos vestis, quam ipsum corpus indutum fuerat, vt eam Abulam referrent, quòd aliam Albanæ monachæ vestem illi dedissent; allata autem ea est complicata, & stragulo ita inuoluta, vt tamen fartura forinsecus exstaret. Ad hanc ipse propiùs venerabundus accedens, suauissimum ab eadem prodire sensi odorem; tribus autem propè horæ quadrantibus hoc ipsa loco mansit. Digressis ergo Patribus, ad illud me ipse statim conclaue proripui, in quo ipsi diuerterant, cui à pauxillo illo, quod dixi spatio, quo complicata vestis in ipso hæsit, tanta adhæsit fragrantia, eam vt ipse ilico perciperem, & euidenter agnoscerem. Haud multò pòst eodem socius meus cùm successisset, num quid sentiret à me rogatus, respondit sentire se, & quidem fieri non posse, quin sentiret. Quin ea ipsa nocte hoc in cubiculo cùm decúberem, quoties somno euigilarem, meas odor hic nares perceptibiliter satis afflabat.

Ab illo tempore, in præsens vsque, sacrum Albæ corpus hæsit, vnà cum brachio, etsi nonnisi rarissimè eius inspiciendi fiat copia. Cùm enim Abulenses Excalceatæ & vniuersa resp. contenderet instaretque, vt Abulam sacra Lipsana referrentur; Antonius à Toleto, Dux Albanus, & Comestabilis Nauarræ, simul & Ferdinandus à Toleto Prior S. Ioannis, cùm partim sua, partim cœnobij & opidi Albani causa, Albæ id remanere vellent, ad Summum Ecclesiæ Antistitem Sixtum V. Pontificem Rom. causam retulerunt: cuius auctoritate, iudex rei constitutus Cæsar Specianus, Episcopus Nouariensis, Nuntius Apostolicus, annò voluétis sæculi duodenonagesimo, mense Decembri, pronuntiauit, Alba vt perpetua Teresani corporis sedes foret. Ab hac deinde sententia cùm ad Pontificem ipsum appellatum esset, insequenti postremo VI. Idus Iulij, eam ipse omni qua potuit & necesse fuit verborum auctoritate & grauitate, nec non ea, quæ desiderari posset, firmitate confirmauit. Itaque in magnifica illustrique ibidem tumba, quam S. Ioannis Prior (qui corporis Albæ remanendi præcipua vnicaque fuit causa) se paraturum respondit, reconditum fuit.

*Sixtus V. Pontifex decernit, vt Albę corpus remaneret.*

Neque verò hic omisero, quomodo etiam antè, quàm Albam referretur corpus, id ipsemet de cælo Dominus præmonstrarit. Vno enim antè mense quàm rediret, eo ipso loco, quo deinde repositum est, & hodie quiescit, monacha quædam, cùm in oratione versaretur in choro superiori, lucidissimam conspexit stellam: cuius etiam is erat fulgor, vt reliqua sidera cum hoc comparata, tenebrosa & obscuriora viderentur. Eadem deinde, in choro inferiori, fulgentissimam conspexit lucem, quæ incomparabilem & admirabilem quandam pulchritudinem præferebat. Vnde haud obscura coniectura intellexit, singularem quandam domui faustitatẽ imminere; quę, postquam corpus postliminio redijt, tum demum perspexit, hoc sibi prodigijs præsignatum.



Digitized by Google

## CAPVT III.

### QVO BRACHIVM ET CORPVS SINT in statu, describitur.

QVicumque hæc legent, peculiariùs multò scire desideraturos mihi verisimile sit, quo id corpus in statu & modo sit: quod non inuitus hic ipsis descripsero, quòd curiosiùs & attentiùs id inspexerim, quò integram aliquando absolutamque eiusdem (quod modò propono) descriptionem depromere possem. A brachio eam auspicabor, quod sæpiùs ipse tractaui; deinde corpus ipsum describam. Brachium planè iam inde ab humeri vertebra integrum est, præterquam quòd manu truncum sit, quam Olisipponem aduectam esse iam antè dixi. Est autem id, tum quia ipsum est, quod in casu è gradibus olim luxatum & confractum erat; tum quia manu mutilum, indeque aliquis ex eo sensim vigor, & virtus vitalis euanuit, minùs carnosum, eò quòd corpori etiamnum adhærescit; satis tamen habet carnis, quamquam antè plus habuerit, quia modò nonnihil exsiccatum est. Color eius idem planè, qui dactylorum; caro eius, ceu caro salita & arefacta; pellis in longum rugosa est, vt solet ijs, quibus, antè obesis, cutis flaccida rugatur iam macilentioribus. Verumtamen ipsum integrum est, & sua etiamnum lanugine conuestitum, quod etiam sæpenumerò vidi & tetigi. Ipsum, mundo semper panno inuolutum, à Monialibus asseruatur, qui sensim exinde vnguine quodam, ceu oleo, indidem effluente imbibitur, ita quidem pinguis, perinde ac si oleo aut simili cuipiam esset liquori intinctum: qui quidem liquor eumdem spirat odorem, quem & brachium ac corpus. Varij porrò eodem imbuti sunt panni; ac veluti sacræ quædam reliquiæ, varijs hactenus dati, quin etiamnum modò dantur & imbuuntur; etsi non eâ liquor hic emanet iam copiâ, quâ antè, prout quotidiè magis ac magis caro euigoratur. Hanc porrò carnem nulla vnquam deuastare potest corruptio, perinde ac si ænea & chalybea foret. Nam etiam minima caruncula, vel medio vngue spissa, ne quidem per intensissimos æstatis calores, licèt etiam de collo, vel in pectore, vel alio loco summè calido gestetur, suum numquam odorem, modò bene inuoluatur, amittet. Est hoc autem certissimum, vtpote iam longo cognitum vsu & visu quotidiano. Adeò vt tam qui multum de carne B. Matris Teresæ de Iesu, quàm qui exiguum habet, quo ad durationem & incorruptionem, tam solidum se quid habere credere queat, ac si durum aliquod alterius cuiuslibet Diui os haberet. Quo primùm brachium illud

*Quo in statu brachium mansecit.*

*Oleum brachio Teresæ effluit.*

*Corruptio carnem Teresæ occupare nequit.*

Digitized by Google

lud in meas accepi manus tempore, antemeridianum fuit: his verò tum is odor adhæſit, quem caro exhalat. ita autem ille me delectauit, vt ne prandium quidem ſumpturus eas abluere voluerim, ne hanc abluendo fragrantiam perderem. Sed fruſtra ſcilicet hoc verebar: cùm etiam tum, cùm eaſdem laui, eadem conſtans manſerit, imò etiam poſtquam cubitũ conceſſi, in manibus eamdem ſim odoratus. Super hæc tam inſolitus mihi tempore illo pietatis acceſſit ſenſus, vt eum & liquidò euidenterq; perciperem, & animo quindenis inhæſerit continenter diebus. Corpus autem ipſum per otium ſum, VIII. Kal. Aprilis, ipſa Annunciationis Deiparæ, & incarnationis Chriſti Domini die, anno duodenonageſimo contemplatus: quod quoniam attentiùs inſpexi, vtpote qui rei eiuſdem reddere teſtimonium, quod hic reddo, decreueram, hinc aptè ipſum deſcribere, & ſingularia eiuſdem indicia reddere potero. Eſt igitur ipſum rectum & extenſum, etſi paululùm antrorſum prouergens & incuruum, qualis decrepitorum eſſe inceſſus ſolet; ex eo tamen facilè conijci poteſt, ipſam vtcumque proceram fuiſſe. Ita porrò ſolidum & conſtans, vt, ſi manu vna axillas ſuffulcias, ſtare in pedes poſsit, & indui & exui, non ſecùs ac ſi viueret. coloris etiam dactylini, cuius & brachium eſſe iam dixi, etſi aliquibus illud in locis paulò magis ad candorem tendens. Nulla autem eius pars furuior quàm ipſe vultus; quòd enim ſemper is velo cooperiretur, & multo collecto ſit puluere fœdatus, reliquis corporis partibus peiùs habitus & duriùs fuit: Ceterùm ſua illi conſtat integritas, ita vt ne quidem extremum naſi confractum ſit, vel imminutum; & ne capillus quidem vnus de capite diffluxerit, ſed ijdem illi ſunt, quos habuit, dum primùm terræ mandaretur. Oculi ſicci ſunt, quòd quo natabant humore, paulatim exaruerit, ceterùm integri, & inuiolati. Verrucæ illæ, quas faciem habuiſſe diximus, etiam ſuis cum pilis integræ illæſæque ſunt. Os habet ita clauſum, vt nullo aperiri pacto queat. Carnoſo eſt & muſculoſo corpore, præſertim ſecundùm humeros.

Quo in ſtatu ſit Tereſiæ corpus.

Pars illa, vnde brachium præciſum, ſudorem exudat viſcoſum & tenacem, qui manui tractantis adhæreſcat, eumdemq; ſpirat odorem, quem corpus reliquum. Manum habet bene formatam, in benedicentis morem conſtitutam, etſi non integros digitos. Quos qui præſecuerunt, non laudo: quæ enim tam mirabilia patrauit manus opera, quamq; integram ſupereſſe voluit Deus, eam ipſe nefas arbitrer mutilare. Pedes verò ſciti ſunt, ſuaque proportione conſtant. Vniuerſum denique corpus carnoſum eſt & toroſum. Quem autem id exhalat odorem, non diſcrepat ab eo, qui brachio prodit, tametſi multò ſit vehementior. Equidem tantam ex penitiori abſconditi huius theſauri detectione voluptatem hauſi, vt lætiorem toto vitæ tempore mihi illuxiſſe diem nullum credam, & ipſo inſpi-



Digitized by Google

ſpiciendo ſatiari oculus nequaquam poſſet. Ceterùm non poſſum non dolere & expoſtulare, dum vereor, ne ipſum olim, vel magnatum aliquorum poſtulatu, vel inſtantibus monaſteriorum aliquorum precibus ſit in fruſta diſpertiendum. Neque verò id, meo iudicio, diuidendum eſt, ſed eo prorſus in ſtatu relinquendum, quo ipſum relinquere dignatus eſt Deus, cùm ipſum magnitudinis diuinæ ampliſsimus ſit teſtis, nec non euidens integerrimæ B. Matris Tereſæ virginitatis, & admirabilis eius ſanctitatis indicium. Quod qui vel petierint, vel conceſſerint, næ illi, opinione mea, genuini illius filij futuri non ſunt.

## CAPVT IV.

### *SAEPIVS A MORTE SESE SPECTANDAM DEDIT.*

POſtquam de eximio illo incorrupti integrique corporis miraculo iam egimus (quod alia etiam, vti iam vidimus, in ſe miracula inuoluit;) conſentaneum futurum iam arbitror de alijs plurimis, quæ tum per ipſum, tum alia, quæ ipſum tetigere, operari dignatus eſt Altiſſimus, prodigijs paucula addere. Hoc enim ipſe pacto nemini non declarat, quanti fidelem ancillam ſuam cùm ipſe faciat, tum ab alijs omnibus fieri velit, tum etiam ſingularibus à ſe eos cumulatum iri beneficijs & gratijs, qui ſalutarem eiuſdem interceſſionem & ſuffragium efflagitaturi ſunt. Hac de cauſa à viſionibus & apparitionibus inchoabo, dicamque quo poſt obitum modo ipſa varijs apparuerit: quæ toties quidem ſe ſpectandam dedit, vt, ſi omnes eiuſdem apparitiones ſingillatim enarrandæ forent, multa earumdem concinnanda eſſent capita, ac fortaſſe iuſtus etiam liber. Vt enim S. Gertrudem à morte Dominus monialibus luculenta ſpectabilem gloria exhibuit, & ſæpius quidem, ſuauiſſimæ ob matris mortem eas mœrentes conſolaturus: Ita etiam has ancillas ſuas, matris ſuæ ac parentis, quam intimè adeò complectebantur, deceſſu adeò proſtratas dignatus eſt conſolari. Adhæc, non per Gertrudem ſolam, ſed & per filiarum eius aliquot iam defunctas ſimilia Dominus operatus eſt, vti è ſequentibus aliquot eiuſdem libri capitibus colligere eſt.

*Viſiones & apparitiones Tereſæ.*

*Lib. 5. c. 3.*

Aliquando enim ſplendor quidam inſolitus eius in ſepulcro apparebat, ac præſertim, cùm monacham aliquam contingeret ex hac vita decedere. Si quæ verò ſuperioris iniuſſu ſtato ſilentij tempore inter ſe loquebantur, tres ad cellæ eiuſdem ianuam ictus interdum audiebantur; quibus velut ſignum dabatur, præſentem hic adeſſe Matrem, & ſilentij filias commonere. Viſa porrò viſibilis eſt & glorioſa ſæpiùs varia in ſpecie plurimis vtriuſque ſexus Excalceatis, quorum tanta eſt prudentia & pie-

pietas, vt de hisce apparitionibus neutiquam sit ambigendum. Verumtamen, quòd adeò eæ sint frequentes, & qui eos, quibus eæ visiones contigerunt, non nouit, non eam, quam reuera merentur, fidem ijs est adhibiturus; nonnullas tantùm, quæ maiorem alijs allaturæ sunt vtilitatem, & notiores sunt, ad longum hic commemorabo. Non multo post B. Matris obitum tempore, Teresa Laizia, Albani cœnobij fundatrix, cùm in morbum incidisset, iam paulò meliùs medicorum iudicio habens, adstantem sibi eam conspexit, pallio albo amictam & velatam: quæ vultu hilari & renidenti, manu signum dedit, vt ad se propiùs accederet. Cui Laizia: Moriarne Mater? horane iam venit? quo petito, B. Mater ex oculis euanuit. Exinde cùm in deterius valetudo concederet, propediem sese emorituram prædixit, vtpote à B. Matre præmonitam & euocatam. quare animæ rebus in tuto constitutis, haud multò inde pòst vita decessit.

Vir quidam eximius de Excalceatorum familia (cuius nomini hic parco, quòd etiamnum superstes sit) alij per litteras significauit, ob Teresæ de Iesu decessum non ampliùs se dolere & angi audere, quòd eos ipsa acriter corriperet, qui sua morte contristarentur, quique ob labores subeundos expostularét, cùm nullam ipsa ob rem luculentiorem in cœlo receperit, quàm ob eos quos in mundo perpessa fuit labores, mercedem; seque, si vllam ob causam in terram rediuiua redire vellet, non ob aliam mortalem cælico præposituram gaudio vitam, quàm vt ampliùs viuens pateretur. Mox verò ipse subnectit: Cuidam, qui non abhinc multo tempore maxima eam in gloria, & candidissima luce nescio vnde promicanti (quòd cui facta visio id non videret) circumfusam vidit, ait: *Cælites simul & mortales amore & puritate debemus esse viri: illi quidem diuinam conspicientes essentiam, hi verò sanctissimum adorantes sacramentum: erga quod vos ita gerere debetis, vti nos erga ipsammet essentiam: nos quidem fruendo, vos verò patiendo. In hoc namque discrepamus: quò verò plura tuleritis, eò pluribus & maioribus potiemini. Hoc filiabus meis enarra.* Huic porrò viro insculptum mansit, *Sacramentum & labores.* Cùm verò è vita B. Mater concederet, ea nonnullis insidebat opinio, itineris, quo Burgis Albam redijt, labores & celeritatem mortem illi attulisse. Verùm à morte Excalceato cuidam monacho sese gloriosam exhibens: *Nemo*, inquit, *aliam mortis meæ esse putet causam vel occasionem, quàm quemdam amoris diuini impetum, qui adeo mihi potenter incidit, vt eum natura mortalis ferendo non esset.* Tertio libro, cùm de Beasensis domus fundatione ageremus, multa de duabus illis germanis eiusdem fundatricibus, quæque eidem deinde se ambas deuouerunt, diximus: quarum natu grandior, Catharina de Iesu nomine, illustri sanctitate monacha, quæ deinde eiusdem domus moderatrix cùm esset, sanctissimè demortua est. Hæc itaque, cùm morbida

Amoris diuini impetus vehemens, causa mortis in Teresa.



Digitized by Google

lecto afflicta iaceret, postridie quàm B. Mater de vita migrasset, duæ tresve de astantibus monialibus, velut inter sese arcana quædam collocuturæ, inde se subduxere: quibus illa: *Non est,* inquit, *necesse vos secedere; si enim de Matris obitu secreta vestra est communicatio, hanc ipsa iam noui.* Quibus illæ auditis, accessere, rogantes sibi, quidnam hac de re esset, aperiret. Tum illa, *Pridie,* ait, *Mater suam Domino animam consignauit, mihiq; visa est.* Huic ipsi & aliàs postea apparuit; sed cùm tum illa metueret, nec ad Matrem accedere propiùs auderet, dum veretur, ne fortè vera non esset apparitio, Teresa ipsam confirmans ait: *Laudo equidem, quòd in credendo adeo non sis facilis: malo enim hisce in monasterijs pluris vt fiant solidarum virtutum studia, quàm visiones & reuelationes: Verumtamen vt videas, visionem hanc falsam & mendacem non esse, accede.* quo dicto, latens quoddam sub altero vbere vlcus vel vulnus, quod nulla chirurgorum curare potuerat ars, manu tetigit; nec non manuum alteram, in qua deformem quamdam, rotundam, nigramque, quæ nullâ tolli poterat industriâ, maculam habebat. Vt ergo Mater euanuit, Catharina & abscessionem ablatam, & manus fœditatem vidit. quæ curatio magnam omnibus, qui ipsam & antea viderant morbidam, & postea sospitem compererunt, admirationem mouit.

Iam annus à Teresæ obitu effluxerat, cùm Albana quædam monacha, cui Catharinæ de Conceptione nomen, insignis caritatis officijs, & pietatis studijs notissima iam morti propinqua decumbebat. Cùm ergo reliquæ in Matutinis precibus essent, earum vni in recollectione mentis visa est suo B. Mater sepulcro egredi insignem manu vnâ præferens crucem tornatilem, aliâ verò monacham, quam ipsa non nouerat, ducens: ambarum porrò facies rutilabant. inde Matre cubiculum ingressa, in quo ægra decumbebat, benedictionemq; impertiente, ipsa non multò post animam reddidit.

Optauerat inprimis Teresa etiamnum viuens, vt Beatrix Ouallia, Ioannæ de Ahumada sororis eius filia, in Excalceatarum se cœtum daret; sed hactenus huc ipsa animum adiungere non potuerat, donec per somnium eam defunctam videre se putauit in loculo, in quo sepulta fuit, medio erectam corpore, seque amicabiliter inuitantem, iamque proximam, benignè, vti viuens assueuerat, alloquentem. Inter alia porrò hæc ab illa audire sibi visa est: *Quamdiu tandem à monastice profitenda abhorrebis?* Tum Beatrix, iam hoc sese agitare respondit, ac breui hoc in cœtu conspiciendam. Et verè iam de facto superiores erat allocuta, non tamen rem adeò celeriter, nec antè exequi statuerat, quàm id illi Deus desiderium inspirasset, fidemque simul dedisset, valetudine hic ipsam vsuram bona: vnde etiam Teresæ multum

hac

Digitized by Google

hac se angi cogitatione ait; ac metuere, ne fortè incommoda hic vteretur valetudine. Tum Mater, *Non est*, excipit, *quòd metuas, bene te hic valituram spondeo; quapropter firmiter hoc tecum statue, deliberandiq; fac finem.* Inhibuit insuper, cum nullo hac de re, quàm viro illo pio ac spirituali, quem ipsa super eadem identidem consulebat, communicare. Itaque somniare desijt. Etsi verò & aliæ plures fuissent rei huius credendæ rationes, non vllam propterea tamen ei fidem adiunxissem, nec hoc ipsam loco commemorassem, nisi ingentes illi & miri, qui secuti sunt effectus, credere me quodammodo compulissent, esse quid somnio maius, vti & alios, quibus perspectum erat, quàm hæc animo à religiosa esset vita alieno. Moribus enim exinde immutata est, inque illud, quod paulò antè exhorruerat, penitus propendit, & ad ipsum, quem ita metuebat locum, toto anhelauit studio, in quo is ipse, quem conuenire permissa est, maximo illi fuit adiumento. Vnde factum est, vt paucis pòst diebus monasterio sese addixerit, in quo semper quieta vixit, præterquam ob vnum hoc dolens & gemens, quòd citiùs se ei non dedicasset. Quædam etiam de monialibus, hoc impletum videre inprimis cupida, cùm in sermone quædam inaudisset, ob quæ minùs illi ad exitum deducendum videbatur, ad B. Matris sese conferens tumbam, instanter hocce ei negotium commendauit. Vt hæc ergo ad quietem se nocturnam composuit, Matrem in specie vestitus, quo vti viuens solebat, conspexit, atque ore renidenti ab eadem petijt, Illane, Mater, pro qua te deprecata sum, in nostrum nomen dabit sodalitium? Cui cùm illa annuisset capite, ilico disparuit. Monachæ verò huic, rem pro voluntate perfectum iri, ita penitus insedit, vt nulla dubitaret: nec sanè frustra fuit, cùm paucis pòst Beatrix diebus haud dubitanter instituto accessit.

Quod modò subnecto, recentius est, & tamen certissimum, etsi studio nomen occultem. Excalceata quædam cùm mœreret, seque affligeret, dum non adeò se sincerè ac perfectè, vt quidem oportebat, Domino credit famulari; quadam die dum maximè affligebatur, nihil minus cogitanti repentè magna mentis recollectio incidit, perfectaque suijpsius cognitio, simul etiam timor quidam pace & amore plenus, &, quamquam obluctari conabatur, (quòd eo esset in loco, in quo ab alijs poterat notari) in mentis rapta est excessum, tam immensa repleta dulcedine, vt par vlla dari illi in mundo non posse videretur. Tum scilicet splendida quadam se luce vidit circumfusam, atque in illius medio B. Matrem Teresam velut florido quodam in circulo conspicuam, quæ manibus librum in sinu reclinatum tenebat, eumque apertum, cuius characteres auro erant pulchriores, dicens, *Lege filia.*

Ipsa

Ipſa verò velut pudore ſuffuſa oculos attollere non audebat ad legendum. Deinde Tereſa, velut ſubridens, manum extenſam illius oculis admouit. quo tactu adeò introrſum eſt recreata, vt, cùm ſibi caligare videretur & cæcutire, caliginem ab ijſdem amoueri putaret Illico ergo, caput attollens, ſcripturam legere potuit. Erat autem ſcriptum in hæc verba: *Sponſus meus voluntatem tuam habet, vt eadem ſua conſentaneè conformiterq; vtatur, ſemperq; tibi aduerſando.* Cui ſanctimonialis: *Quomodo, Mater, mihi futuras putem vires ad rem adeò ingentem perficiendam; cùm etiam in minimis tenuibusq; adeò me videam imbecillem?* Tum Tereſa; *Cùm minus cogitaris, has ipſe tibi dabit, & parua tolerando ad maiora ſuperanda paulatim colligitur robur & animus.* Petijt deinde rurſus monacha: *Qua Domino meo ratione placebo, Mater? Iter quod inſiſto, anne rectum?* Reſpondens ſubinfert Tereſa: *Non per iter, quod ipſa cupis: ſingularitatem fuge, teq; ab eo qui tuæ director eſt animæ dirigi & gubernari ſine: ac bene feceris.* Eadem ipſam monialis alio tempore maximo amictam lumine conſpexit, forma quàm auguſtiſsima, quando etiam magna quadam cum poteſtate auctoritateque hoſtem tartareum, huic religioſæ nocere ſatagentem, fugauit, aliquam in hac illi eſſe partem & locum negans. Ipſam verò ad ſe inuitans animum illi & robur addidit, ad maius animæ id illi bonum accidere ſpondens, quæque facienda eſſent, vt pax & animorum conformitas concordiaque in domeſticis adaugeret, illi præſcribens. Simul etiam euentum, qui domui illi erat euenturus, quique etiam non ita multò pòſt accidit, aperuit.

Zelus animarum cõpenſatur.

Aliàs alij eſt moniali in ſpecie glorioſa viſa, cingulo multis pyropis rutilantibus fulgido accincta. Quam religioſa illa ſpeciem demirata, &, quid geminata illa deſignaret zona, percontata, hanc illi ob ardentem illum quo ſemper animas zelata eſt zelum datam audijt.

Non deerunt, credo, qui mihi dicent, Cur ijs adiuncturi ſint fidem, quæ hoc ſum capite proſecutus, cùm nonniſi è priuatis nonnullis hæc ſciri queant, quibus fortè, ob peculiare ipſorum erga B. Matrem ſtudium & affectum, hæc in imaginatione dumtaxat ita videri potuerint. Quibus vt reſpondeam, ſuadeo non plura horum vt credant, quàm velint, cùm vlteriùs eos ipſe nec velim, nec queam compellere. Verumtamen, ſi, omni ſiniſtro exuto affectu, rationes, quæ narratis eos credere ſuadeant, perpendere voluerint; mente fortè mutata, reſipiſcent, & alia ſentient. Hanc ob cauſam legant rogo, quæ huc facientia ad tertij libri finem ſcripta ſunt. Atque rurſus hanc velim rationem expendant, quæ etiam permagni apud me eſt ponderis; cùm certum ſit & indubitatum, eſſe darique veras viſiones aliquibus particularibus factas, ecquæ vt tales habendæ ſunt potiùs, quàm quæ ad eximio alicui Dei famulo vita functo auctoritatem conciliandam ſpectant? cùm hanc parare cacodæmon non ſoleat,

Rationes ob quas credendum viſionibus, quibus ſancti alicuius defuncti auctoritas adſtruitur.

ſoleat, ſed omnem è contra, ſi fieri poſſet, eorum auctoritatem imminueret, ac nomen inobſcuraret, vt hoc pacto & diuinæ gloriæ incrementum impediret, & nullum inde ad animas emolumentum accederet. Si verò ea, quam ad illis non credendum adferunt (non eſſe nimirum priuatis quibuſdam teſtibus, quique læuo quodam ſtudio prauè ſentientes decipi potuere, publicè ab omnibus fidem adhibendam,) alicuius ſit momenti ratio, dicam equidem, nec infinitis alijs id genus rebus, quarum omnes hiſtoriæ Sanctorum, tum nouæ, tum veteres plenæ ſunt, vſquequaque paſsim auctoritatem credendo adiungendam videri. Refert Magnus Gregorius, conſpectam à S. Benedicto ſororis illius Scholaſticæ animam, columbæ in ſpecie, in cœlos euolantem; inſequenti verò capite, viſam eidem Germani Epiſcopi Capuani animam, eodem abeuntem, prodidit. Potuit hauddubiè Benedictus, etſi vitæ ſanctitate illuſtris, quapiam in viſione decipi; at nefas fuerit in his eum, quæ ad ſanctis illis animabus nomen auctoritatemque parandam ſpectabant, deceptum affirmare. Idipſum & de alijs ſanctimonia tamen illo inferioribus dicemus. Capite namque trigeſimo ſeptimo duobus ſcribit Monachis viam quamdam fulgidam viſam eſſe, iam inde à S. Benedicti cella in cœlos vſq; tendentem, illiſq; dictum fuiſſe, hac Beati illius Patriarchæ animam in cœlorum habitacula penetraſſe. Ex quibus autem id ſciri potuit, niſi ex his ipſis religioſis, qui ſuum in Patrem intimo quodam ſtudio ferebantur? vel, quis dixerit priuato eos affectu & imaginatione ad hocce credendum ductos fuiſſe? Bonauentura in S. Franciſci vita prodidit huius iam recenter defuncti animam, in ſtellæ cuiuſdam in candida nube tranſparentis ſpecie, à quodam ſodalium illius in cœlos abeuntem viſam eſſe. Alij etiam monacho ægrotanti eumdem tradit conſpectum Franciſcum ad cœlites iam properantem; qui, dum vt ſe præſtolaretur rogitat, vita exceſſit, & vnà cum ipſo eodem euolauit. Addit, eadem hunc nocte apparuiſſe Epiſcopo Aſsiſiati, ſignificaſſeque in cœlos iam abire ſe gloria donandum. Non inferiora de Sancto Dominico tradidit S. Antoninus, & aliquot ſingillatim Prædicatorij Ordinis Fratres, glorioſi huius viri animam, corpore egreſſam, ad paradiſi gaudia rapi vidiſſe. Similia de S. Thomæ Aquinatis anima idemmet refert, quem conſpectum eſſe à plurimis teſtatur, atque inprimis Alberto quodam, cui vnà cum S. Auguſtino apparuit; huic item fuiſſe reuelatum, pari ambos donatos in cœlo gloria. Idem auctor eſt, Franciſcum ſe dediſſe diſcipulo ſuo Rufino, iam iam è vita emigraturo, ſpectandum; Bonauentura quoque, ſæpiùs eumdem varijs poſt mortem aſſerit apparuiſſe, tam viris quàm feminis. Cyrillus Hieroſolymitanus, in ea quam ad S. Auguſtinum ſcripſit S. Hieronymi vita, aliquoties hunc ſe varijs exhibuiſſe à morte glorioſum per viſum, ſcribit. S. Martinum tradidit Sulpicius Seuerus

*Gregorius 2. Dialog. c. 34.*

*Variæ apparitiones S. Franciſci ex S. Bonauentura.*

*Variæ viſiones S. Dominici.*

*Bonauentura. Cyrillus Hieroſolymitan. Sulpicius.*

Paulinus. uerus visum esse gloria illustrem in cœlum ferri, & auditos in eius funere cantantes Angelos. Paulinus Nolanus Episcopus in S. Ambrosij, quam ad S. Augustinum dedicatam misit, vita à plurimis ait pueris non ita nuper sacro fonte tinctis illius animam visam, ab alijs quidem sua in cathedra considentem, ab alijs cœlos conscendentem. Deinde narrat quomodo sæpius idem Præsul priuatis quibusdam apparuerit, è quibus id ipse acceperit. In re porrò adeò manifesta pluribus me nolo extendere; hoc vnum addam, nihil dari posse, quod sit manifestum illi, qui pertinaciter obstinateque nihil omnino credere in animum inducit. Hæc aliaque his similia, quæ in authenticis probatissimisque sanctorum historijs occurrunt plurima, nonnisi à priuatis quibusdam visa sunt, è quibus eadem postea ab alijs cognita sunt: nullus tamen vir sapiens dicet, ob priuatum illorum affectum dumtaxat ita illis hæc visa fuisse. Id quoque nostra ætate videmus contingere, vti in rebus gestis S. Ludouici Bertrandi, quas Vincentius Iustinianus ex Ordine Prædicatorum scripto prodidit, legere est; nec non in vita B.F. Petri Nicolai, quam Christophorus Morena, Præpositus Franciscanorum in Valentina prouincia Prouincialis litteris mandauit: in quibus similium incidit visionum mentio, quæ singularibus hominibus oblatæ sunt; in vita quidem S.Ludouici Bertrandi, cap. XX. & XXI. & in B. Petri Nicolai, cap. L.LI. & LII.

## CAPVT V.

### *VARIA REFERVNTVR MIRACVLA, QVAE PER sacras eius corporis reliquias, & lineos eius cruore tinctos pannos facta sunt.*

PLurima hactenus operatus est, atque etiam quotidie operatur in B. Teresæ gratiam, & quidem omnigena miracula Altissimus, quòd honorare & condecorare suam velit ancillam, quæ tam fideliter illi semper est obsecuta. Minoribus prætermissis luculentiora solùm depromam, quæque clarius est, miracula dici posse: in quorum commemoratione vt certo procedam ordine, ad quatuor eadé visum est capita reuocare. In primum referam illa, quæ per ea, quæ ad corpus eius spectant (qualia sunt corpus ipsum, manus, sanguis) facta sunt; secundo complectar, quæ vestium illius attactu contigerunt; tertio includã, quæ imago picta sculptaque eius est operata; quarto denique ea continebuntur, quæ per ipsius inuocatæ intercessionem, nulla alia accedente re, patrata sunt: etsi aliorum quoque plurima, vel etiam propè omnia, ad illius inuocationem sit patrare Altissimus dignatus; hic tamen dumtaxat ea intelligo, quæ per solum orationis adminiculum euenere.

Non

Digitized by Google

Non est autem necesse ea hic denuo repetere, quæ per corporis eius nondum terræ mandati opem facta sunt, cùm illorum tertij libri capite postremo facta sit mentio, quo & mortem eius, & sepulturæ rationem pluribus sum prosecutus: quocirca ea tantummodo hic proferam, quæ per iam sepultum prodigia patrare Deus est dignatus.

P. Baeza Minorita Albanus aurem habebat, è qua tam viscosus promanabat humor, vt auditus sensum læderet. hic cùm post Vespertinas Horas ad Excalceatarum domum abisset, & sacrum Teresæ brachium auri magna cum fiducia admouisset, eodem ipso die, ante vesperam, ab vtroque se malo liberatum percepit. quod cùm haud ita multò pòst alijs ipse referret, institit, vt in signatas testimonio tabulas ipsum, vtpote manifestissimum prodigium referretur. Miracula facta per ea, quæ ad Teresæ corpus spectant.

Franciscus Gomezius Lignarius Faber, Albanus ciuis, sesqui mense & amplius ita ex oculis laborarat, vt prorsus inutilis nihil omnino ageret: & adeò non malum medici malagmatis abstulerant, vt etiam adauxissent. Vnius præsertim tormentum adeò erat vehemens, vt iam non dolor ille (vt quidem videri sibi aiebat) sed furor quidam rabiosus videretur. Interea ad Excalceatas excurrit, & ad ianuam moniales supplex rogat, sese vt Deo per preces commendarent, & de reliquijs B. Matris Teresæ sibi aliquid largirentur. Cui ostiaria, Vade in templum, inquit, oportunè quippe cuilibet iam B. Matris brachium spectandum datur, tuo pete id capiti oculisque admoueri. Quod cùm fieri sibi sentiret, eodem instanti, vt iuratus eo ipse confessus est tempore, minui cœpit dolor, & exinde quotidie magis & magis decrescere; vt quinque post dies ad opus abierit suum omni dolore iam liber nullo alio adhibito remedio. Quique antè verebatur, ne oculorum aciem penitus amitteret, per Teresæ se merita iam oculos ait perspicacissimos & acutissimos nactum esse.

Olisipponensis Excalceata nouitia, cùm omni prorsus olfactus sensu toto vitæ tempore caruisset, vt etiam quid suaueolentia & maleolentia esset, penitus ignoraret: ipsa loci Præposita, Maria de S. Iosepho, in omnium monialium congregatione B. Matris produxit brachium, quod Olisippone esse commemorauimus. Tam suauis porrò eodem prorupit fragrantia, vt omnium corda teneriùs eadem complerentur, & nulla non singularem quamdam suauitatis nouitatem in animo perciperet, Deumq; collaudare pariter inciperet. Dolens ergo nouitia eo se frustrari beneficio, quo sodales reliquæ potiebantur, sanctam illam manû naribus admouit, dicens, Non antè hinc manum tuam amouebo, Mater, quàm id ipsa olfaciã, quod reliquæ, vt vnà cum ipsis Deum deprædicem. Tum dicere astantibus cœpit, fumum, nescio quem, calidum per nares sibi ascendere, quo eædem aperirentur; ac tum & manus, & quemcumq; deinceps odorem percipere cœpit. Ad cuius rei periculum faciendum varia illi odoramentorum

genera allata, quæ singula potuit discernere, & hunc bonum, illum fœtidum d.cere: nec vmquam postea hoc est munere destituta.

Eidem iam professæ, nocte quadam, monialibus omnibus dormitantibus, tam insolitum symptoma incidit, vt seipsa discerperet vnguibus ac læderet: adeò vt omni quatuor eam moniales conatu retinere non possent. Dicebat adhæc, videri sibi ossa comminui, & cor euelli. Diabolo porrò hæc auctore fieri, omnium erat opinio, quòd nihil vnquam simile passa esset. Omnibus ergo monialibus, metu perculsis & mœrentibus, allata B. Matris est manus, & illi applicata: quam vt contigit, confestim ita liberata est, ac si nullum esset vnquam malum passa.

Principis Cardinalis iussu Religiosæ aliquot Belgicæ, quæ varijs inter hæreticos exagitatæ erant modis, tamdiu apud Excalceatas Olissipone d.uerterunt, quoad de commodiori illis esset tecto prospectum. Inter has erat vna, natione Castellana, nomine verò Catharina de S. Spiritu, L.idouici Carillij filia, & Cardinalis Granuellani, à parte materna, consobrina. hæc ab annis viginti, eoque amplius, perpetuo stomachi dolore torquebatur, vt vix quidquam comederet, nihilque ciborum stomachus ferret, cuius & moniales reliquæ, & quotidiana corporis infirmitas certum reddebant testimonium. Ergo allata B. Matris manus, pectorique applicita est; ipsa interim tam intensum patiente dolorem, vix vt par esset ferendo: quamquam non admodum is fuit diuturnus, & postea omnis euanuit, nec vmquam redijt. Vt verò diuinum omnes agnoscerent beneficium, ceteris ipsa inspectantibus illos in stomachum trajecit cibos, quos antè neutiquam stomachum ferre solere norant, qui iam nullum ei damnum adferebant.

Hæc verò manus suauissimum spirat odorem, at non semper eumdem, & æquè intensum; interdum quippe minorem, aliàs etiam vehementiorem, pro festiuitatum solemnium discrimine: cuius rei esse testes domesticæ possunt. Imò verò cùm aliquod patratura ipsa prodigium est, esse longè solet odor vehementior & suauior. In qua & hoc prodigiosum obseruatum est; quòd, cùm odoriferum aliquid illi applicatur, ipsum confestim omni suo priuetur odore. Cuius rei facta periclitatio, præsente Alfonso Coloma, Inquisitore Olisipponensi, alijsq; è familia Cardinalis Principis proceribus. In cultri quippe cuspide acceptū muscum, etsi odoris vehementissimi, quodque omnia, quæ tangit, ilico afficit, manui admotum sanctæ, suum quamprimum odorem perdidit. Præposita verò, vt quæ ingenio acumineque valebat, dum scire auet, num occulta quadam naturalique hoc contingeret ratione, idcirco rata odoramenta aromaticaque suo odore destitui, quòd rei exsangui emortuæque applicarentur, Celsitudinis suæ medicum consuluit. Naturaliter hic id posse

*Qui à manu Teresæ manat odor, fortior est, cùm aliquod facienda miraculum.*

fieri negauit: sed è contra ea, quæ redolent, quò odor conseruetur, mortuorum sepulcris maleolentissimis indi solere. Huius etiam rei facere periculum medicus ipse dum vult, chirothecas succino odorifero imbutas producens, manum sanctam ijsdem inseruit; &, ecce, omnis illarum odor momento dísperijt. Quin etiam postridie, cùm morbidam quamdam inuisisset, easdem chirothecas omni suo spoliatas nidore ostendit. Hoc porrò periculum fieri modò nequit, quòd argento, quanta quanta est manus, inducta sit, & non nisi per cancellulos quosdam transpareat; per quos tamen eximius quidam odor exhalat.

Olisipponenses verò miro erga eamdem studio affectuque feruntur, multiq; suis eam in necessitatibus viri conspicui exigunt. Eadem deinde ad duas matronas illustres allatâ parturientes, facili ambæ negotio vterum posuere; & vna quidem, vt postea grata commemorauit, sine vllo prorsus dolore.

Eques Olisipponensis, Zelotypia laborans, iam dæmone auctore & instigatore proxima vxorem nocte neci destinarat; per diem verò Excalceatarum domum adiens, Præpositæ animi angorem, simul etiam conceptum mente facinus aperuit. Rogat illa virum, nocte illa domum ne adiret, sed in Excalceatorum Patrum cœnobio pernoctaret, illorumque in omnibus consilio acquiesceret. Verùm cùm sibi benè monenti acquiescere, & rancorem animi & destinatum vxoricidium illum ponere nolle cerneret, B. Teresæ manum protulit; quam suo ille pectori dum applicat, paricidalis voluntas repentè euanuit, & mens tranquillata ac serena mansit.

Isabella de S. Hieronymo, Hispalensis Excalceata, quæ deinde Olisipponem abducta, Vicariam Præpositæ egit, sæpe tam insolita inauditaq; corripiebatur ægritudine, & vnum corporis latus fœda languere paralysi videretur, ac non nisi aliena manu in aliud conuerti latus posset. In festo verò S. Michaelis brachium adeò malè affectum fuit, vt nocte dieque tota quiritabunda ipsum mouere, & triduo propè toto in lecto in aliud sese voluere latus non posset. Aderat ijs fortè diebus Hispali Hieronymus Gratianus, penes quem vnus B. Teresæ digitus asseruabatur. hunc ipse eidem clàm applicari iubet, vt tũ morbida, tum reliquæ domesticæ hunc Matris suæ ac fundatricis esse digitum ignorarét. Mox ergo vt ægrientis manus digitum sensit, eam ipsa facili negotio mouit, obstupescens, qua sancti huius membri virtus celeritate suum per brachium occultè serperet. Quocirca cùm per vniuersum malè affectum latus ipsum circumduxisset, ab omni penitus malo curata etiamnum hodie sospes est, nec deinceps hoc illam symptoma occupauit, cùm tamen quinquennium iam eoque ampliùs à redonata salute effluxerit.

F. Ioannes de las Cueuas Præsentatus, de quo antè etiam in loco actum, Metinam cùm pertransiret, Excalceatarum Metinensium Præpositam adijt, eique digiti B. Matris particulam, quam numquam non velut sacrum pignus circumgestabat, ostendit. Petijt illa sibi fieri eius monialibus priuatim ostentandæ copiam: quarum vnam Ioannam de S. Spiritu, in qua iam olim aliud patratum prodigium (vt sequenti dicam capite) erat, cùm prioris ægritudinis denuo fatigarent reliquiæ, magna hunc cum fiducia digitum ipsa sibi admouit, & suæ reddita saluti est.

Excalceatis è monachis quidam cùm Albam venisset, & acceptum B. Matris brachium oscularetur, pelliculam quamdam aridam in tuber elatam dente præmomordit: quam chartæ impositam dum asseruat, ecce octo post dies eamdem inspiciens, à decidua recentis sanguinis gutta ipsam, tametsi triplicatam, permaduisse comperit. quo ille prodigio obstupefactus, hac chartâ ablatâ aliam circumponit; quam etiam dein alia cruoris gutta imbuit. Huius plures moniales rei sunt testes, & charta in perpetuum miraculi monumentum asseruatur.

Agnes de S. Alberto Excalceata cùm biennio aut circiter lecto Carauacæ affixa decubuisset, vt alienæ ope manus in templum & sacræ rei audiendæ & sacrosancti conuiuij adeundi causa portaretur; ardens eam incessit cupido aliquid de carne B. Matris habendi, eius sperans adminiculo viua concepta fiducia sanitati se restituendam. Ex Albana eadem petita monasterio cùm nondum aduenisset, fortè Carauaca transijt de Excalceatis Patribus vnus, qui de Matris Beatæ digitis vnum habebat. hoc illa admoto, incredibiles septem ipsis diebus sensit cruciatus, quos primo die sudor, & maxima membrorum secuta concussio. Post dierum ergo hebdomadam ablatis & digito & frustillo carnis Alba transmisso, sospes lectulo surrexit; ac sine vllo iam prorsus impedimento incedit, gradusque aliarum instar ascendit & descendit.

Per pannos etiam cruore Teresano imbutos prodigia operari Deus est dignatus. Iam abhinc biennio Matrona quædam illustri Albæ stirpe oriunda (quam & Teresa viuens magno semper amore coluerat, & quæ vicissim rebus illius magna cum fide plurimum tribuebat) vnius aurium vsum penitus amiserat, quam etiam continuus tinnitus perstrepebat: huc accedebat & vehemens cephalalgia. Ergo linteolo B. Matris cruore tincto cùm aurem communijsset, & audire cœpit, & sospitatem est consecuta, atque à diuino deprædicando beneficio, per ancillam ipsius Teresam collato, numquam cessat.

Monacham Albanam maxima occupauit Melancholia & cordis amaritudo, quæ aliquot illi adhæsit diebus: etsi verò ea intermitteret interdum, continuò tamen identidem recurrebat. Iam medici suas

admo-

Digitized by Google

admouerant manus, ſed fruſtra; donec tandem horum panno aliquo admoto prorſus conualuit.

Licentiatus Ioannes à Metina ciuis Albenſis è colico dolore ita torquebatur, vt de ſalute deſperarent medici. ergo illi linteolum ſimile applicatur. tum verò pelli dolor cœpit, ac tandem penitus euanuit. cuius rei, vt & aliarum plerarumque, permulti ſunt teſtes.

Licentiatus Valleanus, Ducis Albani Conſiliarius, filium biennem habebat adeò corpore imbecillem, vt nulla vitæ ſpes ſupereſſet. Mœſtus ergo Pater, quòd alijs careret liberis, Antonium Zamorrenſem ſacerdotem eiuſdem cœnobij ſacellanum aduocat, vt ſacris Euangelij recitatis verbis, Deo ipſum commendaret. tantiſper ipſe & mater templum adeunt, ſacra Miſſarum audituri ſolennia, ne filiolum emorientem videre cogerentur. Antonius itaque vt adfuit, linteolum illo ſanguine imbutum pueri ſuper caput impoſuit; qui ilico reuiuiſcere viſus, manum linteo admouit gaudens, ſimul etiam geſtiens inſtitit, vt lecto tolleretur. quem renidentem accipiens nutrix in vlnas, ad patrem retulit. Antequam verò pater templum peteret, quamdam filij vocem audijt; ſed, dum alterius eam pueri eſſe vocem putat, pedem referre & reſpicere detrectat, ne comperto iam alterius eſſe vagientis vocem, dolor increſceret. Ingreſſa ergo nutrix fanum eum ac ſoſpitem patri reddidit. pannum verò puer ita mordicus manu continebat, vt ſi quis eum tollere ſatageret, ploratu reniteretur. Huius rei plurimi Albæ ſunt teſtes; neque enim multum temporis effluxit, & res in omnium geſta oculis.

Iſabella Fernandia Albana ex latere laborabat acerrimè; cumque deſperarent meliora medici, Tereſæ de Ieſu aliquid ſibi reliquiarũ ilico petijt afferri. allatus igitur pannus è ſanguine madefactus, cùm capiti eſſet admotus, habere meliuſculè cœpit; & quæ eam habebat febris, ilico habere deſijt, præſente etiam tum eo, qui lineum illi admouerat, ſacerdote. Vt ergo primùm lecto ſurrexit, templum Excalceatarum petens, B. Matris brachium venerabunda ſalutatum abijt. Multi rei huius conſcij ſuo eam confirmare calculo poterunt, vtpote quæ anno euntis ſæculi duodenonageſimo, ipſis Regalibus, multis inſpectantibus, contigit.

Aluari Bracamontij Albani triennem filiam dira cruciabat febris, & vomitus continuus, quo ſanguinem eijciebat. Cùm igitur nocte quadam ad extrema propè redacta eſſet, Antonius Zamorrenſis ſacerdos cruentum quod habebat linteum, iubet afferri, & ipſum parentibus alijſque plurimis præſentibus capiti impoſuit: Mox igitur illa aperire oculos, adſtantes affari, & de dolore ſuo queri deſinere, & exinde rectiſsimè, admirantibus omnibus, vale-

valere. hoc VIII. Idus Martij, ſeptimo poſt octogeſimum anno contigit.

Magdalena de Toleto, in cœnoblo Albano, cui à *Dentro* nomen eſt, monialis, biduo eoque amplius febri laborabat; ſed vno id genus linteo collo obuoluto extemplò eam febris relinquit.

Quod iam narraturus ſum, multò eſt recentius: nam ad hunc vſque diem, quo hæc ſcribo, vix menſis ab eo elapſus eſt. Anna de S. Trinitate Excalceata Salmantina incredibili laborabat, quali hactenus numquam, (quòd optima corporis eſſet valetudine) capitis dolore. Adeò porrò vehementer id ipſam malum torquebat, vt propè deliquium animi pateretur, quod etiam inualeſcens febris inaugebat. Multa medicamenta nequidquam adhibebantur, donec tandem cordi applicitus pannus ſanguine Tereſæ tinctus: ſimul ipſa Dei ancillam rogauit, ſoſpitatem ſibi vt à Domino intercedens poſceret, ipſoque cor ſuum repleret. Poſt paulò quàm pannus admoueri cœpit, maxime ipſam inualit cordis anguſtia, nec non ſudor denſus eodem prorupit loco: &, ecce, media vix elabitur hora, cùm omnis eam corporis deſerit dolor, nec pòſt vnquam redijt. Simul etiam animi interiora diuinâ repleri miſericordiâ, ancillę eius deprecatione ſenſit. Hoc teſtari ipſe poſſum, vtpote illius probè conſcius: ego enim auctor fui, vt ſacrum ei hoc malagma applicaretur.

Quod ſequitur, mihi ipſi contigit. Cùm amplius menſem acerrimus pedum me torqueret dolor, vt nonniſi paululum, & ſummo cum cruciatu pedem ad inceſſum mouere poſſem, &, quæ adhibere noto malo ſolebam remedia, fruſtra iam eſſent; pridie lucis S. Apoſtolis Simoni & Iudæ ſacræ ad veſperam ad ſacras ſtatui B. Matris Tereſæ, velut ad extremum vnicumque aſylum, reliqua medicorum corporalium ope intermiſſa, confugere: tametſi, quantum è ſuperiori conijcere tempore poteram, omiſsis illis remedijs, maximis vererer ne me cruciatibus nocte illa ferendis exponerem. A quo ergo tempore hoc ipſe decreui, ad hanc vſque diem, pridie ſcilicet Idus Maij, anni vndenonageſimi, qua hæc eadem litteris mando, vehemens me pedum dolor non corripuit: quoties enim is denuo ingraueſceret, arculam, qua pauxillum carnis B. Matris incluſum erat, adibam, & tum is extemplò euaneſcebat. Poſtea verò adeò integris fui pedibus, vt ab omni prorſus fuerim pœna liber, & quocumque neceſſe foret, haud ſegniter me conferrem. Biduo etiam cùm ex crure laborarem, & malo leuando quælibet adhiberem remedia, quòd id me grauiter diuexaret, tandem, nequidquam humana expertus, diuinaque exquirens, arculam meam cùm adiſſem, omni prorſus vacuus cruciatu manſi. Hæc exeunte Aprili, anno eodem, fiebant. Sed, cùm quindenis pòſt diebus me crus denuo fatigaret, ad idem recurrens perfugium, planè ſoſpes

ſoſpes euaſi, nec eumdem pòſt ſum dolorem, ad vſque ſcilicet Iulias anni nonageſimi Kalendas, quibus hæc typis excuduntur, expertus.

Franciſci Cardenas Albenſis ciuis iam duobus annis ita caput hiabat, vt cranium internè putreſceret, iamque mortuo quàm viuo propior appareret. adeò intenſi eius erant dolores, vt diu noctuque querulus expoſtularet. Verùm, cùm panniculus oleo, quod ſancto è brachio promanat, tinctus putreſcenti eſſet caluariæ admotus, & os quoddam palmari magnitudine cranio excidiſſet, dolor omnis ilico euanuit, nec poſtea hominem torſit, & fieri plagæ meliùs cœpit. Noxius verò humor ille à capite in brachia diffluens cùm nouum Franciſco dolorem afferret, iiſdem linteo eodem tactis, nullum deinceps vel in capite, vel in brachijs ſenſit cruciatum.

## CAPVT VI.

### *ENARRANTVR MIRACVLA, QVAE AD VEſtium Tereſæ de Ieſu contactum Omnipotens patrauit.*

PEr veſtium ſanctæ huius Matris fruſtilla patrata miracula non pauciora ſunt numero, nec pondere inferiora; quia hæc & pluribus ſunt, & plura per loca communicata.

Monialis Albana inflammatum habebat hepar, vt putiſcentia eijceret phlegmata; os quoque tanto calore ſuccenſum, vt die nocteque aſsiduò frigida in os accepta caloris æſtum leniret; putabatque non ſibi os modò, verùm etiam fauces & interanea aduri. Incaſſum iam tentarat medicos, & vtcumque diuturnum id malum erat. Sed cùm pauxillum è manica B. Matris gutturi appoſuiſſet, minui tum paulatim cœpit incendium, pòſt verò etiam penitus reſtinctum, nec reuerſum.

Eadem deinde grauiter adeò ex capite cùm laboraret, vt ipſum vix ſuſtinere valens corpus, in terram proruere videretur, interdum etiam ſenſuum vſum præ doloris rabie amitteret; alium ſimul admouit pannum, & omnis prorſus ab ea euanuit dolor.

Alia monialis cùm os immiti verbere percuſſiſſet, vnde & ipſum & maxillæ confeſtim intumuere, & acerrimus dentes dolor diuexauit, fruſtillo pallij Beatæ Matris applicito incolumis & expers doloris manſit.

Fuit, quæ ex ſtomacho alijſque infirmitatibus adeò pertinaciter laborabat, vt omnes is dapes ingeſtas ad dies aliquot egereret, ſæpè etiam triduo nihil penitus deguſtaret. Accedebat ad mali grauitatem, quòd feſta potiſsimum luce hoc ipſam malum inuadebat, vt ſacræ ideo com-

munionis sumptione abstinere cogeretur. imò verò postremò, & antè etiã adeò vehemẽs id fuit vt, cùm de vita actũ crederet, ad æternitatis momẽtum se per confessionem disponere cuperet. Vt ergo fasciam aliquam, quam B. Teresa gestarat, sibi accinxit, ægritudo statim imminui cœpit. Et cùm primùm hoc ipse intellexi, triennium iam effluxerat, ex quo nullam ipsa senserat in stomacho ægritudinem; tametsi à nocituris minimè sibi cauisset, quin potiùs morbum, noxia vsurpando, prouocasset.

Aliam vber hebdomadâ totâ ita afflixit, vt vereretur, ne à cancro ipsum exederetur; quòd ipsum iam occalluisset, & ad brachia vsque radios transmitteret. Sed, postquam aliquod è pallio Teresano frustum adplicuisset, & callus & dolor abijt, nec subinde redijt.

Ophthalmia aliam quamdam lancinabat, ita quidem acriter, vt alter oculorum aliquando ei capite videretur eximi. cui applicita è reculis B. Matris quapiam, malum pelli quamprimum cœpit. Et id quidem frequẽs fuit: hinc aliquoties illã vltrò adhibere oculo noluit, vt hoc pacto, aliquid patiendo, meritorum segetem suorum adaugeret. iam enim vsu nouerat, cùm quid rerum Teresæ adhiberet, malum amouendum.

Cephalalgia acris aliam conflictabat, sic vt legere in libro nihil pium posset (erat enim tũ hora lectioni spiritualis libri destinata:) cùm ergo fatigata in scrinium, in quo B. Teresæ vestes asseruabantur, caput reclinaret, dolor ipsum quamprimum reliquit. tanta autem scrinio prodibat fragrãtia, facilè vt intelligeret, illius se contactu à pœna liberatam.

Sacerdos Albanus Ouiedus nomine à pustulis vareolisq; infestabatur adeò, vt sensuum esset impos. Sed linteo, quo sacrum Teresæ corpus fuerat inuolutum, illi superposito, protinus sibi redditus est, perinde ac si profundo emersisset somno; & subinde nullum languorem est expertus.

Ioanna Pacieca de Mendosa, Comitis Pueblæ Montalbanæ filia, & Alfonsi Bracamontij Dynastæ Pegnarandæ coniux, grauiter annum amplius è faucibus laborarat, & per interualla quidem dolor increscebat. Iam incassum leuamenta medica adhibita erãt, sanguinis facta imminutio frequens, vnguina deniq; varia. Cognito verò apud Manserenses Excalceatos quoddam M. Teresæ asseruari indusium, ipsum ad se deferri iubet, allatum gutturi admouet; nec nisi quindenis euolutis diebus abstulit. A primo verò quo id adhibitum momento, mitigari cruciatus cœpit, &, quibus obnoxia erat doloribus, nullos postea persensit. Rei huius tabulæ in ipso oppido Pegnaranda à Michaële Petrio scriba publico, pridie Idus Martij, anno octogesimo septimo confectæ: coram quo hoc quod dixi miraculum Ioanna iurata asseruit.

Bernardina de Toleto in Dentrano Albç monasterio monacha, ardenti æstuans febri, cùm laneam subuculam albã, quam B. Mater viuẽs gestarat, induisset, ilicò sudare cœpit, ac confestim febris cessauit, &, mirantib. medicis

dicis monialibusq; omnibus, nihil minus opinātibus, sospitatē est cōsecuta.

Maior Mexia, eiusdem cœnobij monialis, è podagra & ischiade in paralysin inciderat, & grauiter ab eadem torquebatur. Malagma vnguinosum applicant medici; sed, cùm post semihorā dolor inde ingrauesceret, ipsum tollere conati, minimè potuere. Induitur itaq; scapulari B. Matris: &, ecce, euestigio dolores minuti, & ita dēsus sudor corpore cœpit effluere, vt mutanda fuerint linea; deniq; commodè emplastrum dimoueri potuit.

Eadem de qua suprà, Bernardina de Toleto, cùm eo ex morbo, è quo etiā decessit, decumberet, tam grauis eam & veternosus oppressit sopor, vt excitari eodem, nisi admotis stimulis pungentibus doloribusq; inflictis non potuerit: vbi verò euigilabat, sensuum omnium erat impos. Angebat monachas, hoc eam in articulo, vnde dependeret æternitas, eò impotētię redactam, itaq; exspirare. Accedens deinde Maior Mexia, eiusdē loci religiosa, quamdam B. Matris vittam ęgrienti dum applicat, expergefacta est, & sensib. restituta suis, quorum etiam ad mortem vsq; compos fuit. Quæ omnia vniuersæ loci eius sorores, etiam hodię haud inuitæ testantur.

Ioannem Ouallium Albæ commorantē quadam die morbus torquebat articularis: hinc vxorem Ioannam de Ahumada aliquid reliquiarū B. Teresæ iubet afferre. Verùm dum pedē exerit, vt ei reliquiæ adhiberētur loco, qui maximè eum fatigabat, toto cœpit corpore contremiscere, & tremore quidem nouo, non quali vulgò homines concuti cōsueuere. Ergo vt propiùs aduertit, & parum censet decens fore, pedibus venerandū illud pignus applicare, capitiq; demum adiungit; tremor omnis primò minui, deinde penitus cœpit euanescere, vti & podagrici dolores; quibus quiescentibus quieuit & ipse, ac placido somno obdormiuit. Hoc mense Ianuario anno sæculi euntis factum cùm esset, sequentis anni mense Iunio id illius ex ore accepi, vti nec ampliùs podagra exinde se laborasse.

Anno verò sexto & octogesimo, ipsis Ianuarij Kalēdis, illustre & insigne ad memoriam, ad ancillæ suæ intercessionem, operari voluit Altissimus prodigium. Hunc porrò res in modū contigit. Inter Excalceatas Metinēses Nouitia agebat, Ioanna de S. Spiritu cognomine, quam sesquiannum, eoq; magis, continua exagitarat febris. Accesserant ad hanc vltimo semianno & aliæ ægritudines grauiores; paralysis nempe, quam ischiadica pepererat arthritis, nec non impotens membrorum omnium languor, vt nec lancem manu gestare, nec loco se mouere quidem posset, nisi duabus hinc inde monialibus suffulta. Cordis quoq; deliquium illi propè quotidianum erat. Cùm verò vehemētiùs dolorum æstu opprimeretur, sæpè rerū B. Matris aliquid sibi præberi poscebat; sed infirmarum id curatrix adferre negligebat. Tandem diei Dominicæ circumcisionis tertia post meridiem hora, aliquâ fasciæ Teresanæ portione illi admotâ, ita intenderunt dolores, vt iam iam animam efflaturam se crederet. Hanc igitur cùm

auferri pòst paulò iussisset, quòd ferendo dolori impar esset; alia eam monialis adhortata, Eia, inquit, soror, fidem concipe, & exsurgere connitere. vestita siquidem erat; quòd eo ad sacram esset communionis mensam die deducta. Vix verba finierat, cùm manum ægrienti porrigens, erigere ipsam tentat. Ergo solo sese tenens, vireśque sibi eundi redditas sentiens, sola per incommodos satis gradus descendit, Præfectam euocans, & teneriore quodam pietatis fletu sodales omnes ad Deo Opt. Max. eiusque ancillæ Teresæ gratias persoluendas inuitans, quòd omnis iam esset infirmitatis expers. Mirabantur omnes viso prodigio, somnij fabulam se audire ratæ. Ceterùm ipsa nulla exinde febri, nullo animi tentata deliquio est, & nullius nixa adminiculo, quocumque collibitum erat, sese conferebat. Octo pòst mensibus Metinam ipse pertransiens, quò rei huius redderer certior, Ioannam conueni: à qua ea, quæ antè sunt de reddita salute narrata, seque exinde confirmata valetudine fuisse, præsens accepi.

Eadem in domo Mariam de Conceptione nouitiam semitertiana febris conficiebat; adeò quidem pertinax, vt, tentatis nequidquam omnibus artis suæ medicus solatijs, nisi de cœlo ope diuina sospitatem consequeretur, vllam de vita spem negaret superesse. Illius tamen suasu cùm aluum purgasset, in deterius prolapsa est, & continua æstuare febri cœpit. adeò vt æstuans tertiana paroxysmus alter alterum continuo successu maximis cum angoribus exciperet. Hoc se in statu cùm Maria cerneret, de rebus B. Matris aliquid sibi petijt afferri: allatum ergo frustillum manicæ eius, quam induta erat, dum animam redderet. Eâ ipsâ horâ, quâ id admotum, (tum scilicet, cùm frigoris acredo accessura erat) ita omnis eam reliquit febris, ac si antè non febricasset: vt qui manè eam in extremo vitæ reliquerat discrimine medicus, post meridiem, eam sospitem videns, perspicuè miraculum agnouerit, & in laudes proruperit eius, qui famulæ suæ id patrocinio esset operatus.

Palentiæ cuidam febrienti cùm vitta B. Matris applicata esset, ilico is habere cœpit meliùs. Eadem vitta alium etiam grauiter ægrotantem valetudini restituit.

In Palentina Excalceatarum domo B. Matris reliquiæ duas à dolore dentium, aliam ab aurium liberarunt.

Alia eiusdem instituti monacha tam vehementer ex oculis laborabat, vt quietem capere non posset. Laciniâ aliquâ è vestibus sacris applicitâ, dolor desijt, nec postea redijt.

Fuit quam decem propè annis humerus & brachium ita affligebant, vt nullos hoc in vsus librare posset. Hæc cùm, sodalibus vestem à B. Matre olim gestatam adaptantibus, manicam eiusdem proxima nocte malè affecto lateri adplicuisset, postridie sibi reddita, periculumque factura, num

Digitized by Google

num brachio vti posset, ijsdem se pollere comperit viribus, quibus antè. nec simile malum post hac secutum est.

Excalceata Albana pedem in clauum induerat; qui dum è vulnere intumescit, aduocatus chirurgus medicamenta malo sistendo, ne sursum proserperet, adhibet. Sed hæc ipsa, absente infirmariæ præfectâ, cùm abstulisset, insigni cum fiducia, sed non labore (quòd maximo torqueretur dolore) in genua in lecto procumbit, atque hæc ipsa secum, *Si fidem habeam, quid alia medicamenta præter hanc requiro?* Extemplò igitur aliquem B. Matris pannum pedi applicat; tum tumor euanuit, & pedis redijt vsus. Hæc ipsa est, quæ olfactus destituta sensu, ipsum moriente Teresa, vt in loco narraui, recepit.

Eodem in monasterio quædam triduo ex humero laborabat, & tentatis humanæ opis medicamentis, frustra tetenderat: sed postquam Teresæ vestem induisset, cruciari desijt.

Ibidem alia vno, antequam Mater vita decederet, anno tam ardenti se æstuare in visceribus sentiebat flàmma, vt ferreo quodam cingulo, eoque ardenti ac lato lumbos crederet ambiri. Iam defecerant humanæ artis subsidia: quin etiam postquàm ad superos iam Teresa abisset, grauiùs is ipsam ardor adussit. Verùm, cùm pallium eiusdem demortuæ sibi superposuisset, sanitatem recuperauit.

Hoc postremo Iunio, anno sæculi huius duodenonagesimo, cùm de Socijs nostris Salmantinis Martinus Gastiatiguius Cantaber, ad patrios abiturus lares, aliquas me B. Matris poposcisset reliquias, modicum de eiusdem pallio & tunica accepit, nec non linei, quo brachium fuerat inuolutum, panni. Ad suos ergo cùm peruenisset, in Maneria pago, medio ab opido Durango lapide, rogatus nū quas penes se haberet reliquias (eo namque loco Ioannes Gortius quartana abhinc triennio febri semitabidus laborarat, & eò tum redactus erat, vt spem vitæ medici abiecissent) alias se negauit habere præter eas, quas dono acceperat, & quidem eas Teresæ esse, illiusque vt opem exposcerent, suadebat. His, cùm febris accederet excandescentia, de collo languentis Ioannis appensis, cùm quidem illa tum accedere vereretur, vti & postea, sospitem illum frater noster inde digrediens reliquit, & optimè erga B. Matrem animatum. Vt primùm in vulgus didita ea fama est, frequentes ad eum accessere aliquid sibi harum reliquiarum dari multis cum lacrymis, & singulari pietatis sensu postulantes; atque ij potissimum, qui ad scelestas sibi ipsis manus inferendas à cacodæmone instigabantur, & à malignis lemuribus infestabantur. Quorum ipse postulatis cùm annuisset, quinque vel sex ad eum venêre immensas pro impenso beneficio gratias agentes; atque hi quidem ab id genus se tentationibus, à spiritibus infestis illi se earum ope liberatos gratanter professi sunt. Hi porrò spiritus puerorum vagien-



Digitized by Google

tium exsugebant sanguinem, & varijs eos infestabant modis; neq; hos modò, verùm etiam grandiores, quà poterant, exagitabant.

Maria quoque Galarragia, Senatoris Durangensis vxor, ab hoc etiam Martino instanter aliquid de lipsanis Sanctæ huius contendit, quòd côiux iam à medicis derelictus de vita desperaret. hæc firmiter sperare sese aiebat, fore, cùm alijs salutaria hæc fuissent, etiam marito vt auxiliarentur. Præter frustillum vestis sibi nihil reliquum esse Martinus dum diceret, quod sibi seruare decreuisset; multis id ipsa cum lacrymis rogauit: quibus ille motus tandem, quidquid habebat, discedens matronæ impertijt. Triginta verò pòst diebus cùm Durangum Frater ille reuertisset, hęc in media illi occurrens platea, multis spectantibus, alta inclamat voce, harũ ope reliquiarum sanitati maritum redditum esse, & postridie eius diei, quo eas accepisset, & cibum sumere, & loqui, & meliùs habere stupentibus medicis cœpisse, & quinto tandem pòst die penitus conualuisse: quem Martinus etiam sospitem conspexit. Quicumq; eas tractarant reliquias, suauem eas spirare odorem professi sunt; quæ etiam in Cantabria remanentes, ardẽter ab omnibus expetuntur. Idem verò Martinus comperto, quanto illę apud suos populares essent in pretio, pannum mihi dedit lineum, quo postquam ad dies aliquot brachium Teresę fuisset inuolutum, ipsum illi in Cantabriã mitterem. Hæc porrò eo maiori procurat studio & ardore, quòd in se etiã ipse, quàm reliquiæ hæ potentes sint, expertus sit. Cùm.n. postea ad oculum vsq; maxillarum altera illi intumuisset, tunicæ se Teresanę particulam, quam Burgis acceperat, habere recordatus, sibi applicuit, & protinus gena detumuit. Ipse redux coràm mihi narrauit, quidquid hic à me scripto mandatum est.

Palentinum Senatorem colicus tentabat dolor: quem frustra irritoq; conatu cùm depellere medicus nititur, de vestimento Teresæ pauxillum, quod ab Excalceatis acceperat, cùm corpori admouisset, euestigio sanus factus est.

Albana Monialis, è dentibus ægrotans, è pannis B. Matris aliquem applicuit: sed cùm ne sic quidem leuamen sentiret, & præ doloris vehementia quiescere non posset, Vult fortasse, inquit, Mater nostra me quidquam pati: quo dicto pannum sustulit, & ilicò dens cum fragore disruptus, & dolor pulsus est.

Petri Rodericij de S. Georgio vxor, eodem in opido, triduo parturiens fœtum eniti non potuerat, etsi omni allaboratum esset ope, & varię Sãctorũ de collo eius appensæ reliquiæ. Maritus igitur ab Excalceatis pannum B. Matris petitum excurrit; qui postquam puerperæ corpus tetigisset, fœtum ilico effudit sospes sospitem.

Mariæ Lopiæ Alfonsi Lopij coniugis in opido Petrahita, dirus satis diu mamillam cancer adederat: ad humerum vsque iam proserpens malum

lum

Digitized by Google

lum tam tetram abſceſsionem pepererat, vt etiam hunc à cancro occupandum non inanis eſſet coniectura. Caſſa erant omnia quæ adhibebantur medicamenta etſi varia quoad Tereſanæ faſcię pars membro malè affecto admota, quam Albæ acceperat, omnem languorem diſpulit.

Eodem in opido aliam pariendi difficultas ad extremum propè redegerat, quòd emortuum fœtum ejeciſſet. cumque etiam alius vtero lateret, nequidquam tentatis omnibus, ipſum edere in lucem minimè poterat. Sed cùm conſobrina eius, eadem ſcilicet, quam antè feliciter enixam diximus, eamdem faſciolam alligaſſet, ſine vllo negotio prolem peperit, & benè valuit.

In ditione Nauenſi, haud procul Pegnaranda, Franciſci Blaſcij vxorem ſeſquiannum propè totum manuum tenuerat torpor & paralyſis, vt nonniſi alieno miniſterio cibum in os inſerre poſſet. Sed cùm nouies ex interuallo B. Tereſæ adiſſet ſepulcrum, ſoſpes ad ſuos redijt, & manuum nacta vſum, numquam non id prodigium deprædicat.

Anno ſeptimo ad octogeſimum Annam Maranciam matronam pietatis ſtudio nobilem, & magnæ auctoritatis Salmanticæ tam dirus tibiæ corripuerat dolor, vt incedere non poſſet, verereturq; vt ampliùs adire ſacrorum cauſa templa non poſſet, niſi à baiulis delata. Sed è Tereſæ pannis à Monialibus acceptum aliquem cùm tibiæ obuoluiſſet, protinus languor pulſus eſt, nec poſtea recurrit: quin potius, etſi ætate grauis, & pedibus iam valet, & corpore toto. has ipſamet dein reliquias Mariæ Salapæ pleuritide iam ad dies aliquot laboranti cùm dediſſet, etiam hæc illarum adminiculo ſoſpitatem inuenit.

Eaſdem quoq; cùm Licentiato Guillenio, Collegij ibidem à S. Millano cognominati alumno, qui à graui morbo iam ſurgens, varios toto corpore, & præſertim capite, brachijs, & tibijs, languores contraxerat, conceſsiſſet; has ille geſtando ſanitatem quamprimum conſecutus eſt. hac de cauſa in grati animi ſignum, Albam delatus, magna pietate eiuſdem Tereſæ brachium ſalutatum venit.

In municipio Capo, haud procul à Compoſtella, cùm anno huius ſæculi octauo ſupra octogeſimum, mulieri fœtum exanimem aliquot diebus vtero continenti, nec edere valenti, Beatrix Bermudezia de Caſtro (cuius in poteſtate ea verſabatur) pauxillum de reliquijs B. Matris miſiſſet; his vtero impoſitis, vix ſemihora effluxit, cùm facili partu non ſine maximo matronarum ſtupore (erat enim extinctus) fœtum enixa eſt.

Vna de pediſſequis Aloiſiæ de la Cerda ab odontalgia vexata, quam habebat vittam B. Matris, à domina ſua popoſcit. ſed huius admotu dolor increuit vſque eò, vt vittam auferret. At cùm aliquot poſt dies dolor idem recurreret, & maiori ſibi vittam fide adhiberet; momento is ceſſauit, nec redijt vmquam.

Ioan-

Ioanni Tapiæ apparitori primario Albano catharrus diuturnus odoratus sensum occluserat, sic vt nec benè, nec grauè olens quippiam biennio continuo perciperet. Sed capiti dum obuoluitur linteolum, quod B. Matris brachium tetigerat, quatuor euolutis, quibus ipsum gestauit, diebus, allatum rosmarinum, ac thymum, mirantibus domesticis omnibus, olfecit, prout oportuit; atque ex eo tempore quoslibet interstinguere odores potuit.

Bartholomæi Martinij filia Isabella, in pago, cui patrio vocabulo nomen *Nabarros delcastillo*, altero à Pegnaranda lapide, vehementi acrique æstuabat febri; sed eiusdem loci inquilina mulier, quæ linteum simile habebat, illi ab eiusdem instituti sectatrice filia transmissum, ipsum aqua abluit: quam febricitanti potandam cùm dedisset, ipsa subitò euanescente febri postridie in agrum ad opus abijt.

Possem hic & alia minora referre, vti & quædam, quæ mihi contigerunt; sed studio ea visum omittere, ne quælibet, velut mira & prodigiosa, habere velle videar. Huic igitur capiti finem eius imponam commemoratione rei, quam ex eo ipso, cui facta est, accepi; quam & alij permulti ex illo, quòd eam non illibenter narraret, audiuere. Carmelitarũ Excalceatorũ Prior quispiam ad ceteras, quas de collo gestabat reliquias, etiam quasdam B Teresæ addidit. Huic quodam tempore sacras Altaris vestes induenti scrupulus est illapsus, quòd alijs Sanctorum legitimè ab Ecclesia inuocari iussorum reliquias alterius nondum inter Diuos relatæ permiscuisset. Sed cùm ad easdem inde tollendas aliquatenus animus propenderet, aliunde allato repentè nuntio distractus, eius pòst rei non est recordatus. Exinde in altari iam versantem anxietas animi adeò premere cœpit, vt eas quamprimum inde tollere, si quidem licuisset, voluisset. Hæc dum animo volutat librans, magnam intra se luctam sentit, & reprehensionem; hinc quidem blandam & amicam, inde verò asperam & amaram. Audire namque quamdam videbatur improperantis vocem, ingratitudinis eum insimulantem, & indignum dicentem, qui tam pretiosa lipsana custodiret. Inde verò tam teneras prorupit in lacrymas, tamque excellens aduersus hasce reliquias & ipsam B. Matrem affectus animo inortus, vt suum haud grauatè cor aperuisset, quò easdem huic includeret. Vnde eum in Teresam consecutus est amorem, vt numquam non de eiusdem sanctitate sermonem misceret, inque miracula illius, quæ hinc inde patrarat, sedulò inquireret: quorum cùm non pauca iam accuratè collegisset, hæc deinde ipse mihi insigni cum affectu ac pietatis sensu libens exhibuit.

Huic iam capiti cor quidem imposueram, cùm IV. Nonas Maij anni nonagesimi, quo hæc prælo subijciebantur, ipsum quod modò commemoraturus sum, contigit: quod etiam mihi religio fuit omittere, cùm quòd

cùm quòd digna res ſit memoratu , tum quòd de eiuſdem mihi veritate vſquequaque conſtet, tum denique, quòd omnium hocce volumine traditarum ſit nuperrima. Anna de SS. Trinitate, de qua aliàs dixiſſe memini, Excalceata Salmantina pleuritide laborabat: quia cùm nonnihil ſe dolor remiſiſſet, quinto pòſt die tam vehementer recruduit, vt denuò ei venam incidi iuſſerit medicus, quò de nouo curatio adhiberetur. Interea dum quæritur phlebotomus, ſed non inuenitur, ipſa ſubuculam , quam induta Tereſa erat , cùm Vnctionis extremæ illi Sacramentum adminiſtraretur, capiti imponit , mox toto ſudor fluere cœpit corpore, qui quò erumpebat denſior, eò febris & pleuritis decreſcebat magis, tandem ſudore, qui ſeſqui horam propè tenuit, ceſſante , ceſſauit & dolor. Quibus interueniens Medicus ab omni eam febri liberam comperit, atque ab eo die eadem pòſt magno cùm Medici, tum omnium præſentium ſtupore non recurrit.

## CAPVT VII.

### *NONNVLLA COMPLECTITVR PRODIGIA, quæ per imaginem B. Matris Omnipotens operatus eſt, vnum item, quod per eiuſdem epiſtolam.*

FErdinandus Treius Hiſpalenſis Dei virtutumque cultor impiger hanc ipſam ob cauſam adeò pertinaciter à malignis ſpiritibus impetebatur & vexabatur, vt etiam ſe viſibiles exhiberent. Quadam die cùm vis & infeſtatio increſceret, quòd ad multos iam dies moleſtiam cõtinenter exhiberent, nullamque quietem concederent; ſculptam quamdã glorioſæ Deiparentis Mariæ imaginem, quam habebat, illis obiecturus erat, huius ad conſpectum eos in fugam actum iri ſperans: ſed, fortè fortuna, quãdam Tereſæ de Ieſu inſcius malignis ſpiritibus , quorũ clamoribus & vlulatibus obtundebatur, effigiem obiectauit. Ad cuius primum intuitũ tã repentè vociferantes inde abacti ſunt , perinde ac ſi violenter fuſtibus quis inde exegiſſet. Atque hoc ille pacto tã ab exterioribus illorũ moleſtijs, quàm internis exagitationibus eſt liberatus, quam ille gratiam paſſim omnibus, inſigni quadã cũ gratitudine & deuotione, cõmemorat. Inde verò ita ſtrenuus B. Tereſæ factus eſt cliens, numquã vt eius imaginẽ collo deponat. Cuius ſi vxor liberive aliquo vexentur malo, magna hanc illis fide ſuperponit, illius ipſos ope ſperans ſalute donandos.

Excalceata quædam terribili, quæ multos iam dies tenuerat, afflictione vexabatur, cumque fruſtra omnia adhiberet remedia, & quid faceret, ignoraret; nocte quadam mœrore oppreſſa grauiſſimo, effigie quadam Tereſæ animum nonnihil recreatura ante ſe poſita, eam fixis intuens

tuens oculis, oblectare se non aliter cępit, ac si præsens viuaque adstitisset Hæc dum fiunt, in animæ suæ intimo videre sibi visa est Teresæ oculos Deo plenos; atque ipsam verbis charitatem spirantibus sibi persuadentem audire, vt ad hanc se tribulationem Dei causa ferendam disponeret: quæ enim ipsam maneret merces, ingentem adeò esse, vt nullius queat hominis cogitatione comprehēdi. Tam efficax porrò muta hæc fuit exhortatio, vt omnes, quas in animo experiebatur, tenebræ ad radium hūc dispulsæ sint, tantaque eam quiete & gaudio compleuerit, vt haud obscuris patuerit indicijs, supernaturalem quamdam Teresa intercedente gratiam illius in animum illapsam esse.

Sacerdotem Palentinum, diuini virum reuerentem Numinis, qui B. Matrem viuam coluerat, diebus aliquot tanta vexauit mentis angustia & scrupulus, vt triduo ipso sacris celebrandis idcirco abstinuerit. Hanc ob causam Teresæ sese commendauit, quæ vicissim illi sacras Horas recitanti apparuit, dicens, *Rectum insistis iter fili mi, porro perge, & in eodem progredere.* Tū ille pedibus eius aduolutus, ab eadem petijt benedici. Excepit Teresa, *Benedicat te Deus*, dataque ei sculpta quadam sui imagine, illico ex oculis euanuit. Tanta porrò sacerdoti indita quies, sacrificare vt potuerit; qui datam iconem magna asseruans fide & veneratione etiamnum hodie & eam habet, & quę narrauimus, omnibus enarrat.

Religiosus (vt quidem aliquoties eiusdem met ex ore accepi) postridie ad populum in concione acturus, cùm nullum, quod arrideret, menti cogitatum occurreret, nocte superiori ante B. Matris imaginem inambulabat: ad quā accedenti propius subitò salutaris vtilisque de Euangelio diei occurrit conceptus, cuius occasione etiam multa ex alijs audiuit, quique affatim & materiæ exhortationi, quam parabat, suggessit, & singularem auditoribus fructum attulit. Erant ea autem huiusmodi, nunquam vt similia ipse vel legisset, vel audisset, vel cogitatione agitasset. Tam porrò repentè hæc illi indita, facilè vt colligeret, donatum id esse, non præmeditando præceptum, vel ab intellectu efformatum, qui quoties hac de re etiam postea cogitaret, permagni hanc inspirationem faciebat, & nonnisi à B. Matre id sibi profectum haud obscurè intelligebat.

His simile addere possumus, quod non imaginis, sed epistolæ à B. Matre missæ adminiculo contigit. quoniam verò, cui ea est gratia data, Deū timet, fideque dignissima est, & hoc ipse quo hæc scribo tempore, quas ad Præpositum Excalceatarū Palētinensium huius rei testes literas misit, asseruem, integrè rē, prout gesta est, hic cōmemorare potero: & est hæc sanè certissima. Nomen huic Genouefæ à Toleto, quæ ibidem S. Claræ est institutum professa. Laborabat hæc Dei ancilla ex stomacho: cui consultū & salutare fore videbatur, quasdam à B. Teresa de Iesu olim acceptas litteras sinui imponere. Has ergo produxit, suauissimè alioquin redolentes (quem

illa

illa odorem non parum mirabatur, quòd quo repositæ erant loco, nullus hunc perflaret) & in sinu gestauit. Post triduũ ergo lectulo cùm surgeret, easdem quietè relegit, vt lectas in sacculo vnà cum alijs reliquijs reponeret, nunquam eas quoad viueret à se depositura. Inter relegendum autem quædam notauit, quorũ neminem à morte sua conscium volebat, hinc lineæ, in qua hæc exarata erant, eradere initium cœpit. Dũ autem eradit, angi intra se cœpit, ac cogitare, rectene id à se fieret; sed recta, qua id faciebat, intentione nixa, & nihil quare id minimè faceret esse censens, in obliterando pergit, & aliam lineæ delet partem. Tũ de nouo inaugeri angor & scrupulus, & ecce, aliud sequi prodigium: quem enim hactenus perceperat in epistola odorem, prorsus euanuit. Hanc deinde cùm de Minorũ Ordine Pater interuenisset, & de rebus B. Matris ortus inter eos esset sermo: *Negare*, inquit, *non potes carissima, quin aliquam B. Matris Teresæ de Iesu habeas reliquiam: nam & ad nares etiam meas odor eius dimanat; atq; is reuera est odor, quo quidquid eius est, imbutum est.* Tum Religiosa vnas se habere dicens litteras, eas, vt erant complicatę, sacculo eduxit, sed has ipsa naribus dũ applicat, nihil prorsus odoris percipit. Intellexit igitur, ob suam se in pauculis illis epistolę verbis eradendis audaciam, hoc odoris, quem alij percipiebant, beneficio à Deo priuari. Id verò tum patuit manifestiùs, cũ idem non multò pòst spatio Monachus mirabilem quemdam ab eadem ait odorem epistola proficisci: quem tametsi alij percipiebant, haudquaquam tamen ipsa olfaciebat.

## CAPVT VIII.

### *VARIA ENARRANTVR MIRACVLA, QVAE AD TERESAE de Iesu inuocationem Deo in terris visum patrare.*

QVæ ad inuocationem sanctæ Matris contigerint miracula, numero esse crediderim plurima, si modò ipsa nossem; illorum tamen aliqua hoc loco commemorabo. Anna de S. Bartholomęo (quam à B. Teresa etiamnum in viuis agente iam suprà in loco narraui à dentium dolore alijsque malis liberatam) cùm corpore sancto Abulæ requiescente, die quadã ita malè affecto esset corpore & exhausto, & grauedine torpido, ipsum vix vt traheret, & nihil agendorum, etsi eorum mole æstuq; obrueretur, commodè posset exequi: ad sanctum Matris confugit corpus, & coram eo aliquantisper in genua prouoluta, eius se precibus sedulò commendauit, se vt iuuaret obsecrans, & secum ipsa esset, quod nihil omnino valeret per inualetudinẽ agere. Confestim igitur sana inde surrexit, & ijs, quæ sibi plurima agenda erant, negotijs mira promptitudine vacauit: quocunq; verò sese locorum conferret, nõ aliter odorem, qui ab Teresæ exhalabat corpore, naribus præsentem habuit, quàm si ante oculos ipsam habuisset. Eas porrò in se notauit vires, eam agendi facilitatem, vt quatuor se viris plura præ-

ra præstare posse censeret: quin si quid aggrederetur, ipsum velut iã ex to confectum, vel perinde ac si alius quislibet suo ipsum loco perage inuenire sibi videbatur.

Cùm Albam corpus sanctũ Abulâ referretur, in Manserana Excalc torum domo nocte vna diuersatũ est. Decũbebat eo ibidem tẽpore è bri hemitritæa P. Antonius de S. Maria: quẽ Præses Nicolaus de S. Cy lo consolaturus, lecto surgere iubet, vt sanctũ cũ alijs stiparet corpus. cit ille imperata gaudens; & sacras comitatus reliquias, & ob magnal ancilla sua Teresa exhibita, supremo Numini gratias agens, singularẽ q dã sensit suaueolentiã, qua ille, velut stimulo, est ad magis diuinã bon tẽ deprædicandã animatus. Eiusdẽ diei vespera statũ erat mitioris fel accedẽdi tẽpus; sed, tametsi ad multã noctẽ vigil ageret, accedere illa lita est. Exinde Prior ad cubiculũ suũ cõcedere Antoniũ iubet, ne quid mia hæc ipsius valetudini vigilia officeret, in quo ille dũ agit per aliq tẽporis spatiũ, eundẽ odorem percipit, atque inde rursus multò pòst t pore. Atque eadẽ omninò erat fragrantia, quã Albæ, haud procul ab e dẽ sepulcro, perceperat mane, dũ corpus produceretur auehendũ, m cũ lacrymis vale illi dixit, eiusque se intercessioni ex animo commẽda eique supplex fuit, Deũ vt oraret, ne ijs se è morbis, quibuscũ luctaba educeret, sed vt eos ipse gratanter admitteret, sibique in ijsdem tole dis subsidio esset; & ecce, eodem die vehementior quoque febris non cessit, vti nec postea vmquam.

Senatoris Palentini mustum vindemiæ tẽpore adeò quidẽ in lacu ef uescebat, vt nulla humana cõpesci arte posse videretur. Rẽ ille cõspica Teresæ vinũ precibus cõmendat, Excalceatis se spondens monialibus nariũ aliquod missurũ. Subitò, ecce, mustũ turbulẽtũ, industria nulla hibita, detumuit, adeò vt ipsum vendere potuerit, qui, postea fidẽ libe in cœnobium stipem misit, & rem prodigiosam ex ordine retulit.

Multa hic præter ea, quæ suprà narraui, de me ipse referre possem, q sanctæ huius Virginis intercessione plura in me Deus cõtulerit benefi sed ea supprimo, etsi enim mihi ea prodigiosa videantur, alijs fortasse non videbuntur, qui me dicent studio, ac sine causa miraculorum adau re numerum velle.

Albanæ religiosæ faucibus piscis spina insederat, huic tollẽdæ cũ om humana insudans industria frustra esset (quòd nimirũ non appareret, profundiùs immersa diceretur) & ad liquidũ ipsa videret, quã præsen periculo versaretur, ad eũ se conferens locũ, quo sanctũ corpus depo antè fuerat (Abulæ nãq; tum requiescebat) cùm in genua prouoluta se Matri suæ cõmẽdasset, ori manu inserta, spinã eduxit, antè quidem sæp id tentarat, at numquam successerat.

In hoc igitur desinens, finẽ historiæ huic imponã, etsi ei iã in lucem

d

Digitized by Google

ditæ plura suo tẽpore miracula adiungi posse nõ ignorẽ, cũ quòd quęcũq; euenerint, ipse scire nõ potui (quãquã quã potui accuratissimè in ijsdẽ cõquirẽdis elaborarim) tũ verò, quòd Deũ Opt. Max. decreuisse videã sanctã hãc Virginẽ honorare, & illius nomẽ iã inde vsq; ab eo tempore, quo primũ vita functa est, celebrare. hinc crebra nouaq; quotidie illius opera patrat miracula, quòd fortasse breui in Diuorũ eã referri Catalogũ ac legitimè inuocandã præscribi cupiat, vt hoc pacto magis etiã innotescat & celebretur, pluresq; per eandẽ animæ adiuuẽtur. Etsi, quantũ ipse intelligo, Altissimus eã ipse, quoad vniuersa eã Ecclesia honorãdã decernat, quodãmodo vt sanctã habere, & canonizatã videatur, manifesto inquam illo, quod eius in corpore elucescit, tametsi alia deessent argumenta, miraculo. Quãobrẽ neminẽ adeò imprudẽtẽ ignarũq; arbitror futurũ, qui vitio mihi vertat, quòd hoc in opere sæpiùs, *Sancta mater, Sancta, corpus sanctũ*, aliasq; id genus loquẽdi formulas passim de Teresa eiusque rebus loquens adhibui. Cùm in hoc mihi præiuerint Sancti Ecclesiæ Patres & Doctores, etiã de superstitibus hoc modo locuti, necnõ ipse Paulus alijq; Apostoli. Quòd si quẽ fortè illud, aut simile quippiã torqueat (quãquã in hoc breuior ęquo potiùs, quã prolixior & diffusior dici queã) aliqua hic D. Antonini Archiepiscopi Florẽtini ex Historijs deprõpta verba eius in gratiã, & quò me purgẽ, producã. *Quãtũ aũt nobis (qui tenebris inuoluimur) permittitur iudicare de Sanctis, per cõiecturas & præsũptiones, ex gestis eorũ arbitror ambigere neminẽ, plurimos Beatos vtriusq; sexus nõ canonizatos ab Ecclesia, imò nec nominatos, nõ fuisse minoris meriti, & inferioris gloriæ multis Catalogo Sãctorũ adscriptis. Nõ n. canonizatio adijcit ad meritũ, vel præmiũ essentiale Beatorum, nec decernit sanctitatis gradũ, sed venerationẽ temporalẽ & gloriã, vt post ipsam possit solemniter officiũ celebrari & festiuari, quod aliàs fieri nõ dicitur.* Hactenus S. Antonini verba, in quibus (Domine Deus, qui Sanctos facis, eosque coronas) Historiã termino, quã de fideli ancilla tua scribere aggressus sum, vt cognoscat mũdus, ecquos in ipsa cõstitueris thesauros, tuũq; oẽs nomẽ in æternum extollant. Cumque omnis ipse sis, ô mundi Seruator ac Domine, sanctitatis & principium, & finis, cũque egregij & odoriferi hi flores, qui in sancto Ecclesiæ tuæ viridario & olim enati sunt, & hodie etiam nascuntur, nũquã rosæ, sed spinæ ac vepres exstitissent, nisi pretioso tuo fuissent sanguine irrigati, in æternũ in Sanctis tuis lauderis, ac benedicaris, Sãctis inquã, qui perfectissima digitorũ tuorũ sunt opera. Dignetur vtinã infinita bonitas tua cõcedere, vt exiguũ hocce munusculũ, quod tibi offero, ante cõspectũ tuũ in odorẽ suauitatis ascẽdat, & quod indignus ipse ac vilis peccator de tã eximia præstãtiq; ausus sim sanctitate loqui, nõ eò spectet, vt mearũ rursus iniquitatũ tibi subeat memoria (quòd opera mea ab his, quæ hocce volumine cõmemoraui, nimiũ quãtũ differ.) sed poti⁹, vt illius intercessione eæ mihi ignoscantur, nouũque in visceribus meis cor,

ſpiritus nouus creentur, vt illi inueniar, quàm ſimillimus, quam & ip complecteris, & ego diligo, ſi verò temeritatem non ſapiat, loqu ad Dominum meum, etſi puluis ſim & cinis, eumque venerans precabo vt, quotquot è pio erga ancillam tuam ſtudio ad fidelem & veram ha Hiſtoriam, etſi alioquin ineptè ſatis conſcriptam, legendam acceſſerin benignitate tua concedente, noua viuaque tui in æternum ob magnitu dinem operum tuorum laudandi, & illuſtrium harum virtutum imitar darum, tibique ex toto corde ſeruiendi eliciant deſideria. Quæ hic adm rantur opera, Domine, tua ſunt dona, & quocumque demum è loco rumpat veritas, ipſa à te proficiſcitur. Opera certè hæc ad emouenda veritatem potentia ſunt, eique multum dare roboris ad operandum ſ les. Ab illo verò me timore libera Domine, quo ſolùm metuo, ne ſua ide fruſtretur efficacia, quòd huius ego ſcriptionis fuerim inſtrumentum.

Tuque, ô Mater ſancta, cuius ad honorem & memoriam poſteris tr dendam hunc ſum laborem aggreſſus; etſi qui tuas referrem laudes m nimè promeruerim, quàm id ipſe ex animo & ſincerè fecerim, noſti, quòd à parte tua ſim adiumentum ac ſubſidium conſecutus. Erro ver dum me dico laborem inſumpſiſſe; nam nullum prorſus ipſe ſenſi, qu potiùs ſolatium quoddam mihi fuit ac voluptas hanc ſcribendi proui ciam ſubijſſe, etſi alioquin tempore quàm impeditiſſimo. Hoc vnum ſo licet ſpectaui, ne illuſtrium operum tuorum intercideret memoria: atq idcircò omni, quo potui, ſtudio & ratione contendi, vt in poſterorū perpetuò animis ſenſibuſque ceu ſuperſtes viuas, ſimul etiam ab ijſde celebreris, & velut morum pietatiſque ſpeculum inſpiciaris, & potens i Dominus, quo dante adeò mirabilis & illuſtris euaſiſti, in te ac per laudetur. Ignoſce, obſecro, ingenij mei tenuitati, necnon inopi ieiunæ meæ eloquentiæ, cùm noris meum tibi gratificandi ſtudium nec tenu nec inops extitiſſe. Cùm verò diuina mihi bonitas conceſſerit, vt hoc mundo te familiariter noſſem, ac me ipſa diligeres, meque diuinæ ei Maieſtati commendare in te receperis; hoc mihi, obſecro, ab illo imp tra, quod ab ipſo priuatis in precibus poſtulaui, ac numquam huius mi ri filij tui obliuiſcere qui tanto te ſtudio affectuque complectitur, qu ad meritis tuis ad beatum tandem Creatoris ac Domini noſtri conſpectum perueniam, vt ibi tecum, & cum Sanctis omnibus, eo fruar, & in ſæculum ſæculi ſanctum nomen eius dilaudem, Amen.

*FINIS.*

*SANCTISSIMAE TRINITATI, DEO VNI viuo ſit honor & gloria in perpetuas æternitates.*

IND.

# INDEX RERVM MEMORABILIVM CONTENTARVM IN VITA B. MATRIS TERESAE,

AVCTORE R. P. FRANCISCO Ribera Societ. Iesu.

## A.


*ABbatis Ioannis reuelationes.* pag. 25.

*Abbatis Sereni & Equitij visiones.* 77.

*Abecedarium tertiũ Ossunæ viam B. Teresæ monstrauit ad orationem.* 51

*Absentia nouit B. Teresa.* 93

*Abulæ nata est B. Teresa* 41

*Abulensis conuentus fundatio, & quas in ea passa sit ærumnas B. Teresa.* 79. & seqq.

*Abulense Excalceatarum monasterium cùm Domini iussu septendecim annis sub obedientia Episcopi fuisset, Excalceatis Fratribus subijcitur.* 231

*Actus interiores; quos B. Teresa suis in doloribus excitaret.* 377

*Adolescentis cuiusdam vilissimi à Martino Crucio Franciscano missi opera vtitur B. Teresa in fundatione Toletana, & quàm feliciter is omnia peregerit.* 160. 161

*AEdificia sua parua & tenuia esse volebat B. Teresa.* 391. 392

*AEternitatis consideratio B. Teresæ animum in puellari ætate percellebat.* 44.

*Afflictio grauis B. Teresæ, & sociarum eius ob monialem Nouitiam.* 219

*Afflictiones quid vtilitatis B. Teresæ attulerint.* 86

*Albertus Patriarcha Ierosolymitanus Carmelitarum Legislator.* 109

*Albanensis conuentus fundatio.* 178

*Alexander Cribellius Cardinalis B. Matri Teresæ licentiam dedit in scriptis ex Incarnationis cœnobio exeundi, & ab omni, quod Incarnationis Moniales in eam exercere possent, iure exemit.* 194.

*Alexander Magnus ab alio noluit pingi, quàm Apelle.* 4

*Alfonsus Maldonatus refert B. Teresæ stragem animarum in India ob prædicatorum penuriam.* 131

*Aloisia de la Cerda Ducis Aretinæ soror Teresam ad se euocat.* 93. *Aliam vitæ rationem inire cœpit, & tota eius familia ex B. Teresæ præsentia aliam faciem & mores induit.* 94. *Fundat Monasterium Malagonense.* 150

*Aluarus Mendosius Episc. Abulensis.* 92


Amor

Amor ardentissimus B. Teresæ. 74
Amoris iaculo transfigitur. ib.
Amor B. Teresæ in Deum demonstratur. 337 & seqq. 424.
Amor eiusdem in proximum. 346. & sequentib.
Amor diuinus quomodo obtinendus, & in quo consistat. 346
Amoris diuini impetus B. Teresam extinxit. 445
Angustiæ B. Teresæ, quibus biennio immersa fuit. 67
Animarum in Purgatorio Deus miseretur. 155
Anima quæ raptus nullos sentit, vel parum diligit, vel parum diligitur. 12
Animas plurimas B. Teresa ad meliorem frugem reduxit. 349. & seqq.
Animas è purgatoriis flammis liberauit. 350.
in Anima quid passa sit. 380
Anna à S. Bartholomæo indiuidua B. M. Teresæ comes. 234
Miraculosè à B. Teresa sanatur. 403
Anna à Iesu. 171
Anna à Matre Dei in vita austeriore rectè valet, etsi in vita lauta pessimè. 166
Animi eius magnitudo. ib.
Anna Solisia postea dicta à S. Trinitate mira vocatio. 176 Sanitatē recuperat cōcepto voto Excalceatarum ordinem ingrediendi. 177
Anna Ximenia vidua postea dicta à Iesu erga B. Matrem liberalitas. 201. vnà cū filia B. Teresæ Institutum amplectitur. ib.
Annus & dies quo B. Teresa nata. 42
S. Anthonij reuelationes. 14
P. Anthonius Heredius domum comparat pro fundatione Metinensi, eamq; promouet. 136. 139. 146
Anthonio Heredio B. M. Teresa propositū suum aperit de fundandis Excalceatis Monachis. 146. Primū is sese offert, qui hoc institutum auspicaretur. ib.
Tirociniū annuū agit, sui periculum [...] ciens. 148 Deus ipsum probat. ib. di[...] postea à Iesu. 209. vrget ipsum Ter[...] vt reformationem auspicetur. 210. [...] posito Prioratu primigenia se Reg[...] voto obstrinxit. ib. Aquam, scipione [...] ram percutiens, elicit.
Apparitiones & visiones variæ post m[...] B. M. Teresæ. 444. & s[...]
Appetitum suum frustratur, vt pauper[...] succurrat.
Aquam bonā è putido fonte B. Teresa [...] cit suadente M. Maria à S. Ioanne [...] ptista.
Aquarum inundatio Burgis.
Aquam lustralem per viam comporta[...] Teresa. 184. Eiusdē erga aquam lus[...] lem fides.
Audita amorosa & pia cantiuncula [...] tis excessum patitur B. Teresa.

B

Balthasar Aluarez. 70. Quantum pr[...] rit B. Teresa. 71. Eius consilium q[...] fundationem primi Monasterij. 82 [...] Teresam terret & affligit. 85. Cur [...] nasterij curationem suscipere non [...] ret. 86. versum ex Ps. 91. Domini [...] Teresa ipsi meditandum proponit. [...] Teresam iuuat in fundatione Me[...] si.
Balthasar de Iesu Carmelita conc[...] tor celebris transit ad Discalceatos [...] P. Mariano à S. Benedicto, eiusq; [...] habitum dedit.
In die S. Bartholomæi Anno 1572. SS. [...] cramentum nouo Abulēsi sacello S[...] sepho nuncupato infertur.
Beasensis cœnobij fundatio & eius ini[...] mirabile.
Bernardinus Mendosius fundator M[...] sterij Vallisoletani. 149. Moritur ne[...] tè animam ipsius è purgatorio ign[...] berandam Dominus ipsi indicauit [...]

pri[...]

*primùm ſacrificium in domo Valliſoletana peragеretur.* 154. *Anima eius purgatorij pœnis ſoluta B. Tereſæ apparet.* 156.

*Burgenſis fundatio.* 249. *& ſeqq.*

**C.**

*Calumnijs impetita B. Tereſa gaudebat.* 371.378. 381.383.

*Carauacenſis Monaſterij fundatio, eiuſq; initia.* 123. *& ſeqq.*

*Caritatis aliquod opus quotidie præſtare B. Tereſa proponit.* 354

*Carmelitarum Generalis Abulam venit.* 132. *Eidem Tereſa totius vitæ ſuæ rationem reddit ibid. literas illi dat ad plura excitanda monaſteria.* 133. *Tot voluiſſet cœnobia a B. Tereſa erigi, quot in capite haberet capillos.* 126. *Eundē Epiſcopus Abulenſis conuenit, vt viris etiā primitiuam Regulam ſeruaturis monaſteria erigerentur.* 134. *Eidem hac de re ſcripſit Tereſa, & facultatem impetrat excitādi duo virorum monaſteria.* ib. *Animus eius immutatur & in Tereſam inuehi cœpit.* 228

*Carmelitarum Regula.* 110

*Carmelitarum Excalceatorum fundationis initium.* 209. *& ſeqq. Eorum propagatio.* 213. *Magna contra eos perſecutio mouetur. In cuſtodiam & exiliū aguntur, excommunicantur &c.* 228. *A Calceatis ſeparātur.* 230.240. *Primū Prouinciale capitulum Compluti celebrant.* 230. *quinque conſtituuntur Prouinciæ, & in Vicarium generalem eligitur P. Nicolaus a Ieſu Maria.* 231

*Carthuſianorum Prior Hiſpali B. Tereſā cum ſuis fouet.* 221

*Catharina de Cardona vita mirabilis.* 235. *Monaſterium Fratrum Diſcalceatorū intra ſyluarum abdita condidit. ibid. Subterranea cauerna, in qua multis annis in mira ſeueritate vixit. ibidem. Eam B. M. Tereſa per viſum conſpicit. ibid.*

*Catharinæ Godineriæ virginis nobiliſſimæ, quæ poſtea a Ieſu cognominata, mirabilis, ex lectione tituli S. Crucis, cōuerſio.* 204. *Pœnitentiæ eius admirabiles. ibid. Diabolus eā terrere nititur. ibid. varijs exagitatur morbis annis* 17. 205. *perfectam ſanitatem inopinatò conſequitur.* 206. *Admirabilis eius viſio viginti annis ante fundationem Monaſterij Beaſenſis, in qua F. Ioānem a Miſeria & primas monaſterij illius moniales regulam & conſtitutiones accuratè vidit & notauit* 206.207. *ſanitatem ægrotanti Dominus pollicetur.* 207. *Sacrum habitum vna cum ſorore ſua Maria a Ieſu ipſo fundationis die aſſumit.* 208. *inter ſorores non deputatas choro eſſe deſiderat. ibid. Eidem, cùm Beaſenſis domus Priorиſſam ageret decumbenti B. Tereſa obitum ſuum ſignificat, & vlcus inſanabile curat.* 446

S. *Catharina Senenſis ſola videbat annulum a Domino ſibi traditum.* 72. *Anima eius quatuor horis a corpore abfuit.* 76. *cor proprium Deus ipſi abſtulit & nouum reſtituit.* ib.

*Chriſtus viſus eſt a B. Tereſa Monialem in mortis articulo inumbrare.* 167. *Spondet B. Tereſæ protectionem ſuam omnibus, quæ in ordine ſuo deceſſuræ eſſent moniales. ibidem. manus Beatæ Tereſæ lateri ſuo inſeruit.* 344. *ad Chriſtum Dominum exiſtentem in horto multum afficitur Tereſa.* 289

*Chriſtus pro hominibus iterum mori paratus eſt.* 14

*Chriſtus ſpeculum & exemplar patiendi* 485.

S. *Clara Beatæ Tereſæ apparet.* 89. 362.



Digitized by Google

Clauo paßionis suæ Christus eam subarrhauit. 344
Cognatam ad profeßionem admittere noluit. 278
Communio B. Teresæ interdicitur & solitudo. 67
Communione priuari se Teresa non renuit. 357.369
Comedere ipsi tormentum est. 428
Commotio ob nouum monasterium in ciuitate Abulensi orta. 121
Concionator quidam B. Matrem in concione perstringit. 90
Cōcionatores bene habebat, ægrotātes precibus iuuabat, illis morientibus dolebat, erga eosdem sancta ferebatur quoque inuidia. 347
Congressus eius nunquam non vtilis. 248
Confessarij omnes B. Teresæ aduersari videntur. 67
Per Confessarios exercetur. 79.85
Confessariorum ignorantia quantum obfuerit ipsi. 54.414.
Confessarij monitis acquiescendum. 214
Confessarijs suis proderat B. Teresa. 148. 350
Confeßionum S. Augustini lectio profuit B. Teresæ. 61
Consilium saluberrimum B. Teresa suggerit Religiosis, qui in conferta Religiosorum multitudine versantur. 82.
Consolationes diuinas quò magis repellebat B. Teresa, eò plures recipiebat. 65.
Consortij mali detrimenta. 46.54
Consortij boni commoda. 47
Constitutiones quas monialibus suis Teresa præscripserit. 110.111
Corpus B. Teresæ post aliquod temporis interuallum integrum reperitur. 434
Corpus eius Alba Abulam transfertur, & quæ tum miranda contigerint. 435. 436.437
Corporis B. Teresæ integritatem non sine diuino nutu esse posse medici testantur. 438
Corpus B. Teresæ Abula Albam refe[...] Sum. Pontifex mandat. 4[...]
Corpus B. Teresæ Alba debere relinq[...] Sixtus V. decernit. 4[...]
Curiositatem in vestitu vetuit. 4[...]
Cura eius pro ægrotis. 352.3[...]

D.

S. Dauidi Regi deuota fuit Beata Teres[...] 238
Dæmoniaca putatur. [...]
Dæmones non perhorrescit, eosque in ce[...] tamen prouocat. [...]
Dæmon eam affligit. 3[...]
Dæmones murum monasterij deijciun[...] 93
Decem mille Martyres Teresæ promis[...]runt illi se morienti adfuturos. 26[...] 362.
Delectus habendus in admittendis ad Re[...]ligionem. 103.273 & seq.
Desideria B. Teresæ gloriæ diuinæ inat[...]genda. 3[...]
Desolationes B. Teresæ. 119. 144. 22[...] 423
Detractiones non permisit B. Teres[...] 254
Dei prima cum Beata Teresa sermocina[...]tio. 6[...]
Ex Dei alloquio quantam hauserit secu[...]ritatem. 6[...]
Dei potentia & sapientia. 1[...]
Deipara virgo Religiosas Discalceatas i[...] suam protectionem accipit. 12[...]
In Deo quomodo sint omnia. 30[...]
Deus animas per varias deducit vias 68
Deo non imputandum, quod particulare[...] quis non experitur gratias. [...]
Deo ordinante reuelationes suas enarra[...] sancti. 1[...]
Deus non minus hodie amicis suis loquitur, quam

quam olim. 11
Deus sanctis locutus est. 10
Deus simplicibus loquitur. ibid.
Deus se illis communicat familiarius, qui fideliter ipsi famulantur. 13
Deus in momento dare solet, quod multorum annorũ labore haud assequi possumus. 67
Deus suos interdũ exercet, vt se cognoscãt. 144
Deus seruis suis concedit ea, quibus soli ipsi fruuntur. ibid.
Deus hominum auaritiam coarguit. 89
Dies quo B Teresa nata. 42
Differentia inter eos, qui orationi & mortificationi student, & eos, quibus satis est communem probamque vitam agere. 12
Quam difficultatem senserit Beata Teresa in aliquorum amicitijs deserendis. 66
Discursus de Seraphim apparitione, quæ Beatæ Teresæ contigit, & de eius veritate. 75
Dolores spiritus à doloribus corporis differunt. 298
Dominus crucem à Beata Teresa acceptam reddit pretiosiorem. 72
Probat illã persæpè tribulationis igne. 78
Eius negotia curat. 220
Illam increpat, cùm esset meticulosior. 237
Suadet illi Dominus non deserere ædem Beatæ Virginis de Platea dictam, vt peccatis, quæ ibidem committebantur via præcluderetur. 139
Teresam, quando in fundationibus aduersa subeunda erant, præmonere solebat. 245
Ad iter Burgense animat. 246
Efficit vt domus, quæ Teresæ quadrabat omnibus displiceret. 251.252
Dedit illi sublimem & perfectam, qualis in hac vita haberi potest, SS. Trinitatis notitiam. 300.301
Teresæ indicat quæ alijs significari volebat. 311. Promittit illi, se omnia petita ab illa concessurum. 345. Eam corporaliter etiam consolabatur. 345. Vt ægrotantium curam habeat, præcipit. 353.
Monasteria construere iubet. 81.183. Teresam solatur atque animat. 85.96.132. 247.250. Afflictionum finem illi prædicit. 86. Materiam quam Confessarius illius meditaretur designat. 87. Episcopo eam sub esse vult & Romam scribere ad Apostolicum diploma obtinendum. 89. Ad Aloisiam de la Cerda mittit, & quæ ventura sint deinceps prædicit. 94. Promittit monasterium non esse dissoluendum. 122. Coronam ei imponit. 126. Dominus Teresæ se exhibet cum corona spinea, & de gloria, quæ ipsi prouentura esset de domo Malagonensi, aperit. 153. Eam Pastranam mittit. 169. Eam obiurgat, quod auscultasset asserentibus nobiles alijs esse præferendos. 165. Incarnationis regimẽ acceptare monet. 193. Segobiam abire iubet. 198
S. Dominicus B. Teresæ apparuit Segobiæ in Sacello, in quo rigidam sanctus ille pœnitentiam egerat. 260
Dominicus Bannes director eius fuit. 126. 139.178 Impedit ne monasterium Abulense primum diruatur. 121
Dominico Bannesio imperante scripsit librum, quem perfectionis vocat. 312
Dominica Palmarum magno cum sentimento communicare solebat B. Teresa. 357
Donum discretionis spirituum Beata Teresa habuisse ostenditur. 417. & seqq.
Dotes corporeæ Beatæ Matris Teresæ. 282
Dotes animæ. 283
Dotes eius Diabolus prauo vsu vitiare cõtendit. 45.46

E.

Ecclesiæ necessitates qualiter B. Teresa senserit. 340.341
Ecclesiæ quantum prosint viri perfecti. 429.
Efficacia B. Teresæ in verbis. 309. & sequentib.
Elegantiam colebat B.Teresa. 285.390
Eleonora Mascarenia Philip. 2. nutrix Marianum à S. Benedicto Teresæ manifestat. 211
Eleonoræ Cepediæ corpus ab Angelis ad sepulchrum deferri vidit B. Teresa. 305
Eremiticas cellulas in horto domestico construit. 44
In Eremiticam cellam sese confert, & in lacrymas resoluitur ob animarum stragem in terris infidelium 131. V. Eucharistiæ Sacramento deuotissima est. 356. & seqq.

F

Familiaris erat vnicuique B Teresa, & affabilis. 285
Fides B. Teresæ eximia demonstratur 334 & seqq. 429.
Fiducia eius in Deum insignis. 363. 426. 393.
Filiam Ecclesiæ se esse magno cum animi sensu gloriatur. 257.335
Filiarum eius perfectio. 128
Filiæ B. Matris Teresæ in habitus assumptione nomen nouum assumunt. 40
Fons Maria à S. Ioanne Baptista. 130
Fortitudo & patientia B. Teresæ. 284
P. Franciscum Borgiam conuenit Teresa. 64
Franciscus Borgia eius spiritum approbat. ibid. Suadet Teresæ vt ab aliquo passionis Dominicæ articulo orationem auspicaretur. 291
Frequentem Communionem suis indicit. 113

G

P. Gaspar Salazar Soc. Iesu Teresæ spiritum examinat. 87. consulit Patri Balthazari Aluarez, ne per adeò angustum iter eam deduceret.
P. Garzias de Toleto Dominicanus auctor fuit, quòd B. Teresa scripserit librum vita sua.
Gaudium eius in inopia.
Generositas B. Matris Teresæ. 4.159. 363.428.
S. Gertrudis cordi Christus Dominus sua vulnera insculpsit. 77. aurea sagitta a Christo se vidit transadigi. ibid.
Granatensis Monasterij fundatio.
Granata fulmine deflagrauit domus illius, qui Excalceatis aduersabatur. 244.
Gratiam sanitatum B. Teresa habuit. & seqq.
Gratitudo eius in beneficos. 4
Grauitas eius. 4
Gregorius Decimus tertius Discalceatos a Mitigatorum Carmelitarum obedientia exemit.
P. Gregorij Nazianzeni vocatio.
Gustus spirituales B. Teresa non desiderabat.

H

Hæreses B. Teresam affligebant. 413.
Helena Quiroga Metinense fundat Monasterium. 146. vna cum filia sua Teresæ institutum amplectitur.
S. Hieronymi visiones.
P. Hieronymus Gratianus de Matre Dei Discalceatis aggregatur. 212. Eius vocationem Virgines Excalceatæ precibus & corporis castigationibus a Deo obtinue-

fuerunt. 213. Constituitur in Bœtica Prouincia Commissarius & Visitator Apostolicus. ibid. Suadet B. Matri Hispalensem fundationem. 214. Visitator Carmelitarum designatus. 227. eius humilitas. 228. Primus Excalceatorum Prouincialis eligitur. 230

P. Hieronymo Ripalda Soc. Iesu Theologo suasore scripsit B. Teresa librũ fundationum. 312

Hilaris & iucunda erat B. Teresa. 407.

Hispalensis fundatio. 213. & seqq. Grauissimas ibi passæ sunt Virgines Teresianæ calumnias. 219. Res admirabilis, quæ contigit eo die, quo Ven. Sacramentum in domum Hispalensem illatũ est. 221

Hispalim ingressa Teresa vnum tantùm habens obolum, nec priùs inde discessit, quam sex aureorum millia in domus emptionem impenderit. 272

Hispalensis Fratrum Excalceatorum fundatio. 227

Humilitas & superbia veritatem & falsitatem arguunt visionum. 36

Humilitas Deum flectit. 376

Humilitas falsa. ibid.

Humilitas B. Teresæ interior. 366. & seqq. Exterior. 372. & seqq.

Humiles mortificationes B. Teresæ. 374.

Humilitatem a Deo edocta fuit. 371.

I.

Imagines duas B. Teresa gestabat, vnam Christi, alteram Deiparæ. 73

Ante Imaginem Christi vulnerati feruenter orat, nec inde se surrecturam ait nisi exaudiatur. 61

Imaginem Deiparæ Virginis in cathedra Priorali constituit in monasterio Incarnationis, cui domum & claues tanquam Præpositæ concredidit. 196

Eiusdem erga Imagines deuotio. 339

Impetus spiritus describitur. 196. 197

Incarnationis monasterio præficitur. 195

Incarnationis Moniales ipsi aduersantur, nec vt Priorissam recipere volunt, quamque prudenter eas leniat. 195. 382

Insignis Monasterij illius reformatio. 196

Ab Incarnationis Monialibus altera vice in Priorissam eligitur. 227

Indignum est sapiente affirmare quæ dubia sunt. 6

Ingenio præstantes diligebat B. Teresa, & tales in suum allegebat ordinem. 412

Inimicos diligebat, eisq; benefaciebat. 354

Ad Inquisitionis tribunal Teresa & sociæ eius delatæ. 219

Inquisitionis sacra tribunal Teresa non metuit. 335

Intẽtio & finis B. Teresæ in Monasteriorũ suorum fundationibus. 106

B. Ioannes a Cruce secundus Excalceatus. 148. 210.

P. Ioannes Auila approbat B. Teresæ spiritum. 320

P. Ioannis Auilæ mortem deflet ob lucrũ animarum, quod facere solitus erat. 248

F. Ioannes de Miseria 208. 211

Ioannes Ouallius Domino disponente tãdiu Abulæ decumbit, quousque Toleto rediret Teresa. 99. Peractis ijs negotijs, in quibus eius opera B. Teresa vti volebat, illicò valetudinem recuperat. ibid.

P. Ioannez ij Dominicani sententia inquiritur circa fundationem primi Monasterij Teresiani. 84

Rem Deo commendat, eiusq; responsum. ibid.

Fundationem vrget & Romam scribi. 86.

Orationem & Spiritum Teresæ approbat. ibid.

S. Ioseph peculiariter deuota fuit. 53. 361

Gratias ab ipso recipit. 62.

S. Ioseph primum Teresianum monasterium

rium Dominus dedicari voluit. 81
S Ioſephi & D. Virginis imagines in valuis monaſterij collocari voluit. 82
S Ioſephi interceſſione mortis periculum euaſit. 236
S. Ioſeph illi apparens ſuadet, vt conuentionem cum fabris ineat, etſi non ſuppeteret vnde solueret. 88
S. Ioſeph fauorem experitur Burgis. 252.
Videt in viſione D Virginem & S. Ioſephum, & ab his ſe veſtiri. 90
Deipara Virgo peculiarem B. Tereſæ affectum erga S. Ioſeph commendat, atque eo nomine multa ipſi promittit. 90
Itineris eius ratio. 183
Iudicium aliquot ſeruorum Dei de Tereſæ ſpiritu. 67
A Iudicio temerario aliena eſt. 423
P. Iulianus ab Auila. 123.135

L.

Laborem amabat Tereſa. 391
Laicas habere volebat pauciſſimas. 410
Laurentius Cepedius Beatæ Tereſæ frater eam ſtrenuè in fundatione Hiſpalenſi iuuat 120
Eius filia Tereſa de Ieſu B. Tereſæ inſtitutum amplectitur. 223
Liberalitas eius. 284
Ita Liberaliter cum Deo agebat, vt filia cum patre ſuo. 345
Librorum prauorum lectio noxia. 46
Piorum lectio vtilis. 48
De Libris B. Tereſæ, quos ſcripſit. 312
Libri eius ne à doctiſſimis quidem intelliguntur, niſi ſimul ſpirituales ſint. 314
A quibus & quomodo legendi. ibid.

M.

Magnanimitas Tereſæ 138. Vide Patiētia.
Malagonenſis domus fundatio.
Maria de Auila, poſtea de S. Hierony[...] dicta, Tereſæ inſtitutum amplectit[...] 127
Mariæ de Cruce virtutes, moriēdi deſi[...]rium, & mors placidiſſima.
Maria Diazia.
Maria de Ieſu Monaſterium Compl[...] Deipara monente fundauit.
Nudis pedibus Romam abijt. ib[...]
B. Tereſam Toleti conuenit. ib[...]
Eiuſdem fit mentio.
Monaſterium Mariæ de Ieſu B. Ter[...] ſuo inſtituto conſormat.
Maria Ocampia poſtea à S. Ioanne Bap[...]ſta.
Mille offert aureos in monaſterij erec[...]onem.
Inſtitutum Beatæ Tereſæ amplectit[...] 126
Eius in obediendo ſimplicitas. [...]
Fides eiuſdem. ib. Valliſoletano Mon[...]ſterio præficitur. [...]
Maria Salazar quæ poſtea S. Ioſeph [...]gnomentum accepit, exemplo [...] congreſſu B. Tereſæ orationi ſe ded[...] & vitam meliorem auſpicata. [...]
P. Marianus de Sancto Benedicto Ita[...] cum ſocio Ioanne à Miſeria in ſo[...]tudine anachoreticam vitam ag[...] 211.
Inſtinctu B. Tereſæ inſtitutum Exc[...]ceatorum amplectitur. ib[...]
Præ humilitate habitum Choriſta[...] ſumere detrectat, quouſque P. Gen[...]ralis iuſſio acceſſit. [...]
Martinus Gutierrus Societatis Ie[...] Salmanticenſem fundationem Be[...] Tereſæ ſuadet, eamque promouet. 16[...] 171
Melancholicas B. Tereſa à domibus ſ[...] arcebat. 4[...]
Semel admiſſæ quo modo tractādæ ſi[...] ibidem.

Meti-

Digitized by Google

Metinensis fundatio. 140 & seqq.
Misericordia B. Teresæ erga egenos. 426
Miraculum factum virtute crucis, quam Dominus Teresæ reddiderat. 73
Miracula, quæ per corporis B. Matris Teresæ reliquias & lineos eius cruore tinctos pannos facta sunt. 450 & seqq.
Per vestes 457. & seqq.
Imaginē, & ad inuocationem eius. 465 & seqq. vsque ad finem.
Monasteriorum, quæ B. Teresa fundauit, initia referuntur. 80
Monasteriolis concinnandis B. Teresa ad huc paruula delectabatur. 45
Monasterium Incarnationis Ordinis Carmelitarum ingreditur. 49
Monasteria difficulter erecta spem dabāt ipsi solidioris successus. 385
Moniales aliquot ex Incarnationis monasterio B. M. Teresam secutæ. 125
Monialibus suis permittit Teresa, vt viros doctos consulant. 112. 113. 413
Moniales suas in verbis volebat esse simplices. 409
Moniales Excalceatæ à vermibus liberæ. 388
Monialium præscriptum numerum nolebat excedi. 409
Monialis odoratum recuperat tactu corporis B. Teresæ. 260
Monialis alia capitis, alia oculorum liberatur doloribus. ibid.
Morbi B. M. Teresæ. 51
Mulieres generosè passiones suas mortificantes, virorum digna sunt nomine, & è contra. 37. 38
Mutatio mirabilis, quam in anima sensit B. Teresa. 68

N.

Nicolaus à Iesu primus Excalceatorum Vicarius Generalis. 231. 248
Nomina primarum quatuor virginum, quæ Abulæ Teresianum institutum amplexæ sunt, earumque virtutes. 100.
Nouem ancillarum Dei sanctitas & desiderium. 231. 232
Dominus Teresam reprehendit, quod ancillarum suarum votum differret. 233.
Recipiunt habitum, & Beatæ Teresæ propter vitæ sanctimoniam placent. 236
Nouitiæ se senioribus, & non hæ illis se adaptent. 104
Nouitiorum delectus habendus. 273. & seqq.
Nouitij sedulò probandi. 270. 221. 379. 280.
Numantina fundatio. 241. & seqq.

O.

Obedientia. 120. 192. 255.
Obedientia Beatæ Teresæ 394. & seqq.
Obedientia eius erga Confessarios & superiores. 71. 72. 84. 88. 93. 99. 117.
Ex Obedientia communionem intermittit. 357. 370.
Obedientiam Teresæ Dominus præfert austeritati Catharinæ de Cardona. 389
Obedientiam Domino docente didicit. 397
Beatæ Teresæ de Obedientia doctrina. ibid.
Obedientiæ cultores alios etiam sibi morigeros experiuntur. 399
Obedientiæ commoda. 197
Obedientia simplex virginum quarundā. 129. 167.
Obitus B. M. Teresæ. 218

Odor suauissimus è sepulchro B. Teresæ egreditur. 434
Odor qui à manu eius manat, fortior est, cum aliquod patrandum est miraculũ. 452.
Orationis bonæ fundamenta quæ sint 65. circa orationem doctrina aliquot B. Teresæ, & monita omnibus qui se orationi dare cupiunt scitu dignissima. 324. & seqq.
Oratio mentalis initium virtutum obtinendarum. 325
Oratio vocalis quomodo instituenda. 324.
Orationi solitudo necessaria. 325
Orationi se dedit B. Teresa. 51. Quam in ea sit experta difficultatem. 53
Per Orationem Teresam ad se pertraxit Deus. 55. orat feruenter & magna cum fiducia ante imaginem Christi, eiusque oratio exauditur. 61
Oratio Teresæ cur à Deo non videretur proficisci. 64
De oratione quam B. Teresa habuit eiusque gradibus. 287. & seqq. 293. & seqq.
Orationi nimium deditas distrahi volebat Teresa. 409
Orantibus Deus multum lucis communicat. 87

P.

Palentiæ excitatur cœnobium. 237
Paroxismum quatriduanum patitur B. Teresa, vt mortua crederetur. 52
Parentes B. M. Teresæ qui & quales 42. 43.
Passionis Dominicæ meditatio Teresæ suadetur. 64
Pastranensis Monialium fundatio. 168. & seqq. eadem dissoluitur, & quas ob causas. 200
Pastranensis Fratrum Excalceatorum fundatio. 112. viri magni & sanctimonia illustres in Pastranensi cœnobio fuerunt. ibi
Patientia B. Teresæ in morbis & persecutionibus maxima. 51. 85. 90. 120. 256. 37 & seqq. 127. 428.
Eius patiendi desideriũ. 379. 384. 385. 42 429.
Patres Societatis Iesu magni fecit B. Teresa. 62. 66 200.
Pater Societ. Iesu primus eius director. 6 quam is discretè cum ea egerit
Patrocinio B. Virginis Mariæ, & S. I seph varias gratias recipit Teresa.
Paulus Fernandius Soc. Iesu Teresa commendat, eique fundationem To tanã procurat. 1
Paupertatis encomium. 1
Paupertatis amatrix fuit B. Teresa. 3 & seqq. 426
Pauperes sine dote volebat admitti.
Paupertatem Deus commendat.
Paupertas in fundatione domus Tole næ. 164. Hispalensis. 218.
Peccatum mortale num B. Teresa co miserit. 56
Peccata sua cur adeò exaggeret.
Perfectio solida in quo consistat. 186.
Erga SS. Apostolos Petrum & Paul quos sæpè conspicit, deuota est.
Cum P. F. Petro de Alcantara comm nicat. 77. Eius de spiritu B. Teresæ dicium. 78. 316. Eiusdem ad Episcop Abulensem Epistola 97. Monasterij mi fundationem multum iuuat. 9 Matri paupertatem semper suasit redditus dissuadet. 115. B. Teresæ mortem apparet.
P. F. Petrus Hernandus Dominica Apostolicus Visitator. 192. B. Mat Teresam commendat, eiusque bono tuetur. ibid. Coram eo Teresa p professioni in Incarnationis monas edita renunciat, & nouam concipit
Petri Ceresi Pardi virtutes, & in B. T sæ familiam liberalitas.

Philippus Rex summum Antistitem Gregorium Decimumtertium rogat, vt Excalceatos a Carmelitarum Calceatorum obedientia eximat. 230.
Pœnitentiæ amatrix B. Teresa. 386. & seqq.
Pœnitentiam immodicam à suis nolebat exerceri. 389
Prædictio prophetica de quadam Teresa, quæ sancta esset futura. 50
Priorissas quales, & quas dotes in ijs requireret. 410. 411
Prophetiæ spiritũ in B. Teresa fuisse demõstratur. 305. & seqq.
Prouincialis Carmelitarum annuit erectioni monasterij primi Abulensis. 81. B. Matri, vt tempori seruiret, aduersatur. 84. Ad Aloisiam de la Cerda mittit. 94
Prudentia B. Teresæ. 283. 406. & seqq.
Puerum extinctum vitæ restituit B. Teresa. 91

Q.

Quadriennij spacio nullum B. Teresa fundat cœnobium. 226
Quales sint in religionem admittendæ. 103
Quantopere finis perfectus Religionem perficiat. 107
Quatuor pauperculas virgines primas primi monasterij bases sine dote admittit B. Teresa. 100
Quotidie communicabat. 356
Ob Quotidianam communionem matutino vomitu liberata fuit. 357
Quomodo tentationes duarum monialiũ, quæ sine quotidiana communione non videbantur posse viuere, B. Teresa euicerit. 416

R.

Raptus descriptio, & differentia inter raptum & vnionem. 295
Raptus B. Teresæ, in quo hanc vocem audiuit: Nolo posthac cum hominibus, sed cum Angelis conuerseris. 66. Alij raptus illius. 74. 89
Rationes particulares, quibus ad hanc vitam scribendam author motus fuerit, etsi Societatis Iesu esset. 4
Ad Redditus admittẽdos Teresa induci nõ potest. 115. 190.
Regulæ ad discretionem spirituum. 320
Regula & constitutiones B. Teresæ. 110.
Regula illius approbatur a Pio Quarto & confirmatur. 114
In Religionem quales cooptandæ. 103. 279.
Religioni ineptæ sunt immorigeræ, & proprio iudicio plus æquo innitentes. ibid. & 268
Religionis Nouitiæ & Veteranæ quales esse debeant. 104. In admittendis ad Religionem mundani non sunt adhibendi respectus. ibid.
In Religionem non sunt inserendi, qui ad eandem non vocantur. 266. Quam grauiter peccent, qui tales recipiunt. 267. Examinandus quis, antequam ad Religionem admittatur, & qualiter hoc examen instituendum. ibid.
Religionum relaxatio vnde oriatur. 265
Reuelationes cur Deus scribi velit. 31
Reuelationibus omnigenis nõ est credẽdũ, sed examinandæ sunt. 32
Reuelationum verarum & falsarum signa. 33
Reuelationes non desiderandæ. 361. 295
Reuelationibus, quæ in illustrium sanctorũ morte accidunt, potissimum credendũ. 262
Reuelationibus consilia superiorum præponit Teresa. 395. 396
Rodericus Cepedius B. M. Teresæ frater, quem peculiariter ipsa amabat. 43. Cũ eodem ad martyrium properat. 44

S.

B. Teresæ erga Sacerdotes reuerentia. 359



Digitized by Google

Sacerdotem concubinarium ad meliorem frugem reduxit. 349
Salmanticensis fundatio. 170.& seqq.
Samaritanæ petitione: Domine da mihi hanc aquam, B. Teresa capiebatur. 45
Sancti viri qui aliorum Sanctorum vitas litteris mandarunt. 1
Sanctorum historia quem fructũ pariat. 2
Sanctorum variorum reuelationes recensentur. 9
Sanctus aliquis quam sit mundo vtilis. 264
B. Teresæ erga Sanctos deuotio. 360. & seqq. Erga Sanctos, qui multas animas conuertissent, maiori deuotione ferebatur. 347
Sanctorum catalogus, quibus deuota erat B. Teresa. 360.361
Scopus ad quem collimare debent filiæ B. Matris Teresæ. 108
Segobiensis monasterij fundatio. 198. & seqq. procella ibidem orta. 200
Seraphinus aureo iaculo cor B. Matris Teresæ transfigit. 74
Sermonis eius vis & energia. 209.284.
Sinistra manus B. Teresæ Olissiponem delata. 435
Sobrietas B. Teresæ. 286
A Sodalibus suis in Incarnationis monasterio exagitatur. 84.85
Spiritus volatus quid sit. 296
Spiritus B. Matris a diuersis doctrina & sanctitate conspicuis examinatus & approbatus. 315.& seqq.

## T.

Teresa Bermudi Regis filia. 41
B. Teresa septennis martyrij desiderio flagrat. 44. Cum Fratre Roderico ad martyrium properat ibid. A Eternitatis consideratio animum vtriusque percellit. ibid. Eremiticas cellulas construunt. ibid. Matre mortua, Teresa D. Virgini supplicat sibi vt mater sit. 45. Librum Odarum cum Fratre Cepedio scribit, & vanitates con[...]ectatur. 46. Naturalite[...] omnem turpitudinem detestabatur, C[...] Honoris erat studiosa. 47. Qualiter se a[...] vitam religiosam animarit. 48. Religionem ingreditur. 49 Quam tum pa[...]sa sit in anima contradictionem. ibi[...] Magnas in votorum emissione expe[...]ritur difficultates. 50. Trienniũ ægrota[...] 53. Exiguũ Religiosarũ suarũ voluit e[...] numerũ, & cur. 11[...]. Ordinum aliorum professas suo recipi prohibuit. 112. Tentatio & obscuritas ingens mentẽ eius oc[...]cupauit. 119. Eius in patiendo gaudium 121. Eius in turbata ciuitate tranquilli[...]tas. 122. Obtinet facultatem ad suum transeundi monasterium. 125. sanita[...]tem recuperat, dum monasterium Ma[...]lagone exstruitur, quo perfecto in mor[...]bum recidit. 152. Qua libertate præfect[...] Toletanum sit allocuta. 159 Itineris ei[...]ratio. 183. Sanitatem miraculosè recu[...]perat. 208. Graue ipsi erat ab alijs con[...]spici. 215. Magnam sentit afflictionem ob motam in Patres Excalceatos perse[...]cutionem 229. Ingens in oppidanis Teresam videndi desiderium. 234. Agricola quidam suos a B. Teresa benedici volebat. 234. Infirmatur ad mortem. 256 Salutaria suis dat monita. ibid. Sacr[...] recipit viaticum. ibid. Eius ad venera[...]bilis Sacramenti conspectum motus 257. Inungitur, moritur. 258. Corporis e[...]ius constitutio post mortem, suauis odo[...] è corpore, vestibus, &c. 25[...]
Teresa de Iesu neptis B. Teresæ. 2[...]
Teresa Laizia Francisci Velascij vxo[...] fundat conuentum Albæ. 178. Triduana[...] loquitur. 179. Prolem desiderat, ideoque S. Andreæ se commendat. 179. S. Andream per visum conspicit, & locum futuri monasterij. 180. Eidem B. Teresa non diu post obitum visendam se prabet 445
Theologos in consilium adhibere soleba[...] B. M. Teresa. 99.151.283.39[...]

Tristi-

Tristitia filiarum B. Teresæ ex terrenarum rerum affluentia. 165

V.

Vallisoletana fundatio. 154. & seqq.
Vana gloria nunquam titillari se sensit B. Teresa. 317. 372. 421. 429.
A. M. Velascius auctor B. Teresæ exstitit perscribendi librum, cui titulus est, castellū animæ. 312
Velum moniales suas B. Teresa vult demittere, quando alios alloquuntur. 184
Verax erat B. Teresa. 286
Veritas primaria historiæ pars. 6
Via crucis secura. 385. 386
Villanouæ fit fundatio. 231. Ad fundationē illam B. Teresa non multum afficitur. 232. Ideo a Domino reprehenditur. 233. Honorificè ibidem excipitur. 235
Virginitas B. Teresæ. 57
Visiones Diuinæ magni faciendæ. 10
Visiones exstaticæ, quas in quatriduano paroxysmo B. Teresa habuit. 52
Visiones eius imaginariæ. 291. 307
Visiones & colloquia familiaria Christi cū Teresa. 299. & seqq.
Visiones quæ B. Teresæ obitum antecesserunt. 261
Visus Christus Dominus B. Teresæ in specie irascentis. 54. plagis conscissus. ibid.
Vouet Teresa se facturum, quidquid ad maiorem Dei gloriam, & maioris perfectionis esse conspiceret. 342
Votum hoc inauditum & non temerè emittendum. ibid.
Vrsulam de Sanctis absens in cælum abeuntem conspexit. 100
Vrticis se flagellat. 387

Z.

Zelus animarum in B. Teresa. 131. 340. 347. per totum.
Ob Zelum animarum B. Teresa post mortem cingulo gemmis fulgido accincta visa est. 448

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

8-1

Digitized by Google

Digitized by Google